CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

VII

I. PARALIPOMENON

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

LIBRUM PRIMUM

PARALIPOMENON

AUCTORE

FRANCISCO DE HUMMELAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum



PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10
1905

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est « *Commentarius in Librum I Paralipomenon* » sermone latino, a FRANCISCO DE HUMMELAUER, S. J., compositum aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Valkenberg, die Oct. 1904.

P. C. SCHAEFFER, S. J.
Prov. Germ. Praepositus.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 28 octobris 1904.

✝ FRANCISCUS, CARD. RICHARD
Archiepiscopus Parisiensis.

PRAENOTANDA

1. Rationem accipe, carissime lector, cur in lucem prodeat Commentarius in Par. ante Commentarium in 3 et 4 Regum. Absolveramus vitae Salomonis 3 Reg. 1-11 expositionem. Visum est nobis, non satis certo nos de vita hac Salomonis fore disserturos, nisi alteram etiam Salomonis vitam 2 Par. 1-9 probe perspectam haberemus. Hanc igitur commentati sumus, et cum ea librum 1 Par., qui correspondebat antiquiori nostro in 1 et 2 Reg. Commentario. Ita factum est, ut hic in 1 Par. tomus completus haberetur ante Commentarium in 3 et 4 Reg.

Duo libri Paralipomenon *unus* aliquando apud Hebraeos exstitere liber : cf. *Orig.* (apud Eus. Hist. Eccl. VI. 25; *M.* 20, 582) et *Hier.* (ad Domnionem et Rogatianum, in Prologo Galeato). Cuius libri *medium* indicavere *Masor.* 1 Par. 27,25.

Libri nomen apud Hebraeos est דברי הימים, verba seu narratio seu *liber dierum* i. e. annales, seu *Chronicon* (*Hier.*). Nomen vero illud aptum esse perspicies, si recolas Hebraeos titulis, quos aliquando libris sacris inscripsere, non totam semper libri materiam expressisse, sed aliquam quandoque materiae partem. Igitur genealogiae 1 Par. 1-9 utique non sunt annales seu *historia* : quae sequuntur, utique sunt. Habentur vero etiam libri dierum regum Iuda, regum Israel : cuiusnam rei *historiam* tradunt libri Par., qui inscribuntur *libri dierum*, sine addito? Suggero eos tradere historiam κατ' ἐξοχήν, quae alia apud Iudaeos non fuit nisi *historia sanctuarii.* Cuius opinionis veritatem perspicies, ubi conspectum trademus narrationis 1 Par. 10 — 2 Par. 9, i. e. historiae Davidis et Salomonis.

Libri nomen apud LXX et Vulg. est *Paralipomena,* i. e. *praetermissa,* non quasi quaecunque hic liber habeat, ea fuerint in libris Regum praetermissa, cum plura utrobique habeantur et re et saepe etiam verbis eadem. At certe plura habet liber, quae in libris Regum desiderantur. Ceterum inscriptio Paralipomena non est necessario re-

ferenda ad *res* narratas, ut liber affirmetur narrare ea quae alii libri non referant; sed aeque potest referri ad ipsas *narrationes,* ut liber tradat narrationes rerum sive earumdem sive aliarum, diversas a narrationibus 1-4 Regum. Quo sensu totus liber est Paralipomena seu, si ita loqui placet, *supplementum.*

Ipsum nomen Paralipomena suggerit librum non continuo calamo esse exaratum, sed indolem habere *collectanei.* Reapse, ut de libris Esdrae sileamus quos eiusdem libri partem esse volunt, constat 1 Par. duobus documentis diversorum auctorum, diverso consilio ac stilo descriptis, sc. praeter ipsum Chronicon, genealogiis 1 Par. 1-9, quas Talmudistae proprio titulo vocavere יחס של דברי הימים, *elenchos originum Chronicon,* seu ספר יוחסין, *librum genealogiarum.* Cf. *J. Fürst* : Der Kanon des A. T. nach deu Ueberlieferungen in Talmud und Midrasch, Leipzig 1868, S. 118.

Hinc collige ordinem, quo nos librum explicare oportet. Primum exponendae seorsim singulae partes, dein discutiendae generales quaestiones de libri auctore, indole, compositione etc. Has sequenti volumini reservamus.

Genealogiarum infra demonstrabimus excerptorem vel excerptores, collectorem seu redactorem, continuatorem. Eius, quae sequitur Historiae Sanctuarii auctorem vocamus *chronistam,* qui utrum idem Historiam cum Libro genealogiarum in unum librum compegerit, non definimus.

Quod liber recentioris sit originis, aliisque quibusdam minus frequenter describi consueverit, ob eam rationem textus pauciores quam antiquiores aliqui libri passus est deformationes. Non tantae sunt textus hebraei et graeci discrepantiae, quantas alibi, v. g. in libro Iosue, deprehendebamus. Nomina propria utique dissonant plurimum (cf. *Hier.* l. c.). Quae assidue discutiunt recentiores aliqui (Oettli, Kittel etc.), studentes singulorum nominum nativam formam eruere. Cui labori supersedimus in nominibus eorum virorum, quorum nulla aut vix ulla acta recitantur, rati eam discussionem lectoribus nostris fore minus utilem ideoque etiam minus acceptam.

Libri interpretationem quod attinet : « inter historicos V. T. libros pauci admodum sunt », inquit *R. Cornely* S. I. (Introd. II a, p. 348 sq., 2ª ed. Paris. 1897), « quibus explicandis minorem quam Paralipomenis curam ac sollicitudinem adhibuerint interpretes antiqui et moderni ». Pauca habet *Theodoretus* : Quaestiones in Paralipomena; *M.* 80, 801-857. Quae excerpsit *Procop. Gazaeus M.* 87, 1201-1220. Quaestiones hebraicae in Paralipomena (*M.* 23, 1365-1402) non sunt *S. Hieronymi*, sed auctoris cuiusdam saeculi 7ⁱ vel 8ⁱ. *Rhab. Maurus*

M. 109, 279-540) scripsit Commentaria in libros 2 Par. diffusos quidem, sed ob allegoricarum accommodationum copiam parum utiles, quos excerpsit *Walafr. Strabo* in glossa *M.* 113,629-664.

Et haec quidem patrologiae habent. « Non maiore diligentia quam antiquitas media aetas libros nostros interpretata est » (*Cornely* l. c.). Ubi nominandus est *Alph. Tostatus* (*Tost.*), qui, uti in alios libros sacros, ita etiam in libros Par. copiosum et utilem edidit commentarium (Coloniae Agripp. 1613).

Utebamur, uti alias, commentario *Thomae de Vio Card. Caietani* (*Cai.*), commentariis seu verius notis, quae in Biblia Sacra (VII, Venetiis 1748) collectae reperiuntur, *Sa, Estii, Marianae, Malvendae, Tirini, Gordoni*; commentario *Calmeti* (Wirceb. 1791).

B. Neteler (*Net.*) : Die Bücher der Chronik, Münster i. W. 1899, textum hebraeum scite discussit et in chronologiam diligenter inquisivit. De chronologia scripsere alii plures, quos suis locis commemorabimus.

Multa, quae libros Par. attinent, reperiuntur in *A. Van Hoonacker* (*Van H.*) : Le sacerdoce lévitique dans la loi et dans l'histoire des Hébreux, Londres-Louvain 1899.

Inter protestantes diligenter libros Par. commentatus est *E. Bertheau* (*Ber.*) : Die Bücher der Chronik, Leipzig 1854.

Breviores commentarios edidere *S. Oettli* (*Oe.*) : Die geschichtlichen Hagiographen (Chronika, Esra, Nehemia, Ruth, Esther) und das Buch Daniel, ausgelegt von S. Oettli und I. Weinhold, Nördlingen 1889; et *I. Benzinger* : Die Bücher der Chronik, Freiburg i. B. 1901.

W. E. Barnes : The book of Chronicles with notes and introduction, Cambridge 1899.

R. Kittel : Die Bücher der Chronik, Göttingen 1902, in W. Nowack's Handkommentar. Idem textum hebraeum cum notis edidit : The books of Chronicles in Hebrew; english translation of the notes by B. W. Bacon, Leipzig 1895.

Citantur etiam identidem :

Buhl : F. Buhl, Geographie des alten Palästina, Freiburg i. B. 1896.
Klost. : A. Klostermann, Die Bücher Samuelis und der Könige, Nördlingen 1887.
Wellh. : J. Wellhausen, Der Text der Bücher Samuelis, Göttingen 1871.
Wellh. C. : J. Wellhausen, Die Composition des Hexateuchs etc., Berlin 1889.
ZATW : Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft, Giessen.
ZWT : Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, Leipzig.

Nostros, quos edidimus, commentarios ita citamus :
CG : Commentarius in Genesin 1895.
CEL : Commentarius in Exodum et Leviticum 1897.
CN : Commentarius in Numeros 1899.
CD : Commentarius in Deuteronomium 1901.

CJ[1] : Commentarius in librum Iosue 1903.
CJ : Commentarius in libros Iudicum et Ruth 1888.
CR : Commentarius in libros Samuelis seu I et II Regum 1886.

In exponendis igitur libris Par. longe minus, quam in aliis libris sacris, iuvatur interpres antecessorum suorum laboribus. Catholicorum labores pauci et tenues; protestantium plures, sed praeiudiciis rationalisticis misere impediti et obscurati.

2. At iidem libri etiam *interpretatu perquam difficiles*. Liber genealogiarum constat elenchis genealogicis; genus hoc documentorum crudum et durum, quae aliis facilius patiuntur textus deformationes. Nominibus genealogiarum quandoque interseruntur facta vel factorum indicationes, obscuriora sane factis iis quae alibi continua narratione referuntur. Reapse, si topographiam libri Iosue excipias, vix aliud in V. T. reperies documentum, in quo cum ob textus nativam asperitatem, tum ob eius in pluribus deformationem, necesse sit interpretem ita frequenter confugere ad *coniecturas*. Quae saepe unica sunt via appropinquandi ad sensum textus. Coniecturae vero frequenter adhibitae, etsi singulae non satis firmae appareant, eo haud parum firmantur, quod invicem consonent atque tandem longioris pericopae efficiant interpretationem consonam et planam.

Quo in labore genealogiarum exponendarum aliqua nos haud parum iuvere. Primum Wellhausii egregius error, a rationalistis aliquamdiu communi plausu salutatus, qui nobis luce clarius manifestavit, quae methodus huic pericopae exponendae *non* esset adhibenda. Deinde illud nobis profuit, quod non unico conatu pericopae interpretationem ediderimus, sed iterum iterumque ei labori nos applicuerimus, primum CN p. 173-207, deinde in libello : Das vormosaische Priesterthum in Israel, Freiburg i. B. 1899. Quas priores nostras interpretationes, quod in textu tam arduo non potuit non fieri, in paucis nostro hoc commentario emendavimus, in reliquis et imprimis in rebus gravioribus confirmavimus et complevimus.

Quam vero in exponendis genealogiis interpres patitur difficultatem, eandem in pluribus aliis experitur pericopis, in elenchis inquam heroum, levitarum, magistratuum etc. Quorum documentorum et textus et quandoque cum reliqua narratione contextus perquam obscurus est. Neque vero in re tam difficili arbitramur interpretem suo satisfacere officio, si, professus se *certam* interpretationem haud valere proferre, componendis nominum propriorum lectionibus contineatur.

Est etiam aliud. Chronista, similiter atque auctor Libri genealogiarum, non tam in eo est, ut continuam ipse texat narrationem, sed est potissimum in compingendis variis documentis. Haec non exigua viri

laus est, ut eiusmodi nobis documenta transmiserit, quae secus irreparabili iactura interitura erant. Quorum documentorum sensus quandoque non est nobis per omnia clarus. Etenim traduntur a chronista talia, qualia reperit. Reperit autem habentia indicationes plurium aliarum rerum, quae in fontibus, unde profecta sunt documenta, utique explicabantur, a chronista non explicantur, sive quod ea noluerit explicare, sive quod non ipsos fontes sed fontium excerpta prae manibus habuerit.

Age, horumne omnium explicatione abstinebit interpres? Ad quem igitur finem fuere ea inspirata et tamquam inspirata credita ecclesiae, quae nunquam essent intelligenda? Facilis esset interpretis labor, si exstarent fontes illi, e quorum textu et contextu sponte flueret interpretatio perspicua, haud raro certa. At, deperditis fontibus, quid aliud relinquitur interpreti, nisi ut ad rei veritatem appropinquare conetur rationibus si non certis, at saltem probabilibus, aliis verbis ut *coniecturis* obscuritates elucidare nitatur?

Videntur mihi genealogiae aliaque documenta genealogiarum affinia ad eum etiam finem ad nos esse divinitus transmissa, et ea quidem forma, quam nunc in 1 Par. habent, esse transmissa, *ut interpretem manuducant ad prudentem usum coniecturarum.* Quibus adiutus licet non singulorum, quae in textu sunt, certam valeat reddere rationem, at universum textum penitius perspiciet ac plura edocebitur spectantia Hebraeorum historiam, quae auctoritatem narrationum inspiratarum V. T. plurimum confirmabunt.

Licet enim quaestionem, sintne narrationes 1 et 2 Par. stricte historicae an liberiores, ad aliud volumen remittamus, at illud indubie documenta illa efficiunt, habuisse Iudaeos ante exsilium historiam eius historiae universim similem, quam referunt eorum libri sacri antiquiores. Quae edocemur de antiquissimis genealogiis, de actis transiordanicorum, Saul et Gabaonitarum, de alienigenis in fidem Hebraeorum receptis, de Davidis in sacros choros ordinandos impensa diligentia, esto ea aliquas etiam passa sint textus deformationes, at non sunt ea a quibusdam post exsilium astute efficta. Quis homo tam infinite astutus, qui 6,20-47; 25 ordinem chororum inverterit, eius aliquas partes invicem interseruerit?

Censeo igitur, genealogias aliaque eiusdem indolis documenta ideo divinitus ad nos esse transmissa, et ea quidem quam nunc habent forma ad nos esse transmissa, ut adhibita opitulante Deo diligentia universim saltem aliquando intelligantur. Verum in textibus tam difficilibus explicandis ea etiam est diligentiae pars, ut, quae certis argumentis interpres declarare non valeat, iis prudentibus *coniecturis*

aliquam lucem afferre conetur. Quare his etiam in nostro commentario, ubi opus fuerit, utemur.

3. Unam illico accipe coniecturam, quae, quod difficultatem expediat, quae tam in Libro genealogiarum quam in historia David reperiatur, h. l. videtur esse summatim proponenda, in textibus explicandis postea accuratius explicanda.

Tribus locis sermo de levitis deprehenditur esse notabiliter decurtatus.

In Libro genealogiarum cap. 6, descriptis quae pentateuchus habet de *pontificum* originibus, traditur genealogia Iosedec, pontificis illius, qui in exsilium est abactus. Dein, descriptis quae pentateuchus habet de *levitarum* originibus, inserta etiam ante verba Ex. 6,19[b] copula testatur scriptor, sibi animum esse *familiarum etiam leviticarum omnium describere origines.* Sed textus v. 20-47, qualis nunc est, nihil habet nisi ordinem levitarum *cantorum* Davide antiquiorem itemque ordinem eorumdem a Davide reformatum. Nihil de familiis levitarum, qui sacerdotes in sacris iuvabant, nihil de levitis ianitoribus, nihil de familiis simplicium sacerdotum. An deficiebant scriptorem elenchi earum familiarum, quos tamen nullo non tempore oportuit inter levitas diligenter asservari tamquam suorum privilegiorum documenta? At eos elenchos penes Iudaeos post exsilium exstitisse et omnibus fuisse accessos, disce e 1 Esdr. 2,59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq.

Verba 9,33 (Hebr. LXX) « Hi sunt cantores » inscriptio sunt cuiusdam elenchi levitarum cantorum, sed ipse elenchus ib. desideratur; alii item levitarum elenchi videntur ib. e textu evanuisse.

23,3-5 enumerantur quatuor classes levitarum : levitae, qui sacerdotes in sacris iuvabant, levitae scribae et iudices, levitae ianitores, levitae cantores. Sequitur 23,6-24,19 conspectus omnium familiarum levitarum tempore Davidis et vicium sacerdotum ab ipso institutarum. Obscura pericope 24,20-31 per illud, quod v. 5. 7. 31 scribitur de « sortibus », demonstratur intimius necti iis quae praecedunt; est de levitis sacrorum ministris caathitis et meraritis, sed ignorat gersomitas, stirpem primogenitam levitarum, quam sane non potuit primitus hoc documentum ignorare. Praeterea fuse agit auctor cap. 26 de 3[a] et 2[a] classi, levitis ianitoribus, scribis et iudicibus, fuse agit cap. 25 de Nathinaeis, qui fuere 4[ae] classis veluti appendix : *deest descriptio levitarum cantorum.* At nonne haec traditurum se esse sat clare annuntiabat auctor 23,3-5? Nonne haec ab ipso fuisse descripta, prodit contextus cap. 23 sq. cum cap. 25 sq.?

Schemate rem subiicio, ea quae e textu excisa existimo *typis italicis* exprimens.

CAP. VI. — v. 16-19 traduntur supremae stirpes levitarum, et annuntiantur v. 19[b] stirpes ex illis derivatae.

Deest elenchus stirpium derivatarum, deest initium sermonis de cantoribus.

v. 20-47 traditur ordo cantorum levitarum, qui fuit sub Davide in Gabaon, et primum quidem v. 20-30 ordo aliquis anterior, v. 31-47 ordo a Davide reformatus.

v. 48 annuntiatur elenchus levitarum ministrorum sacrorum, qui ministravere in sanctuario Gabaone; v. 49-53 traditur genealogia Sadoc, qui Gabaone sub Davide sacris praefuit.

Deest elenchus ministrorum sacrorum Gabaone, tam sacerdotum quam levitarum.

Deest genealogia Abiathar, qui sub Davide pontifex erat Sione; deest fortasse elenchus ministrorum sacrorum Sione, tam sacerdotum quam levitarum.

Deest fortasse etiam elenchus levitarum ianitorum, iudicum et scribarum.

CAP. IX. — v. 33[a] annuntiatur elenchus cantorum post exsilium.

Deest ipse elenchus.

CAP. XXIII-XXVI. — 23, 2-6 annuntiatur agi porro de levitis ministris sacrorum, de iudicibus et scribis, de ianitoribus, de cantoribus, tempore Davidis.

23, 7-32 traditur elenchus stirpium e Levi derivatarum.

I. Ministri sacri :
- 24, 1-19 traduntur vices sacerdotum;
- 24, 20-31 traduntur vices simplicium levitarum :
  - *desunt Gersomitae,*
  - v. 20-25 traduntur Caathitae,
  - v. 26-31 traduntur Meraritae.

II. Cantores :
- *desunt cantores levitae,*
- cap. 25 traduntur cantores Nathinaei.

III. Ianitores 26, 1-19.

IV. Iudices et scribae 26, 20-32.

Inter paucos, qui libros Par. interpretati sunt, reperi nullum, qui perspexerit cap. 6; 9; 23-26 haberi *unicam difficultatem unica solutione enodandam.* Solutionem profero hanc.

1 Esdr. 2,59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq. docemur, sacerdotibus et levitis omnibus de exsilio reducibus proferenda fuisse suarum originum certa documenta, aliquas sacerdotum et levitarum familias non valuisse eiusmodi certa documenta in medium proferre, atque ideo suspensas esse a sacris officiis, quoad rem definiret pontifex aliquis oraculo Urim et Thummim. Talis pontifex non fuit : quamdiu perseveravit foedus antiquum, ea sub iudice lis fuit neque unquam est dirempta.

Quaenam, quaeso, originis documenta ab illis familiis exigebantur? Num exigebatur demonstratio, familiam A *immediate ante exsilium* functam esse sacerdotio? Verum revertebantur filii et nepotes eorum, qui ante exsilium functi erant sacerdotio vicibus suis : quodsi aliqua familia, quae immediate ante exsilium non erat functa sacerdotio, nitebatur post exsilium in sacra officia se ingerere, confundebatur eius

familiae insolentia unanimi testimonio reliquarum familiarum, et ordine vicium qui eius familiae nomen ignorabat. Non erat profecto, cur ea res reservaretur oraculo aliquando per Urim et Thummim edendo.

Dices, ante exsilium aliquos (Ez. 14, 6 sqq.) se ingessisse in officia sacerdotum et levitarum « incircumcisos corde et incircumcisos carne ». Sed haec non necessario intelligenda sunt de non-Aaronitis et non-Levitis : possunt intelligi de Aaronitis et Levitis quibusdam, qui circumcisionem suscipere *neglexerint*. Quodsi ante exsilium gentiles aliqui se intruserint in officia sacra et si, quod nequaquam affirmat Ezechiel, eorum posteri post exsilium ad eadem officia aspiraverint, erat ea res evidens scandalum, nequaquam reservandum oraculo Urim et Thummim. Quodsi apud nos aliquis, ad sacros ordines nequaquam promotus officia sacerdotum usurpaverit, non remittitur ea res ad oraculum Summi Pontificis, sed probrose eiusmodi vir expellitur ab ordinario et, si quid contra eiusmodi delictum leges civiles statutum habent, traditur iudicibus laicis.

Causam illarum familiarum *non fuisse evidenter iniquam*, vel inde patet, quod fuerit remissa ad oraculum Urim et Thummim. Familiae illae *aliquamdiu ante exsilium* fuerant in quieta possessione privilegiorum suorum. Privilegia sua approbata vel certe tolerata habuerant a quibusdam viris auctoritate et pietate insignibus, puta a Davide; nihilominus gravia quaedam documenta efficere videbantur, eas familias non esse ab Aaron vel Levi derivatas. Quarum causam visum est *interim* relinquendam esse in suspenso.

At earum familiarum *nomina* conspiciebantur in *elenchis libri* 1 *Par.* nuper editis, qui acta Davidis referebat *historice*, non inquirens an in singulis quibusque David egisset *recte*. Quodsi una cum libro elenchi illi et nomina recipiebantur, subtrahebatur veluti legitimo iudici causa, familiis, quarum illa erant nomina, sua constabant iura. Quodsi nomina, ex elenchis expungerentur, rursum subtrahebatur legitimo iudici causa, familiae illae pro condemnatis habebantur. *Visum est igitur ipsos elenchos omittere.*

Haud crediderim excisos esse ab ipso libri auctore, qui credendus est lacunam aut dissimulaturus aut explicaturus fuisse, sed ab aliis post ipsum privatis hominibus. Neque ab uno expuncta omnia, nisi adstruere placeat ab illo uno expuncta esse perquam negligenter, qui v. g. eum cantorum elenchum permiserit cap. 6 remanere in textu, quem post cap. 24 (cf. cap. 9) studiose eliminabat. Ergo alia alii expunxere, ita tamen ut, providente Deo, plura ad nos sint perlata. Videntur fere *omnium aliqua a quibusdam* esse addubitata, aliis ver-

bis, erant dubiae post exsilium originis familiae aliquae in singulis ordinibus levitarum. Quare expunctus cantorum elenchus cap. 9 et post cap. 24, sed permissus remanere cap. 6; omissi cap. 6 ministri sacri fere omnes, sed, praeter Gersomitas remanere permissi cap. 24; omissi item cap. 6 iudices, scribae, ianitores, sed remanere permissi cap. 26. Utrum in ipsis, quae permansere, amputata sint minora aliqua, non est huius loci inquirere.

Igitur unam communem causam eorum, quae textus cap. 6; 9; 23-26 passus est, decrementorum affirmamus esse factum 1 Esdr. 2,59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq. Haec nostra difficultatum solutio *coniectura* est. Una explicat eorum trium documentorum evidentes lacunas. Explicat, cur genealogia Levi cap. 6, comparatione imprimis genealogiae Iuda, perquam ieiuna appareat, cum tamen pro certo habendum sit, plura post exsilium de rebus levitarum exstitisse documenta; explicat, cur 9,33ª inscriptionem non excipiat elenchus, cur etiam cap. 23-26 quaedam desiderentur.

Quae coniectura si tibi non satis probetur, aliis in commentariis reperies unam, rationalistarum. Quibus pentateuchus est figmentum recentius concinnatum, praerogativae tribus Levi item sunt figmenta, tempore Iosiae excogitata ad eius tribus ambitionem fulciendam. Fictionis plurimum habent etiam genealogiae, et quae in libris Par. traduntur de Hebraeorum sacris. Tamen fictori illi vel fictoribus non semper arridebat musa : hinc lacunae.

Quae tibi rationalistarum theoria si non satis tuta videatur, age, aliam circumspice. Manebit interim sua nostrae coniecturae probabilitas.

Dices, coniecturam nostram in dubium vocare elenchorum 1 Par. *veritatem*, quod sc. eorum elenchorum nomina quaedam sint aevo Esdrae publico quodam decreto addubitata. Respondeo :

a. aequales Esdrae non addubitabant *factum*, familiam A tempore Davidis Levitis esse accensitam, sed addubitabant facti *ius* : elenchi 1 Par. affirmant *factum*, non affirmant *ius*. Potuere omnia illa aequalium Esdrae iuris dubia esse inania.

b. Si textus 1 Esdr. 2,59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq. componas cum conditione manca, quam habet textus 1 Par. 6; 9; 23-26, et quam habebat quando providente Deo tradebatur ecclesiae ad nos transmittendus, facile concedes, textus illos inter se comparatos non affirmare elenchorum 1 Par. omnimodam veritatem, sed elenchos tradi tamquam documenta, quae tempore Esdrae legitime addubitabantur, de quibus sententia tum non ferebatur, sed ad calendas graecas prorogabatur. Quare illis elenchis competit proxime veritas citationis tantum.

citationis inquam documenti truncati et fortasse in quibusdam deformati. Quae citatio minime est inutilis, cum habeat egregiam confirmationem facti 1 Esdr. 2, 59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq.

Dices, ex nostra coniectura *reprobasse* aequales Esdrae aliqua Davidis acta, quod censuerint aliquas ab ipso familias perperam fuisse accensitas levitis. Respondeo primum, licet elenchi 1 Par. universim sint de actis Davidis, tamen non sequitur ea, quae improbaverint aequales Esdrae, a Davide vel a Davide primo acta esse. Potuere etiam amputatores illi elenchorum errare, putantes aliqua pro reverentia illius decreti amputanda esse, quae eidem nequaquam adversabantur. Neque tandem aequales Esdrae quidquam reprobarunt, sed rem reliquere in suspenso. Potuere praeterea, in earum familiarum statu definiendo, errare tam David quam aequales Esdrae. David aliquando (v. in expositione cap. 25 Historiam chororum davidicorum 7. d) agebatur immoderato desiderio augendi numeri chororum, aequales Esdrae legem magis, quandoque fortasse nimis secundum literam interpretabantur. Licuit certe aequalibus Esdrae revocare privilegia a Davide concessa et, quo tempore cultus in sanctuario resumendus necessario erat minore quam sub Salomone pompa, minuere numerum ministrorum sacrorum etiam eorum, qui numero pauciores de exsilio redierant. Potuit et illud, quod egerat David, recte ab ipso agi habita illius temporis ratione, et recte ab aequalibus Esdrae pro mutata temporis ratione revocari.

LIBER GENEALOGIARUM

1 PAR. 1-9

PRAENOTANDA

Constat Hebraeos habuisse suarum rerum prolixiores historias, e quibus praeter alios fontes fluxere eorum historiae canonicae. Ex historiis vero canonicis utitur genealogiarum Liber libris Genesi, Exodo, Numeris, Samuelis, Regum et Ruth. Pii Iudaei ii, qui brevi ante exsilium babylonicum vixere, in suas inquirebant genealogias. Habebant enim fidem prophetarum oraculis praenuntiantibus exsilium et reditum de exsilio. Quare ex antiquis prolixioribus historiis excerpsere, quae genealogias spectabant. Qui sc. valeret demonstrare originem ex una familiarum ib. descriptarum, is suae originis habebat documentum omni exceptione maius; quo nisi, posteri eius de exsilio reduces efficaciter vindicaturi sibi essent avitas possessiones omniaque iura suae stirpis propria. Hoc opus *excerptoris* vel *excerptorum*.

Excerpta post exsilium collegit *redactor*, qui, additis aliis e libris canonicis genealogiis, effecit Librum genealogiarum duodecim tribuum; cui pro praeambulo praescribebantur e Genesi excerptae genealogiae ab Adam ad Iacob : cap. 1-7.

Hic liber eiusve singulae genealogiae frequenter a piis post exsilium Iudaeis describebantur, qui genealogiae communi tribus vel stirpis adscribentes suae familiae privatam genealogiam condebant authenticum suarum originum documentum.

Ita genealogiae Davididarum adscripsit 3,18-24 davidida aliquis post exsilium privatam suam genealogiam.

Ita Ierameelita aliquis communi Ierameelitarum genealogiae 2,25-33 adscripsit 2,34-41 suae familiae genealogiam.

Ita fortasse aliquis extremae genealogiae Ezrae vel Azariae 4,17-20 adscripsit genealogiam suam, quae nunc in textu legitur truncata.

Fuit autem apographum Libri Genealogiarum, quod noster sacer textus habet, proprium Beniaminitae cuiusdam post exsilium, de stirpe Bela, de ramo Baria, qui exstitit filius (vel maritus) mulieris beniaminaeae, nathinaeae. Qui suo illi apographo adscripsit 8,1-28 genealogiam suam paternam, maiorem nunc circa v. 7 habentem lacunam, una cum genealogia matris (vel uxoris) 8,29-40.

Haec Libri Genealogiarum pars prior cap. 1-8.

Apographum istud accepit *continuator*. Qui iniquum ratus, tam

utile documentum temporibus fere exsilio anterioribus contineri, eius aggressus est scribere partem alteram. Composuit elenchos eorum, qui primi de exsilio reversi habitaverunt in Ierusalem et Gabaon : cap. 9. Ibi, eheu! defecit opus continuatoris.

*
* *

His delibatam habes summam eorum, quae noster commentarius cap. 1-9 demonstranda aggreditur, rationibus magis minusve certis. Utile futurum reputavimus, ut tibi, lector sacrorum librorum studiose, praemonstraremus itineris nostri terminum, quo alacrius accingaris ad durum laborem discutiendi congeriem hanc nominum propriorum. In quo labore si quandoque respirare cupieris, mente revolve, quanta pietate et diligentia ad hunc librum condendum opitulante Deo sua contulerint plures; cogita reverentiam, qua ille inter Iudaeos post exsilium habebatur, auctoritatem in iuribus stabiliendis et fundamentis iaciendis rei publicae iudaicae post exsilium; cogita fidem et spem, qua illum pii Iudaei amplectebantur, et solamen, quo ille pias mentes reficiebat.

I. Conspectus genealogiarum.

1. Post enumeratos 2,1 sq. filios Iacob seu Israel, habes 2,3-4, 23 genealogiam tribus *Iuda*, 4,24-43 *Simeon*, cap. 5 *Ruben cum Gad*, cap. 6 *Levi*, 7,1-5 *Issachar*, 7,6-12 *Beniamin*, 7,12 (v. i.) *Dan*, 7,13 *Nephthali*, 7,14-29 *Ioseph*, 7,30-40 *Aser*.

Obiter hasce genealogias inspicienti videntur desiderari *Dan* et *Zabulon*. Sed cum *Calm*. coniicimus *Dan* latere in verbis 7,12 « et Husim filii Aher », verbis a contextu prorsus alienis, quae putamus deformatione verborum Gen. 46,23 « Filii Dan : Husim » esse orta. Nulla effingi potest ratio, cur libri auctor eiusve antecessor aliquis voluerit omittere *Zabulon*. Cum porro auctor, pro fundamento veluti genealogiarum suarum ordiri consueverit *nominibus filiorum, quae Gen. 46 leguntur* (Iuda 2,3-5; Simeon 4,24; Ruben 5,3; Levi 6,1 et rursum v. 16; Issachar 7,1; Aser 7,30), pro Nephthali praeter ea nomina 7,13 scribat nihil itemque, quod modo coniiciebamus, pro Dan : censemus eum etiam pro *Zabulon* nihil habuisse praeter nomina Gen. 46,14, sc. post 7,5 qui versus est de Issachar : « Filii Zabulon Sared et Elon et Iahalel. Filii Liae ». Haec tanto facilius concedes ib. excidisse, quod initium v. 6 ib. sit mancum. Habebat igitur primitus textus 2,1-7,40 omnium *duodecim* tribuum genealogias.

Ordinem *genealogiarum tribuum* cap. 2-7 quod attinet, auctor ge-

neratim, quod fit etiam Gen. 35,23 sqq.; 46, tribus recenset *ordine matrum*, et primum quidem filios *Liae*, qui fuere Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Zabulon. Sed auctor tribum principem Iuda ponit primo loco, et cum ea Simeon, tribum tribui Iuda per omnia coniunctissimam; dein Ruben atque cum eo, ut res transiordanicorum unico tractatu absolvat, expedit etiam Gad. Utitur ergo hoc ordine : *Iuda, Simeon, Ruben cum Gad, Levi, Issachar, Zabulon* (v. s.).

Gen. 46 post Liam expeditur Liae ancilla Zelpha (Gad, Aser), dein altera uxor Rachel (Ioseph, Beniamin) eiusque ancilla Bala (Dan, Nephthali). Aliter Gen. 35, ubi primum expediuntur uxores Lia, Rachel, dein ancillae concubinae Bala, Zelpha. Quem eundem ordinem sequitur auctor noster, nisi quod Ioseph transferat in eum locum, qui proprius fuerat Gad : *Beniamin, Dan, Nephthali, Ioseph, Aser*. Cur transferat, rationem ignoramus.

Hisce generatim praemissis de ordine genealogiarum tribuum, ipsarum harum genealogiarum *conspectum* subiicimus. Porro textus ipse obscurus et, quod congeries fere sit nominum, in pluribus deformatus, nexus rerum saepe obscurus. Quo facilius igitur lector perspiciat nostro conspectu efferri ea ipsa, quae textus habeat, conspectui conteximus ipsum textum cap. 2-7, versione expressum et in articulos distinctum, adhibitis emendationibus iis, quas nos aliive ante nos ei adhibendas esse iudicabamus. Dicemus capite sequente de *excerptis* antiquarum historiarum, quas genealogiae tribuum habent, quasque *collector* in unum congessit, conquisitis imprimis e libris canonicis rebus iis, quibus excerptorum intervalla expleret. *Excerpta* exprimimus typis *mediis*, verba *collectoris* typis *minoribus*. Quandoque, quo res magis oculos legentium percellat, genealogiam exhibemus *schemate genealogico*.

JUDA 1 PAR. 2,3-4,23.

2. Genealogia haec e pluribus coaluit documentis. Traduntur primum 2,3-8 ea, quae antiquiores libri sacri habent de primis post patriarcham Iuda generationibus, praeter posteritatem Hesron de qua fuse tractandum est. Solus v. 8 ex iis libris non fluxit, nisi mavis affirmare eum fluxisse ex eorum librorum textu aliquo nunc deperdito; scribitur intuitu 4,17-20 (cf. 4,1). Igitur v. 3-8 indolem habet *complementi* scripti ab eo, qui prae manibus habebat genealogias 2,9-4,20, eo fine, ut eas elencho filiorum Iacob contexeret.

2,3 Filii Iuda : Her, Onan et Sela. Hi tres nati sunt ei de filia Sue Chanaanitide. Fuit autem Her primogenitus Iuda malus coram Domino, et occidit eum. v. 4 Thamar autem nurus eius peperit ei Phares et Zara. Omnes filii Iuda 5.

v. 5 Filii Phares : Hesron et Chamul.
v. 6 Filii Zara : Zamri, — et Ethan et Eman et Chalchal et Dara, simul 5.
v. 7 Filii Charmi[1] : Achar, qui turbavit Israel praevaricatione anathematis (Ios. 7).
v. 8 Filii Ethan (v. 6) : Ezra (4,17).

3. Caput genealogiarum 2,10-4,20 est 2,9, versus recensens tres filios Hesron *ordine aetatis* (v. 25). Sed explicantur iidem *ordine dignitatis*; primum usque ad David producitur *stirps regia Ram*; dein explicatur genealogia (*Caleb-*)*Ephrath*, quae stirps antiquitus *illustrior* exstitit stirpibus Ram et Ierameel; tandem explicatur stirps *Ierameel*. Genealogiam hanc Ierameel primitus non pertigisse ultra v. 33, efficit ib. clausula « Isti fuere filii Ierameel ».

Genealogia Ram, si excipias trium fratrum Davidis nomina, quae potuere ex orali traditione esse profecta, nihil habet quod non verbis fere iisdem habeatur in libris Ruth et Samuelis. Procedit de patre ad filium usa verbo הוליד, *genuit* (cf. v. 9 נילד לו, *geniti sunt ei*), uti Ruth 4,18-22. Septem filios Isai distinguit numeris ordinalibus : primogenitus, secundus etc. (cf. 2,3 sq. 6). Videtur genealogia excerpta esse e libris Ruth et Samuelis a collectore genealogiarum Ephrath et Ierameel, ne unus e tribus filiis Hesron Ram careret genealogia.

Genealogia Ram.

v. 9 Filii Hesron, qui nati sunt ei : Ierameel et Ram et Calebitae.
v. 10 Ram genuit Aminadab.
Aminadab genuit Nahasson, principem filiorum Iuda (Num. 1,7).
v. 11 Nahasson genuit Salma.
Salma genuit Booz.
v. 12 Booz genuit Obed.
Obed genuit Isai.
v. 13 Isai genuit primogenitum Eliab, 2um Abinadab, 3um Simmaa, v. 14 4um Nathanael, 5um Raddai, v. 15 6um Asom, 7um David.
v. 16 Quorum sorores fuere : Saruia et Abigail.
Filii Saruiae : Abisai, Ioab et Asael, 3.
v. 17 Abigail genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ierameelita (v. 32).

Genealogia Ephrath est in antiquissimis quibusdam factis enarrandis. Generationes paternas v. 20.22, exprimit voce הוליד, reliquae maternae sunt : quare v. 20.22, quod soli habeant הוליד, non ob eam unam rationem dicendi sunt esse addititii. Est enim haec genealogia materna verius quam paterna, genealogia Ephrath verius quam Caleb, explicans, quomodo una mulier Ephrath e Calebo, e Calebi patre Hesron, ac rursus e Calebo genuerit tres viros famosos Hur, Iair et Ashur.

1. Filii Zamri v. 6.

Genealogia Ephrath.

v. 18 Caleb filius Hesron sumpsit uxorem Azubam filiam Ierioth, cuius filii fuere Iaser et Sobab et Ardon.

v. 19 Mortua Azuba, accepit Caleb uxorem Ephrath, quae peperit ei Hur.


v. 20 Et Hur genuit Uri, et Uri genuit Bezeleel.

v. 21 Post haec ingressus est Hesron ad Ephrath filiam Machir patris Galaad, et ipse accepit eam cum esset sexagenarius. Quae peperit ei Segub.

v. 22 Et Segub genuit Iair, cui fuere 23 civitates in terra Galaad. v. 23 Cepereque Gessur et Aram civitates Iair et Canath et vicos eius, — 60 civitates. Omnes isti filii Machir patris Galaad.

v. 24 Mortuo autem Hesrone, ingressus est Caleb ad Ephrath, quae fuerat uxor Hesron patris eius. Quae peperit ei Ashur patrem Thecuae.

SCHEMA I.



Genealogia Ierameel prior etiam ipsa antiquis continetur temporibus, distinguit v. 26.29 uxores et v. 25 primogenitum, etiam v. 30. 32 viros qui prole caruere, ostendit quae familiae tempore scriptoris e stirpe Ierameel effloruerint. Constanter utitur non voce הוליד, sed voce בני, *filii*.

Genealogia Ierameel prior.

v. 25 Natique sunt filii Ierameel primogenito Hesron : Ram primogenitus eius, et Buna et Aram et Asom soror eorum.

v. 26 Fuitque uxor altera Ierameel nomine Atara, quae fuit mater Onam.

v. 27 Fueruntque filii Ram primogeniti Ierameel : Moos, Iamin et Acar.

v. 28 Fueruntque filii Onam : Semei et Iada.

Filii Semei : Nadab et Abisur. v. 29 Et nomen uxoris Abisur : Abihail; et genuit ei Ahobban et Molid.

v. 30 Filii Nadab : Saled et Apphaim. Mortuusque est Saled absque filiis.


v. 31 Filii Apphaim : Iesi. Et filii Iesi : Sesan. Et filii Sesan : Oholai.

v. 32 Et filii Iada fratris Semei : Iether et Ionathan. Mortuusque est Iether absque filiis.

v. 33 Et filii Ionathan : Phaleth et Ziza.

Isti sunt filii Ierameel.

SCHEMA II.



Igitur ratio, cur tres genealogiae v. 10-33 sint collectae in unum, non est communis earum indoles, cum sint diversae indolis, una individuorum, reliquae familiarum, una ad Davidis tempora pertingens, secunda ea tempora certe non attingens; sed ratio sunt tria nomina v. 9 : Ierameel, Ram, Caleb, de quorum singulorum virorum posteritate voluit collector tradere ea, quae e diversis fontibus profecta ad manus habebat.

1. f. filia.

4. Genealogiae Ierameel priori v. 25-33 continuo adscribitur *genealogia Ierameel posterior* v. 34-41; genealogiam unius familiae Ierameelitae perducens usque ad tempora longe recentiora, secundum numerum generationum circiter ad tempus exsilii. Quam documentum primitus a genealogia v. 25-33 diversum fuisse, praeter clausulam v. 33 efficit constanter scripta vox הוליד, non uti v. 25-33 בני. Idem auctor continuo calamo scribens non erat ab una voce continuo scripta transiturus ad aliam vocem continuo scribendam. Dico ergo, eas duas genealogias non esse primitus scriptas una, licet in fonte immediato, quo utebatur collector, potuerint iam e locis diversis in unum locum reperiri congestae.

Genealogia Ierameel posterior.

v. 34 Et non fuere Sesano (v. 31) filii, sed filiae tantum. Erat autem Sesano servus aegyptius nomine Ieraa. v. 35 Deditque Sesan filiam suam Ieraa servo suo uxorem. Quae peperit ei Ethei.

v. 36 Et Ethei genuit Nathan.
Et Nathan genuit Zabad.
v. 37 Et Zabad genuit Ophlal.
Et Ophlal genuit Obed.
v. 38 Et Obed genuit Iehu.
Et Iehu genuit Azariam.
v. 39 Et Azarias genuit Helles.
Et Helles genuit Elasa.
v. 40 Et Elasa genuit Sisamoi.
Et Sisamoi genuit Sellum.
v. 41 Et Sellum genuit Icamiam.
Et Icamia genuit Elisama.
Et Elisama genuit Ismael (LXX B).

5. Genealogia Ephrath v. 18-24 est genealogia Ephrath magis quam Caleb. Sequitur iam v. 42-50[a] *genealogia Caleb*, illius genealogiae affinis. Effert v. 42 Calebi primogenitum, distinguit Calebi uxores et concubinas. Dum illa habet v. 24 *patrem* civitatis unum, haec patres recitat plures. Scriptor aut est ipse prioris genealogiae auctor, aut certe eius genealogiae optime gnarus eiusque continuator. Generationes paternae ad instar inscriptionis v. 42 exprimuntur voce בני, *filii*; sed v. 44. 46 (cf. ad v. 49) הוליד.

Genealogia Caleb.

v. 42 Filii Caleb fratris Ierameel : Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph;

et filius eius Maresa pater Hebron.

v. 43 Et filii Maresa patris Hebron : Core et Taphua et Recem et Samma.

v. 44 Et Samma genuit Raham patrem Iercaam (?); et Recem genuit Sammai.

v. 45 Et filius Sammai : Maon, et Maon pater Bethsur.

v. 46 Epha concubina Caleb peperit Haran et Mosa et Iahaddai.

Porro Haran genuit Gezez.


v. 47 Et filii Iahaddai : Regom et Ioathan et Gesan et Phalet et Epha et Saaph.

v. 48 Concubina Caleb Maacha peperit Saber et Tharana.

v. 49 Et genuit Saaph pater Madmena Sue patrem Machbena et Caleb patrem Gabaa. Et filia Caleb : Achsa.

v. 50 Hi fuere filii Caleb.

SCHEMA III.




6. *Genealogia Hur* v. 50aβ-55 rursum est genealogiarum Ephrath et Caleb perquam affinis. Hurum vocat primogenitum Ephrath, habet patres urbium, sed ad recentiora tempora progressa, inde a v. 52 a recensendis filiis transit ad recensendas familias Huritarum, quae, quo tempore arca in Cariathiarim versabatur, ergo fere aevo davidico, circa Cariathiarim et Bethlehem incolebant. v. 52 בנים; v. 54 בני.

Genealogia Hur.

Filii Hur primogeniti Ephrath :
Sobal pater Cariathiarim,
v. 51 Salma pater Bethlehem,
Hariph pater Bethgader.

v. 52 Fueruntque filii Sobal patris Cariathiarim :
mons dimidium areae sacrae;
v. 53 et cognationes Cariathiarim : Iethraeus et Aphuthaeus et Simathaeus et Maseraeus.
De his egressi sunt Saraita et Esthaolita.
v.54 Filii Salma : Bethlehem et Netophaeus,
Ataroth domus Ioab, et dimidium areae sacrae versus Saria;
v. 55 et cognationes scribarum habitantium in Iabes : Thirathaei, Samathsaei, Sucathaei. Hi sunt Cenezaei (?), quorum pater fuit Hotham pater Bethrechab.

SCHEMA IV.



7. Reditur ad genealogiam Ram v. 10-17, cuius continuatio est *genealogia Davididarum* cap. 3. Recitantur, post familiam David, reges Iuda, a patre ad filium per singulas generationes. Uti genealogia 2, 10-17 proferebat fere ea tantum, quae in libris Ruth et Samuelis habentur, ita 3,1-16 traduntur nonnisi ea, quae facili labore e libris Regum excerpebantur. Tamen haec duo excerpta non videntur primitus fuisse unum excerptum : cur enim collector illud unum excerptum disciderit in duo? Excerpto adscribitur 3, 17-24 genealogia cuiusdam Davididae per novem post Iechoniam generationes.

Uti 2,13-15 *fratres* David distinguebantur numeris ordinalibus, ita 3,1-9 Davidis *filii* numeris ordinalibus vel adscriptis summis distinguuntur. Enumerationi filiorum v. 1 .4. 5 adhibetur formula נולד (אשר) לו, (*qui*) *geniti sunt ei*, quae eadem habetur 2,9 in inscriptione, facileque credetur ab eodem utrobique esse scripta. Inde a completa enumeratione filiorum David, v. 10 sqq. habetur non הוליד, sed בנו, pro filiis pluribus בני : non ideo scriptor cap. 3 diversus a scriptore 2,10-17. Ibi scriptor secutus Ruth 4 scripsit הוליד; hic, prae oculis habens

1. v. ad v. 53 sq.

formulam constanter repetitam « et regnavit *filius eius* pro eo », scripsit בנו.

Genealogia Davididarum (Ram).

3,1 Hi vero fuere filii David, qui ei nati sunt in Hebron : primogenitus Amnon ex Achinoam Iezrahelitide, 2s Daniel de Abigail Carmelitide, v. 2 3s Absalom filius Maacha filiae Tholmai regis Gessur, 4s Adonias filius Aggith, v. 3 5s Saphatias ex Abital, 6s Iethraham de Egla uxore sua.

v. 4 Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Ierusalem.

v. 5 Et isti nati sunt ei in Ierusalem : Simmaa et Sobab et Nathan et Salomon — 4 de Bethsabee filia Ammiel.

v. 6 Et Iebaar et Elisua v. 7 et Eliphaleth et Noge et Nepheg et Iaphia v. 8 et Elisama et Eliada et Eliphaleth — 9.

v. 9 Omnes filii David, absque filiis concubinarum. = Et Thamar soror eorum.

v. 10 Porro filius Salomonis Roboam.
Abia filius eius.
Asa filius eius.
Iosaphat filius eius.
v. 11 Ioram filius eius.
Ochozias filius eius.
Ioas filius eius.
v. 12 Amasias filius eius.
Azarias filius eius.
Ioathan filius eius.
v. 13 Achaz filius eius.
Ezechias filius eius.
Manasse filius eius.
v. 14 Amon filius eius.
Iosias filius eius.

v. 15 Filii Iosiae : primogenitus Iohanan, 2s Ioakim, 3s Sedecias, 4s Sellum.

v. 16 Flii Ioakim : Iechonias filius eius, Sedecias filius eius.

Porro genealogia haec producitur usque ad Zorobabelem, atque inde usque ad nonam post Iechoniam generationem.

v. 17 Et filii Iechoniae captivi : Salathiel primogenitus eius (?) v. 18 et Melchiram et Phadaia et Senneser et Ieremias et Sama et Nadabia.

v. 19 Et filii Salathiel : Zorobabel et Semei.

Et filii Zorobabel : Mosollam, Hananias et Salomith soror eorum; v. 20 et Hasaba et Ohol et Barachias et Hasadias et Iosabhesed — 5.

v. 21 Et filii Hananiae : Phaltias :

Iescia filius eius, Raphaia filius eius, Arnon filius eius, Obdias filius eius, Sechenias filius eius.


v. 22 Et filii Secheniae : Semeia.

Et filii Semeiae : Hattus et Iegaal et Baria et Naaria et Saphat — 6.

v. 23 Et filii Naariae : Elioenai et Ezechias et Ezricam — 3.

v. 24 Et filii Elioenai : Odaia et Eliasub et Pheleia et Accub et Iohanan et Dalaia et Anani — 7.

SCHEMA V.



8. Uti cap. 3 redibat ad genealogiam Ram 2,10-17, ita genealogiae 4,2-20 redeunt potissimum, non unice, ad genealogias Calebitarum, suntque earum complementa quaedam. Sunt indolis eiusdem atque illae : antiquissima respiciunt tempora, antiquissima tradunt facta, distinguunt uxores. Communem habent inscriptionem 4,1 : Filii Iuda : Phares-Hesron, Charmi, Hur, Sobal.

Genealogia Sobal v. 2 commemorat Sobalitas illos, qui de Cariathiarim coloni transiere Saraam. Quomodo Raia derivetur a Sobal, mediate an immediate, ignoramus. הוליד bis.

Genealogia Sobal.

v. 2 Et Raia filius Sobal genuit Iahath. Et Iahath genuit Ahumai et Laad. Hae cognationes Saraitarum.

Genealogia Hur v. 3 sq. agit de x patre Etam, qui quomodo ab Hur derivetur, immediate an mediate, ignoramus. Ab eo prognati sunt duo patres urbium. Genealogiam a genealogia Phares-Hesron distinctam habet Hur etiam ideo, quia est « primogenitus Ephrath » (cf. 2,50), specialem veluti nobilitatis titulum.


Genealogia Hur altera.

v. 3 Isti sunt filii x patris Etam : Iezrahel et Iesema et Iedebos, nomenque sororis eorum Asalelphuni.

v. 4 Et Phanuel pater Gedor et Ezer pater Hosa.

Isti sunt filii Hur primogeniti Ephrath, patris Bethlehem.

SCHEMA VI.



Ad verba Phares-Hesron inscriptionis v. 1 spectant v. 5-10 genealogia Ashur, v. 11 sq. genealogia Caleb II, v. 13-15 genealogia Othonielis, v. 16 genealogia Cinaeorum (?).

Genealogia Ashur (v. 8 הוליד, v. 6 sq. בני) e duabus uxoribus derivat filios, et desinit in laudes Iabes, qui initium fecisse videtur excutiendi iugi Iebusaeorum.

Genealogia Ashur.

v. 5 Et Ashur patri Thecuae fuere duae uxores, Halaa et Naara.


v. 6 Peperitque ei Naara : Oozam et Hepher, et Themanaeum et Ahastharaeum. Isti sunt filii Naara.

v. 7 Et filii Halaa : Sereth et Isaar et Ethnan et Cos.

v. 8 Et Cos genuit Anob et Soboba et cognationes Aharahel fratris Rahab.

v. 9 Fuit autem Iabes inclitus prae fratribus suis. Et mater eius vocavit nomen eius Iabes dicens : Quia peperi eum in dolore.
v. 10 Et invocavit Iabes Deum Israel dicens : Si benedicens benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et removeris oppressionem, et me angustiae eripueris, — et implevit Deus precationem eius.

SCHEMA VII.



Genealogia Caleb II patris Achsae (2,49), v. 11 sq. (הוליד bis), est Cenezaeorum quorumdam, qui susceptis sacris Hebraeorum adoptione facti sunt filii Caleb II.

Genealogia Caleb II.


v. 11 Et Caleb frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon.
v. 12 Et Mahir pater Esthon genuit Bethrapha et Phesse et Tehinna patrem 'Ir Naas.
Hi viri Rechabitae, fratres Hotham Cenezaei (2,55).

Genealogia Othonielis v. 13-16 (v. 14 הוליד bis, secus בני) viri originem describit e Caleb filio Iephone, quem eundem esse censemus atque Caleb filium Hesronis; item describit posterioribus temporibus humilem conditionem cognationis viri de Israele tam egregie meriti.

Genealogia Othonielis.

v. 15 Filii Caleb filii Iephone : Hir et Ela et Naham.
Filii Ela : Ielaleel et Cenez.
v. 16 Filii Ielaleel : Ziph et Zipha, Thiria et Asrael.
v. 13 Filii Cenez : Othoniel et Saraia.
Filii Othoniel : Hathath et Maonathaeus.
v. 14 Maonathaeus genuit Ophra.
Saraia genuit Ioab patrem Vallis Opificum : opifices quippe fuere.

SCHEMA VIII.



Tandem v. 17-20 sequitur ea quam v. 1 annuntiabat, *genealogia*

Charmi (כרמי). Ezra est Azarias 2,8, ad familiam Charmi pertinens, origine fratris filius, sc. filius Ethan. Quae stirps fines Calebitarum proxime attingebat, ipsa genealogia est genealogiarum Calebitarum prorsus affinis. Sed in fine est truncata. Quantum ib. exciderit, utrum solum nomen x an alia plura, ignoramus. Fortasse erat ibi integra aliqua genealogia privata familiae cuiusdam zaraitae (v. s. p. 19).

Genealogia Charmi.

v. 17 Et filii Ezra : Iether et Mered et Epher et Ialon.

Genuitque Bethia filia Pharaonis Meredo Mariam et Sammai et Iesba patrem Esthamo. Hi filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered.

v. 18 Et uxor eius iudaea peperit Iared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoe.

v. 19 Et filii uxoris iudaeae alterius : Naham pater Ceila, et Simon pater Ioman.

Filii Naham patris Ceila : Garmita, Esthamoita, Machathaeus.


v. 20 Et filii Simon : Amnon et Rinna.

Filii Amnon : Thilon et Iesi.

Filii Iesi : Zoheth.

Filius Zoheth : x.

SCHEMA IX.



9. *Genealogia Sela* 4,21-23. Tandem, post expeditos Phares et Zara, venitur ad Selam filium Iuda natu maiorem illis. De quo perpauca habebat perspecta scriptor, eorum plura, fortasse omnia hausta e

traditione orali. Traduntur duo patres urbium, mox uti 2,50 sqq. a recitandis filiis ad recitandas cognationes descenditur, commemoratur expeditio aliqua in Moabitiden suscepta, et Selaitarum quorumdam humilis conditio aevo regum.

Genealogia Sela.

v. 21 Filii Sela filii Iuda : Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus manufacturae byssi in Beth Eshba'.

v. 22 Et suscitati sunt viri Cozba, et Ioas et Saraph, qui principes fuere in Moab, et redierunt ad sua. Haec est vetus traditio.

v. 23 Hi sunt figuli habitantes in Netaim et in Gedera; tanquam operarii regii habitant ibi.

Post prolixam 2,3-4,23 genealogiam Iuda reliquae tribus brevius expediuntur.

SIMEON 1 PAR. 4,24-43.

10. Tradit auctor pauca illa, quae de Simeonitis comperta habet. Primum nomina filiorum Gen. 46,10; dein ex antiquo sane fonte profectam, et per trium generationum filios natu minimos productam genealogiam; quartae generationis non traduntur nomina, sed summae filiorum et filiarum. Sequuntur v. 33b) sqq. recentiora quaedam; elenchus ducum, qui circa tempora Ezechiae regis novas sibi sedes quaesivere. Genealogiae v. 25-27 generationes *successivae* exprimuntur praefixo בני, filii, generationes *simultaneae* affixo nominibus בנו, filius eius.

Genealogia Simeon.

v. 24 Filii Simeon : Namuel et Iamin, Iarib, Zara, Saul.

v. 25 Filii Saul : Sellum filius eius, Mapsam filius eius, Masma filius eius.

v. 26 Filii Masma : Hamuel filius eius, Zachur filius eius, Semei filius eius.

v. 27 Filii Semei 16 et filiae 6. Sed fratribus eius non fuere filii multi, omnisque cognatio eorum non est multiplicata instar filiorum Iuda.

Sequitur v. 28-33 elenchus civitatum Simeon, re idem cum elencho Ios. 19,1-9. Deinde recitantur nomina *ducum*, qui circa Ezechiae tempora colonias Simeonitarum deduxere :


Et elenchus eorum:
Lehem v. 34 et Mosabab et Iemlech et Iosa, filii Amasiae;
v. 35 Ioel et Iehu, filii Saraiae filii Asiel;
v. 36 Elioenai et Iacoba et Isuhaia et Asaia et Adiel et Ismiel et Banaia
v. 37 et Ziza, filii Sephei filii Allon filii Idaia filii Semri filii Semei (v. 26).

v. 38 Isti nominibus relati sunt in elenchum, duces cognationum suarum; et patroeciae eorum increvere vehementer.

v. 39 Et profecti sunt ad Introitum Gerar, ad orientalem partem vallis, ut quaererent pascua gregibus suis. v. 40 Inveneruntque pascua uberrima et optima, et terram in utramque partem patentem, et quietam et pacatam, quoniam de stirpe Cham habitabant ibi ab antiquis. v. 41 Hi ergo venerunt, qui descripti sunt nominibus in diebus Ezechiae regis Iuda, et percusserunt tabernacula eorum et Minaeos, qui inventi sunt ibi, et pro anathemate deleverunt eos usque in diem hanc.

v. 42 Et de filiis Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes duces Phaltiam et Naariam et Raphaiam et Oziel, filios Iesi, v. 43 et percusserunt reliquias superstites Amalecitarum et habitaverunt ibi pro eis usque in diem hanc.

SCHEMA X.



TRANSIORDANICI 1 PAR. 5.

11. Quoad *Ruben* compendio repetit auctor facta Gen. 35,22; 48,22; 49,3 sq., et enumerat filios Ruben Gen. 46,9. Una cum Ruben *compendio* tractat *Gad* et *Manassaeos transiordanicos*. E censu Ieroboam II tradit fines et principum nomina, item bellatorum summam eius regis tempore, simulque captivitatem assyriacam commemorat. Inserit etiam narrationem duorum bellorum contra Agareos feliciter gestorum, prioris a Ioel Rubenita tempore Saul regis, secundi circa tempora Ieroboam II. Aequali ratione scribit בן, בנו, בני.

Genealogia transiordanicorum.

v. 1 Et filii Ruben primogeniti Israel : — quoniam ipse primogenitus fuit, sed, cum violasset torum patris sui, benedictio eius data est filiis Ioseph filii Israel, neque tamen relati sunt in elenchum primogeniti; v. 2 sed Iuda fortis inter fratres protulit principem, primogenita vero obvenere Ioseph — v. 3 filii ergo Ruben primogeniti Israel : Enoch et Phallu, Esron et Carmi.

Describitur porro genealogia a Ioel aequali Saul ad Beeram aequalem Teglathphalasar :

v. 4 Filii Ioel : Samia filius eius,
Gog filius eius,

Semei filius eius,
v. 5 Micha filius eius,
Reia filius eius,
Baal filius eius,
v. 6 Beera filius eius,
quem captivum duxit Teglathphalasar rex Assur; ipse fuit princeps tribus Ruben.

Statistica.

v. 7 Et fratres eius secundum cognationes suas, quando in censum referebantur secundum generationes suas; dux fuit Iehiel et Zacharias
v. 8 et Bala, filii Azaz filii Samia filii Ioel. Ipse habitavit in Aroer usque Nebo et Baalmeon.

v. 13 Et fratres eorum secundum patroecias suas: Michael et Mosollam et Sebe et Iorai et Iachan et Zie et Heber — 7.

v. 14 Hi filii Abihail filii Huri filii Iara filii Galaad filii Michael filii Iesesi filii Ieddo filii Buz.

v. 15 Achi filius Abdiel filii Guni fuit dux patroeciarum eorum. v. 16 Et habitaverunt in Galaad, in Basan et in viculis eius, et in cunctis pascuis Saron usque ad exitus eius.

v. 17 Omnes hi in elenchos relati sunt in diebus Ioathan regis Iuda et in diebus Ieroboam regis Israel.
v. 18 Filii Ruben et Gad et dimidiae tribus Manasse viri bellatores, scuta

Historia bellorum.

v. 9 Et orientem versus habitavit usque ad Introitum deserti a parte fluminis Euphratis, quoniam greges eorum multiplicati sunt in terra Galaad. v. 10 Et in diebus Saul fecerunt bellum contra Agareos, qui ceciderunt per manus eorum, et habitaverunt in tabernaculis eorum in universa plaga ad orientem Galaad.

v. 11 Et filii Gad e regione eorum habitaverunt in terra Basan usque Selcha. v. 12 Et Ioel dux, et Saphan secundus, et Ianai iudex in Basan.

portantes et gladios et tendentes arcum, et exercitati ad proelium : 44,760 expediti ad pugnam.

v. 19 Et dimicaverunt contra Agareos et Ituraeos et Naphis et Nadab. v. 20 Et auxilium contra eos acceperunt, et dati sunt in manus eorum Agarei et omnes socii eorum, quia Deum invocaverunt in proelio, et exaudivit eos, eo quod fisi essent ei. v. 21 Ceperuntque omnia, quae possidebant, 50,000 camelos, 250,000 oves, 2,000 asinos, et 100,000 homines. v. 22 Vulnerati autem multi corruerunt, quia Dei fuit bellum. Habitaveruntque pro eis usque ad exsilium.

v. 23 Et filii dimidiae tribus Manasse possederunt terram a Basan usque Baal Hermon et Sanir et montem Hermon. Ipsi fuere plurimi.

v. 24 Et hi fuerunt principes cognationum eorum : Epher et Iesi et Eliel et Ezriel et Ieremia et Odoia et Iediel, viri fortes robore, viri famosi, duces patroeciarum suarum.

v. 25 Reliquerunt autem Deum patrum suorum, et fornicati sunt post deos populorum terrae, quos abstulerat Deus coram eis. v. 26 Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assur et spiritum Teglathphalasar regis Assur, et transtulit Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse, et adduxit eos in Lahela, Habor et Ara (?) et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

LEVI 1 PAR. 6.

12. Post recitata, quae Gen. 46,11; Ex. 6,18. 20. 23. 25 de Levi habentur, traditur v. 4-15 genealogia Iosedec pontificis (הוליד — v. 49-53 בנו), qui ductus est in exsilium, procedens de patribus ad filios. Quae non habetur in libris sacris antiquioribus, sed facili ope a collectore reperiebatur. Praeservabant sc. sacerdotum familiae genealogias suas, quibus suum ius demonstrarent ad privilegia sacerdotum, imo, si id sors ferret, ad ipsum pontificatum. Ceteris sine dubio eiusmodi genealogiis accuratior servabatur eius familiae (Iosedec) genealogia, quae pontificatu fungebatur.

Genealogia Iosedec.

v. 1 Filii Levi : Gersom, Caath et Merari.
v. 2 Filii Caath : Amram, Isaar, Hebron et Oziel.
v. 3 Filii Amram : Aaron, Moyses et Maria.
Filii Aaron : Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar.


v. 4 Eleazar genuit Phinees,
Phinees genuit Abisue,
v. 5 et Abisue genuit Bocci,
et Bocci genuit Ozi,
v. 6 et Ozi genuit Zaraiam,
et Zaraias genuit Meraioth,
v. 7 et Meraioth genuit Amariam,
et Amarias genuit Achitob,
v. 8 et Achitob genuit Sadoc,
et Sadoc genuit Achimaas,
v. 9 et Achimaas genuit Azariam,
et Azarias genuit Iohanan,
v. 10 et Iohanan genuit Azariam : ipse est qui sacerdotio functus est in
templo a Salomone in Ierusalem aedificato.
v. 11 Et genuit Azarias Amariam,
et Amarias genuit Achitob,
v. 12 et Achitob genuit Sadoc,
et Sadoc genuit Sellum,
v. 13 et Sellum genuit Helciam,
et Helcias genuit Azariam,
v. 14 et Azarias genuit Saraiam,
et Saraias genuit Iosedec.
v. 15 Iosedec autem egressus est, quando transtulit Dominus Iudam e
Ierusalem per manus Nabuchodonosor.

Repetito v. 16 textu Gen. 46,11 (= h. l. v. 1) adscribuntur v. 17-19 ea, quae habentur Ex. 6,17-19 de *stirpibus primariis simplicium levitarum*.

Caput genealogiae levitarum.

v. 16 Filii Levi : Gersom, Caath et Merari.
v. 17 Et haec nomina filiorum Gersom : Lobni et Semei.
v. 18 Filii Caath : Amram et Isaar et Hebron et Oziel.
v. 19 Filii Merari : Moholi et Musi.
Et hae cognationes levitarum secundum patroecias eorum :

SCHEMA XI.



Annuntiabat textus v. 19[b] elenchum cognationum leviticarum : hic elenchus non habetur, certe non totus habetur v. 20 sqq. Describuntur duo *cantorum levitarum* ordines v. 20-30. 31-47 aevi davidici, non refertur cantorum per Davidem facta institutio cap. 16. Nihil ut patet de cantoribus nathinaeis cap. 25, qui non erant levitae, ideoque h. l. non erant commemorandi. A reformationibus levitarum cantorum transit textus ad describendas res ministrorum sacrorum tempore Davidis, primum apud sanctuarium in Gabaon. Ubi traditur genealogia Sadoc, qui ib. sacris praeerat; nihil de aliis ministris sacris Gabaone, sacerdotibus et levitis, nihil de ministris sacris in Sion, nihil de ianitoribus apud utrumque sanctuarium : documentum v. 20-53 evidenter est incompletum tam initio quam in fine (v. p. 6 sqq.).

Ordo levitarum cantorum.

Prior v. 20-30 :

v. 20 Quoad Gersom-Lobni :
Iahath filius eius[1],
Zamma filius eius,
v. 21 Ioel filius eius,
Addo filius eius,
Zara filius eius,
Iethrai filius eius.
v. 22 Filii Caath(-Isaar) :
Aminadab filius eius,
Core filius eius,
v. 23 Elcana filius eius,

Posterior v. 31-47 :

v. 31 Isti sunt, quos constituit David pro cantu domus Iahve, ex quo requiem habuit arca; v. 32 et ministrabant coram habitaculo tabernaculi testimonii canentes, donec aedificaret Salomon domum Iahve in Ierusalem. Assistebant autem in ministeriis suis per vices. v. 33 Et hi sunt praesides cum filiis[2] suis :
de filiis Caath : Heman praecentor, filius Ioel :

1. In priore columna *filius eius* exprimit *originem* sive e Gersom-Lobni, sive e Caath (-Isaar), sive e Merari-Moholi, simulque *subordinationem hierarchicam*.
2. In altera columna *filius* dicit *subordinationem hierarchicam* sive sub Heman, sive sub Asaph, sive sub Ethan seu Iduthun.

Abiasaph filius eius,
Asir filius eius,
v. 24 Thahath filius eius,
Uriel filius eius,
Ozias filius eius,
Saul filius eius.
v. 25 Et filii Elcana : Amasai et
Achimoth v. 26 et Elcana. Filii El-
cana :
Sophai filius eius,
Nahath filius eius,
v. 27 Eliab filius eius,
Ieroham filius eius,
Elcana filius eius,
Samuel filius eius,
v. 28 Filii autem Samuel : primo-
genitus eius Ioel et secundus Abia.

filius Samuel,
v. 34 filius Elcana,
filius Ieroham,
filius Eliab,
filius Nahath,
v. 35 filius Sophai,
filius Elcana,
filius Achimoth,
filius Amasai,
v. 36 filius Elcana,
filius Ioel,
filius Ozias,
filius Sophonias,
v. 37 filius Thahath,
filius Asir,
filius Abiasaph,
filius Core
v. 38 filius Isaar filii Caath filii
Levi filii Israel.
v. 39 Et frater eius Asaph, qui
stabat a dextris eius, filius Barachiae :
filius Samaa,
v. 40 filius Michael,
filius Basaia,
filius Melchia,
v. 41 filius Iethrai,
filius Zara,
filius Addo,
v. 42 filius Ethan,
filius Zamma,
filius Semei,
v. 43 filius Iahath,
filius Gersom filii Levi.

v. 29 Et filii Merari-Moholi :
Lobni filius eius,
Semei filius eius,
Oza filius eius,
v. 30 Sammaa filius eius,
Haggia filius eius,
Asaia filius eius.

v. 44 Et filii Merari fratres eorum
ad sinistram : Ethan filius Cusi :
filius Abdi,
filius Maloch,
v. 45 filius Hasabia,
filius Amasias,
filius Helcias,
v. 46 filius Amasai,
filius Boni,
filius Somer,

v. 47 filius Moholi (II)
filius Musi filii Merari filii Levi.
v. 48 Et fratres eorum levitae attributi ministerio habitaculi domus Dei.
v. 49 Et Aaron et filii eius adolebant super altare holocaustorum et super altare thymiamatis, in omni opere sancti sanctorum et in propitiationem totius Israel, secundum omnia quae praeceperat Moyses servus Dei.
v. 50 Et hi filii Aaron : Eleazar filius eius,
Phinees filius eius,
Abisue filius eius,
v. 51 Bocci filius eius,
Ozi filius eius,
Zarahia filius eius,
v. 52 Meraioth filius eius,
Amarias filius eius,
Achitob filius eius,
v. 53 Sadoc filius eius,
Achimaas filius eius.

Uti 4,28-33 adscribebantur e Ios. 19 civitates Simeonitarum, ita h. l. v. 54-81 e Ios. 21 adscribuntur civitates Levitarum.

ISSACHAR 1 PAR. 7,1-5.

13. Genealogia orditur nominibus filiorum Gen. 46,13. Describit per tres generationes familias e primogenitis derivatas. Laudat virorum fortitudinem, et e censu a Davide condito describit bellatorum numeros. בני.

Genealogia Issachar.

7,1 Et filii Issachar : Thola et Phua, Iasub et Simeron — 4.

v. 2 Filii Thola : Ozi et Raphaia et Ieriel et Iemai et Iebsem et Samuel, principes patroeciarum suarum. De Thola viri fortes in generationibus suis, numerus eorum in diebus David 22,600.
v. 3 Filii Ozi : Izrahia. Et filii Izrahiae : Michael et Obadia et Ioel et Iesia — 5, omnes principes. v. 4 Cumque eis secundum generationes suas, secundum patroecias suas, accincti ad proelium 36,000; multas enim habuerunt uxores et filios.
v. 5 Et fratres eorum per omnem cognationem Issachar, fortes robore 87,000 omnino relati sunt in elenchum.

SCHEMA XII.

Issachar		
Thola Phua Iasub Simeron	4	28,400
Ozi Raphaia Ieriel Iemai Iebsem Samuel	6	22,600
Izrahia		
Michael Obadia Ioel Iesia	5	36,000
Amri princeps 27,18 (?)	Summa	87,000

ZABULON.

14. Hanc genealogiam h. l. primitus fuisse in textu, suggerebamus p. 14. Habebat ea sola filiorum nomina Gen. 46,14.

Genealogia Zabulon.

Filii Zabulon : Sared et Elon et Iahalel. Filii Liae.

BENIAMIN 1 PAR. 7,6-11.

15. Filiorum Beniamin Gen. 46,21 haec genealogia recenset solos priores duos Bela et Bechor, eisque addit tertium Iadiel seu Iehiel patriarcham Gabaonis (9,35). Describit familias, quae ex his viris derivatae florebant Davidis tempore, laudat fortitudinem, adscribit bellatorum numeros sane ex eodem atque v. 2 Davidis censu depromptos. Est enim haec genealogia plane affinis genealogiae Issachar. בני.

Genealogia Beniamin.

v. 6 Filii Beniamin : Bela et Bechor et Iadiel — 3.

v. 7 Filii Bela : Esbon et Ozi et Oziel et Ierimoth et Urai, 5 principes patroeciarum, fortes robore; in elenchum relati 22,034.

v. 8 Filii Bechor : Zamira et Ioas et Eliezer et Elioenai et Amri et Ierimoth et Abia et Anathoth et Almath. Omnes hi filii Bechor, v. 9 relati in elenchum secundum generationes suas, principes cognationum suarum, fortes robore 20,200.

v. 10 Filii Iadiel : Balan. Filii Balan : Iehus et Beniamin et Aod et Chanana et Zethan et Tharsis et Abisahar. v. 11 Omnes hi filii Iadiel, principes patroeciarum, fortes robore 17,200, expediti ad bellum.

SCHEMA XIII.

Beniamin

Bela | Bechor | Iadiel — 3

Iadiel: Nathinaei v. Schema XIX | Balanitae

Balanitae: Iehus Beniamin Aod Chanana Zethan Tharsis Ahisahar — (7) 17,200

Bechor: Zamira Ioas Eliezer Elioenai Amri Ierimoth Abiu Anathoth Almath — (9) 20,200

Bela: Esbon Ozi Oziel Ierimoth Urai — 5 22,034

Summa 59,434

DAN 1 PAR. 7,12[b].

Genealogia sola habet verba Gen. 46,23, eaque misere deformata.

7,12[b] Filii Dan : Husim.

NEPHTHALI 1 PAR. 7,13.

Genealogia solos recenset filios Gen. 46,24.

7,13 Filii Nephthali : Iasiel et Guni et Ieser et Sellum, filii Bala.

IOSEPH 1 PAR. 7. 14-29.

16. Genealogiam esse unam, non duas (Manasse, Ephraim), demonstrat v. 29, qui ab Ephraim redit ad Manasse.

Genealogia tota est in antiquissimis factis tradendis. Recenset filios *Manasse*, unum ex uxore, alterum e concubina syra, Machir; Machiri filios ex uxoribus tribus; — *Ephraimi* filios ex uxoribus saltem duabus. A cuius primogenito derivatur Elisama, princeps tribus tempore Moysis, itemque Iosue filius Nun. Generationes simultaneae v. 20 sqq. exprimuntur voce בני nominibus propriis adscripta (cf. 4,25 sqq.). Genealogiae Ephraim, quae antiquissimis temporibus continetur, interseruntur antiquissima aliqua Ephraimitarum ante Moysen in Chanaanitide facta, eorum et Manassaeorum eo tempore in Chanaanitide sedes indicantur.

Genealogia Ioseph.

v. 14 Filii Manasse : Esriel, quem peperit x; concubina vero eius syra peperit Machir patrem Galaad.

v. 15 Machir vero sumpsit uxorem sororem Hapham et Sepham, — v. 12[a] Hapham vero et Sepham erant filii Beniamin — et nomen sororis eorum Maacha.

Nomen vero secundae y. Et peperit y Galaad. Filii Galaad : Semida et Hepher. Filii Hepher : Salphaad, fueruntque Salphaado filiae.


v. 16 Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen eius Phares; et nomen fratris eius Sares, cuius filii Ulam et Recem. v. 17 Et filii Ulam : Badan.

Hi sunt filii Galaad filii Machir filii Manasse.

v. 18 Soror autem eius (sc. Maachae) Meleketh peperit Ishchud et Abiezer et Mohola.

v. 19 Erant autem filii Semidae : Ahin et Sechem et Leci et Aniam.

SCHEMA XIV.



In sequente genealogia Ephraim adverte, Laadano attribui filios quatuor, quorum duos aliunde compertum habemus fuisse nepotes; sc. nepotes sunt filii mediate geniti.

v. 20 Filii Ephraim : Suthala

— Bared filius eius, Thahan filius eius, Laadan filius eius —

v. 21 et Ezer et Elad.


Occiderunt autem eos viri Geth nati in regione, quia descenderant, ut auferrent possessionem eorum. v. 22 Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, et venerunt fratres eius, ut consolarentur eum. v. 23 Ingressusque est ad uxorem suam, quae concepit et peperit filium et vocavit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius (sc. Ephraim) natus esset.

v. 24 Filia autem eius fuit Sara, quae aedificavit Bethhoron inferiorem et superiorem, et Ozensara.

v. 25 Rapha et Reseph et Thale, filii Thahan.

v. 26 Laadan : Ammiud filius eius, Elisama filius eius, v. 27 Nun filius eius, Iosue filius eius.

SCHEMA XV.



v. 28 Possessio autem eorum et habitatio : Bethel et vici eius, et contra orientem Noran, contra occidentem Gazer et vici eius, Sichem quoque et vici eius, usque ad Gazam et vicos eius;

v. 29 a latere filiorum Manasse, Bethsan et vici eius, Thanach et vici eius, Mageddo et vici eius, Dor et vici eius.

In his habitaverunt filii Ioseph filii Israel.


ASER 1 PAR. 7,30-40.

17. Genealogia primum recitat filios et nepotes eos, quos habet Gen. 46,17. Dein fuse explicat posteritatem tertii filii Baria. v. 32 הוליד, secus בני. Adscribitur laus fortitudinis et bellatorum summa, fortasse petita e censu Davidis. In hac re genealogia Aser est affinis genealogiarum Issachar et Beniamin; non tamen tradit summas pro singulis stirpibus, neque ad id solum conscripta est, ut tribus explicet robur bellicum, sed item ut familiarum numerum et affinitates quadamtenus explicet.

Genealogia Aser.

v. 30 Filii Aser : Iemna et Iesua et Baria, et Sara soror eorum.
v. 31 Et filii Baria : Heber et Melchiel. Filii Zelpha (?).

v. 32 Et Heber genuit Iephlat et Somer et Hotham, et Suaa sororem eorum.
v. 33 Et filii Iephlat : Phosech et Chamaal et Asoth : hi filii Iephlat.
v. 34 Et filii Somer fratris eius : Roaga et Haba et Aram.
v. 35 Et filii Hotham fratris eius : Supha et Iemna et Selles et Amal.
v. 36 Et filii Supha : Sue, Harnapher et Sual et Beri et Iamra, v. 37 Bosor et Hod et Samma et Salusa et Iether et Bera.
v. 38 Et filii Iether : Iephone et Phaspha et Ara.
v. 39 Et filii Ara : Aree et Haniel et Resia.
v. 40 Omnes hi filii Aser, principes patroeciarum, electi inter fortes robore, capita ducum, relati in elenchum pugnatorum expeditorum, numero viri 26,000.



18. Extremo cap. 7 absolutas habes duodecim tribuum genealogias. Vel ipse v. 1 capitis 8 non orditur consueta in hisce genealogiis formula : Et filii etc., sed vocibus : Et Beniamin genuit. Sequuntur porro documenta duo, cap. 8 et cap. 9. Scriptor 9,1 diserte profitetur, sicut scriptae ante exsilium sint genealogiae, ita sibi scribendas videri genealogias exsilio posteriores, eiusque operis se facere initium. Post quae tradit non genealogias, sed elenchum eorum, qui brevi post exsilium habitabant in Ierusalem et Gabaone. Est igitur cap. 9 velut secunda pars, inchoata, non absoluta, Libri genealogiarum; non est cur de ea h. l. plura dicamus.

Sed ipse textus 9,1 demonstrat, cap. 8 intimius necti capitibus 2-7 quam capiti 9. Habet genealogias duas.

Genealogia 8,1-28 est beniaminaea. Habet partem antiquiorem v. 1-7, quae eius temporis commemorat facta quaedam, quo arca versabatur in Cariathiarim (Manahath). v. 1. 7 הוליד.


Genealogia beniaminaea.

v. 1 Et Beniamin genuit Bela et Bechor et Asbel et Ahara v. 2 et Nohaa et Rapha.

v. 3 Et fuere filii Bela : Addar et Gera et Abiud v. 4 et Abisue et Naaman et Ahoe.

v. 5 (Et Gera?) et Sepham et Hapham v. 6 et Ela : filii Ahoe. Hi principes patroeciarum habitantium in Gabaa translati sunt in Manahath, v. 7 et Naaman et Ahoe. Et Gera ipse transtulit eos. Et genuit Oza et Ahiud.


SCHEMA XVII.



Habetur porro h. l. in hac genealogia beniaminaea longior lacuna, a tempore Davidis, quod equidem suspicor, usque ad tempus exsilii. Quae incipit ante v. 8 vel etiam ante v. 7^b, ut non sit certum Oza et Ahiud esse filios Gera (v. i.). Post quam lacunam legitur Saharaim quidam e concubina, uti videtur, moabitide genuisse filios duos, dein, ea fortasse repudiata (cf. 1 Esdr. 10; 2 Esdr. 13,23 sqq.) ductaque uxore hebraea Hodes, genuisse filios alios. At plurimum multiplicati sunt posteri filiorum concubinae, quorum porro texitur genealogia.

v. 8 Et Saharaim genuit in regione Moab de concubina sua Mehusim et Baria, duos hos;
v. 9 genuit autem de uxore sua Hodes Iobab et Sebia et Mosa et Molchom
v. 10 et Iehus et Sechia et Marma; hi sunt filii eius, capita patroeciarum.
v. 11 Mehusim vero genuit Abitob et Elphaal (I).
v. 12 Filii Elphaal (I) : Heber et Misaam et Samad. Hic aedificavit Ono et Lod et vicos eius.
v. 13 Baria genuit Elphaal (II) et Sama — Hi principes patroeciarum habitantium in Aialon, hi fugaverunt Gethaeos — v. 14 et Ahi et Sesac et
Ierimoth v. 15 et Zabadia (I) et Arod et Heder v. 16 et Michael et Iespha
et Ioha — filii Baria.
v. 17 Et Zabadia (II) et Mosollam et Hezeci et Heber v. 18 et Iesamari
et Iezlia et Iobab — filii Elphaal (II).
v. 19 Et Iacim et Zechri et Zabdi v. 20 et Elioenai et Selethai et Eliel
v. 21 et Adaia et Baraia et Samarath — filii Sama.
v. 22 Et Iespham et Heber et Eliel v. 23 et Abdon et Zechri et Hanan
v. 24 et Hanania et Aelam et Anathothia v. 25 et Iephdaia et Phanuel —
filii Sesac.
v. 26 Et Samsari et Sohoria et Otholia v. 27 et Iersia et Elia et Zechri
— filii Ierimoth.
v. 28 Hi capita patroeciarum suarum secundum generationes suas. Capita haec habitavere in Ierusalem.

SCHEMA XVIII.



Hanc genealogiam v. 29-40 excipit altera item beniaminaea, sc. Gabaonitarum, qui cum foedere Hebraeorum tempore Iosue sacra etiam Hebraeorum susceperant et tribui Beniamin fuerant accensiti, seu accuratius *Nathinaeorum*, etenim cognationes Gabaonitarum non Nathinaeorum (Balanitarum) habes 7,10 sq. (cf. Schema XIII). Cur duae genealogiae v. 1-28 et v. 29-40 in unum documentum cap. 8 coaluerint, cf. p. 13. Habes הוליד v. 32-34. 36 sq; בן, בני, בנו v. 34 sq. 37. 39.

Genealogia Nathinaeorum.

v. 29 In Gabaon autem habitaverunt Iediel pater Gabaon, et nomen uxoris eius Maacha; v. 30 filiusque eius primogenitus Abdon, et Sur et Cis et Baal et Ner et Nadab v. 31 et Gedor et Ahio et Zacher et Macelloth.

Initium hoc antiqua quaedam facta commemorat : nomen uxoris, primogenitum, titulum patris Gabaon. Tamen non videtur continua ab Abdon recitari genealogia, sed cognationes, quae tempore fere Davidis erant, similiter atque 7,10. Quare haec neque in Schemate infra describimus, sed genealogiam ordimur ab Abiel, qui 1 Reg. 14,51 exstitit pater Cis et Ner.

v. 32 Et Macelloth genuit Samaa; isti habitaverunt ex adverso fratrum suorum in Ierusalem, cum fratribus suis.

v. 33 Ner autem genuit Abner, et Cis genuit Saul. Et Saul genuit Ionathan et Melchisua et Abinadab et Esbaal.


v. 34 Filius Ionathan Meribbaal,
et Meribbaal genuit Micha.

v. 35 Filii Micha : Phiton et Melech et Tharaa et Ahaz.

v. 36 Et Ahaz genuit Ioada,

et Ioada genuit Alamath et Azmoth et Zamri,
et Zamri genuit Mosa.
v. 37 Et Mosa genuit Banaa,
et Banaa genuit Rapha,
et Rapha genuit Elasa,
et Elasa genuit Asel.
v. 38 Asel vero sex filii fuerunt his nominibus : Ezricam, Bocru, Ismahel,
Saria, Obdia et Hanan : omnes hi filii Asel.
v. 39 Filii Esec fratris eius (sc. Asel) : Ulam primogenitus, et Iehus se-
cundus, et Eliphalet tertius.
v. 40 Fueruntque filii Ulam viri robusti et sagittarii, multosque habentes
filios ac nepotes, 150.
Omnes hi filii Beniamin.

SCHEMA XIX.



II. Genealogiarum indoles, finis et forma.

1. Inter genealogias habentur tres, quae *evidenter* sunt *affines* inter se : genealogia Caleb-Ephrath 2,18-24 et, quae sunt unum documentum 7,14-29, genealogiae Manasse et Ephraim.

Genealogia Ephraim orditur ab eo tempore, quo ipse patriarcha Ephraim superstes erat. Cui duo filii a Gethaeis interimuntur. Ipse pro solatio ingreditur ad uxorem et generat alium filium Bariam. Explicatur origo omnium earum cognationum ephraimitarum, quas Num. 26 habet.

In genealogia Manasse fata primogeniti Esriel absorpsit lacuna, quam in textu ipsi Masor. indicant. In primogeniti locum subintravit Machir, cuius e tribus uxoribus filii recensentur, quorum celeberrimus Galaad. Explicatur origo omnium earum cognationum manassaearum, quas Num. 26 habet. Simul discernuntur filii Galaad seu Manassaei illi, qui trans flumen consedere, a Manassaeis, qui cis flumen possessionem sortiti sunt.

Genealogia Ephrath refert, quomodo Caleb hesronita ex Ephrath machirita genuerit virum insignem Hur. Dein ipse Hesron abripuit Ephratham et ex ea procreavit stirpem Iair, quae non Iudaeis sed Machiritis accensebatur. Mortuo Hesrone Caleb recepit Ephratham et ex ea genuit alterum filium insignem, Ashur patrem Thecuae.

Sed genealogia Ephrath aliis genealogiis *evidenter affinibus* completur.

Genealogia ipsius Caleb $2,42\text{-}50^{aa}$ recitat Calebi posteritatem ex uxore primaria duabusque concubinis. Genealogia habet septem patres urbium. Filii uxoris primariae nacti sunt sedes Hebrone et prope Hebronem, in eo Montis Iuda tractu quem Calebo in deserto attribuerat Deus. Filii concubinarum haereditatem accepere primum in Negeb occidentali. Nomen Achsa evidenter respicit acta Othonielis.

Genealogiam Caleb continuat genealogia Hur $2,50^{a\beta}\text{-}55$. Huritae Sobalitae consident circa Cariathiarim, Huritae Salmaitae circa Bethlehem. Illis adscribebantur Hevaei seu Gabaonitae, incolentes munitionem Bethgader in Cariathiarim; his Cinaei seu verius Cenezaei habitantes in Iabes. Genealogiae extrema attingunt aevum Davidis. Habentur patres urbium tres.

Genealogia Sobal Huritae 4,2 est de coloniis de Cariathiarim emissis Saraam.

Genealogia Huritarum Salmaitarum 4,3 sq. habet tres patres urbium. Extenderunt illi fines suos usque Etam, Gedor et Socho (?).

Genealogia Ashur fratris Hur 4,5-10 viri recenset filios e duabus uxoribus. Cui stirpi accensebatur familia Aharahel fratris Rahab meretricis ierichuntinae, e qua familia prodiit Iabes, vir pius et fortis, qui hostibus debellatis fines ampliavit.

Vides his omnibus *compleri genealogiam Ephrath*. Genealogiae vero hae Calebitarum efficiunt unum quid cum genealogiis Manasse et

Ephraim, communem habent indolem, atque e communi *fonte* videntur esse profectae. Non sunt nudae *genealogiae*, sed *topographia* simul et *historia*. Habent patriarcham Ephraim superstitem, et Iosephitarum sedes quasdam in Palaestina ante Moysen, habent acquisitiones urbium aevo Iosue; nihil in illis est, quod initia regni Davidis excedat. Sunt haec initia quaedam historiae Iuda et Ioseph, seu historiae Iuda et Israel, profecta utique ab auctore iudaeo, qui eorum, quae Iuda spectabant, habuit fontes copiosiores, et ea ipse etiam tractaturus erat copiosius.

Habentur alia quaedam earumdem genealogiarum *affinia*, sed minus intime cum illis connexa : genealogiae Caleb II et Othonielis, quas suspicamur esse Cenezaeorum ad fidem Hebraeorum conversorum : 4,11-16; genealogia Charmi 4,17-20, quae e tribus uxoribus derivat filios Mered, inter quos patres urbium sex. Quarum uxorum una, cum sit filia Pharaonis, nos revocat ad exodi tempus. Genealogia Sela 4,21-23 habet patres urbium duos, praeterea aliqua e traditione orali petita. Genealogia Ierameel prior 2,25-33 e duabus uxoribus repetit posteritatem Ierameel fratris Caleb, quae parum videtur aucta esse numeris; patres urbium non habet, sed stirps illa pastorum fortasse caruit urbibus.

Nota, haec omnia spectare solam tribum Iuda.

2. Quae supersunt genealogiae, comparatione genealogiarum Iuda et Ioseph, sunt *accessoria* atque intervalla veluti illarum genealogiarum explent. Fons sc., e quo sunt derivatae genealogiae Iuda et Ioseph, non videtur reliquarum tribuum ex ordine recitasse genealogias et historiam explicasse, sed solas res Iuda et Israel pertractasse. Cum porro ex illo fonte praesto essent genealogiae Iuda et Ioseph tam articulatae, in votis fuit, ut reliquarum item tribuum genealogiae aliunde producerentur.

Sunt igitur genealogiae aliae, ab iis quas discussimus diversae, nihil habentes antiquissimae historiae neque uxorum neque patrum urbium, imo quae *documenta recentiora*, sc. aevi regum, diserte appellant. Hoc genealogiarum genus orditur a recitandis singulorum patriarcharum filiis iis, qui habentur Gen. 46. E quibus non continuis generationibus cognationes evolvit, sed illico enumerat cognationes illas, quae tempore Saul vel David vel Ioatham vel Ezechiae floruerunt, adscriptis ex eorumdem regum censibus quibusdam summis bellatorum.

Habes 7,1-11 genealogias Issachar et Beniamin perquam affines inter se, quarum fons potissimus census David. Recitantur Beniamini filii duo tantum, ut apparet ii quorum posteritas aevo Davidis flore-

bat; his tertius adscribitur patriarcha Gabaonitarum, cum suis tribui Beniamin accensitus. Plus genealogiae habet genealogia Aser 7,30-40, sed desinit in censum etiam ipsa. Genealogia Simeon 4,24-43 post aliquid genealogiae e Ios. 19 describit elenchum urbium simeonitarum, dein ad quaedam acta aevi Ezechiae transilit. Genealogia transiordanicorum cap. 5 e Gen. 46 recitat filios Ruben, non autem filios Gad, recitat principum nomina qui fuere tempore exsilii, acta quaedam Ioel Rubenitae aequalis Saul, duo bella contra Agareos. Auctor in unum congerit, quaecunque de transiordanicis comperta habet; quae non sunt multa.

Sunt genealogiae, quae sunt *nudae genealogiae* procedentes a patre ad filium : genealogia Ierameel altera 2,34-41, unius viri vel familiae originem describens; genealogia Iosedec pontificis 6,4-15; extrema genealogiae Davididarum 3,17-24, conspectus familiarum, quae a Zorobabele derivabantur.

In infimo gradu collocatae sunt genealogiae illae, quae *nihil aut fere nihil habent, quod non habeant libri canonici antiquiores* : initium genealogiae Iuda 2,1-6; genealogia Ram 2,10-17 e libris Ruth et Samuelis congesta; genealogia Davididarum usque ad exsilium 3,1-16 e libris Regum excerpta. Agmen claudunt genealogiae Zabulon, quam noster textus jam non habet, Dan et Nephthali, quae praeter nomina Gen. 46 habent plane nihil.

3. Igitur in genealogiis duodecim tribuum cap. 2-7 distinguimus *documenta petita e fontibus non canonicis* ab aliis, quae *ex historiis canonicis antiquioribus petita* sunt : illa his circumcluduntur veluti gemmae auro. Habent vero haec pauca quaedam aliunde petita, sc. sive e fontibus scriptis sive ex orali traditione : cf. 2,8 Azariae nomen, 2,14 sq. nomina trium fratrum Davidis.

Ex historiis canonicis petuntur (praeter cap. 1) : caput genealogiarum 2,1-8, genealogia Ram 2,10-17, genealogia Davididarum usque ad exsilium 3,1-16, elenchus urbium simeonitarum 4,28-33, generaliora de Ruben 5,1-3 et de Levi 6,1-3. 16-19 cum elencho urbium leviticarum 6,54-81, tandem capita genealogiarum Issachar, Beniamin (partim), Dan, Nephthali 7,1. 6. 12^{b}. 13.

Petuntur ea e libris Gen., Ex., Num., Ios., Ruth, 1-4 Reg.; nihil e Lev. et Deut., sed hi duo libri vix quidquam habent, quod ad genealogiam spectans in aliis libris non iam habeatur. Nihil ex Iud.

Genealogiae, quae pro complementis genealogiarum maiorum adscribuntur, saepe ordiuntur ab elenchis filiorum iis, qui habentur Gen. 46; Ex. 6; Num. 26. Tamen non omnia in genealogias congeruntur, quae in eas congeri possent : nihil de Lot, Laban, Core, Dathan, Abi-

ron etc. Non studet collector nomina in genealogias congerere omnia : quoad principes Num. 1,4 sqq. soli Aminadab filius Nahasson et Elisama filius Ammiud, quoad exploratores Num. 13,4 sqq. soli Caleb et Iosue in genealogiis reperiuntur. Auctor non fingit affinitates, non quaecunque nomina antiquae historiae habent, ea arbitrio suo genealogiis contexit, sed *religiose* tradit ea quae habet.

Documentorum vero, quae *e fontibus non canonicis* profecta sunt, tres distinguimus classes.

a. Sunt *genealogiae antiquissimae*, habentes cum genealogiis facta quaedam antiquissima; distinguunt diversas unius viri uxores, primogenitum; ab originibus singulorum transeunt ad explicandas origines familiarum, ubi documenta iudaea commemorant etiam patres urbium et alienigenas ad fidem Hebraeorum conversos (2,9. 20. 51. 55; 4,8. 12. 16).

b. *Genealogiae recentiores* nihil tradunt de rebus antiquissimis, sed habent facta aevi regum.

c. Genealogiae, quae sunt *genealogiae tantum*, non facta tradunt, sed origines virorum seu familiarum explicant, constant fere nominibus propriis. Ita genealogia Ierameel altera, et complementum genealogiae Ram 3,17-24.

Nota, in ipsis libris canonicis, imo in ipsa una Genesi reperiri specimina singularum harum classium genealogiarum. Habes Gen. 4,17-26 genealogiam Cainitarum tradentem antiquissima facta, habes Gen. 36,31-39 elenchum regum Edom tradentem recentiores historias, habes Gen. 5;11 genealogias individuorum, Gen. 10 genealogias familiarum seu stirpium. Ergo, quod 1 Par. 1-8 reperiantur item diversarum earum classium specimina, non ex hoc uno sequitur, scriptorem illa hausisse e *fontibus immediatis* diversis; potuit variarum classium specimina in uno libro reperire. Tamen scriptorem varios contexuisse fontes ob alias rationes persuasum habemus.

Duos distinguimus scriptores : *excerptorem*, qui genealogias e documentis non canonicis extraxit seu collegit, et *redactorem*, qui excerpta in singulas tribus distribuit et cum genealogiis canonicis composuit. Redactor hic genealogias canonicas nequaquam e documentis non canonicis *emendabat*, sed *complebat* tantum. Genealogias canonicas tradit tales, quales in libris canonicis habentur, alia illis vix unquam admiscet, eaque minima tantum (v. g. 6,10). Illa summa auctoritate habet; sed veretur item documenta illa nondum canonica cupitque, quod equidem sentio, ne disperdantur praecavere.

4. Igitur 1 Par. 1-9 vere est *liber genealogiarum* gentis electae. Quae traduntur nequaquam *completae*, sed eatenus tantum, quantum ferebant qui praesto erant *fontes*. Consilium eius libri compingendi sug-

gessere copiosa illa excerpta historiarum *Iuda*, quae sunt libri pars omnino *potissima*. Completur autem liber adscriptis aliis e fontibus tam canonicis quam non canonicis depromptis. Cap. 8 est *annexum*, cuius indolem infra explicabimus. Cap. 9 est *initium secundae partis Libri genealogiarum*, quae scribenda erat de genealogiis exsilio posterioribus. Quae pars inchoata tantum habetur, non absoluta. Cap. 1 est *complementum* libro praefixum tum, quando cap. 2-9 vel certe cap. 2-7 erant absoluta, excerptum e sola Genesi, genealogias gentis electae revocans a Iacob ad Adam.

Finis igitur *excerptoris* is fuit, extrahere ex historiis non canonicis ea, quae genealogias spectabant. Finis *redactoris* fuit excerpta haec ad eam formam revocare, qua certius conservarentur, ad formam sc. libri genealogiarum duodecim tribuum. Finis *chronistae* eum librum recipientis in librum suum fuit is, qui nomine Paralipomenon exprimitur, sc. praeservandi atque ad posteros transmittendi documenti cuiusdam perutilis, quod historiae sacrae antiquiores ignorabant.

Igitur finem libri minus accurate describit *Kittel* p. VI : « Liber » chronicon, « instar librorum chronicorum medii aevi pluriumque posteriorum historiarum semiticarum, orditur a creatione mundi, primumque producit historiam ab Adam ad David per genealogias. Ex eo, quod haec pars fere solas genealogias habet, deprehenditur esse scripta tamquam praeparatio eorum quae sequuntur. »

Genealogiae non consuevere scribi tantummodo tamquam aliarum rerum praeparatio, sed scribuntur etiam propter se. Finis harum genealogiarum non est producere historiam a creatione mundi ad Davidem, cum de Davide post 3,9 vix quidquam habeatur, et genealogiae plures longe ultra Davidem excurrant. Neque finis est praeparare historiam sanctuarii, cum vel sanctuarium sinaiticum taceatur. Quod liber genealogiarum desinat in genealogiam Saul, cuius interitum refert cap. 10, neque efficit cap. 1-9 scripta esse tamquam praeparationem cap. 10, cum cap. 9 sit secunda pars inchoata, non absoluta libri genealogiarum. Certe non unus auctor eo consilio scripsit cap. 1-9, ut praepararet narrationem cap. 10-29. Praeplacet sistere in eo fine, quem ipsum nomen Paralipomenon exprimit, quam alium finem gratuito affingere. Cum libri genealogiarum pars potissima utique respiciat tempora Davide anteriora, vix alio loco chronista eum librum collocare potuit, nisi *ante* acta Davidis cap. 10-29, sed num ideo collocavit tamquam praeparationem?

Neque satis vere *Kittel* p. VII sq., quod fusius tradantur genealogiae Iuda, Levi, Beniamin, id censet consilio chronistae factum, qui voluerit potissimum describere origines familiarum earum, quae ex

exsilio rediere in Ierusalem fuereque ex illis tribubus oriundae. Non fuse traduntur genealogiae Beniamin 7,6-11 neque Levi 6,1-19. Excerptor ante exsilium scribebat, usus documentis quae in regno Iuda reperiebantur, ideoque potissimum de illis tribubus agebant. Chronista genealogias tradebat, quales reperiebat.

Perperam *Ber.* censet cap. 1-3 describi origines *Davidis,* cap. 4-7 genealogias *tribuum,* imprimis 4,1-23 *Iuda.* Plurima habent cap. 1-3, quae non referuntur ad Davidem, dum cap. 2 sq. omnino refertur ad tribum Iuda. Cap. 1 tamquam praeambulum a sequentibus secernatur oportet.

Censet idem, 1,1-23 describi generationes 10 ab Adam ad Noe, 3 filios Noe et 70 populos ex his derivatos : sc. Iaphethidas 14, Chamitas 30, Semitas 26, — summam 70; — 1,24-54 describi generationes 10 a Sem ad Abraham, 70 tribus ex Abraham derivatas, et adscribi reges et duces Idumaeorum : sc. Ismaelitas 12, filios Ceturae 13, filios Isaac 2, posteros Esau 43 — summam 70; — 2,1-33 describi filios Israel 12 et 70 posteros Iuda : sc. filios Iuda 5, Hesron et Hamul 2, filios Zare 5, Charmi et Achar et Azariam 3, posteros Ram 21, posteros Caleb 10, posteros Ierameel 24 — summam 70; — 2,34-55 censet esse appendices, cap. 3 describere posteritatem David. Plurimo artificio utitur Bertheau ad demonstrandos 70 populos, 70 tribus, 70 posteros Iuda.

Net. non confundit cap. 1 cum sequentibus, sed censet, in genealogia Iuda 2,3-4, 23 eundem atque in Genesi observari ordinem, ut rami accessorii expediantur ante ramum principalem (CG p. 3), hinc Selam filium Iuda natu maiorem ad calcem relegari : sed ramus natu maior non idem necessario est principalis, rami principales fuere Isaac et Iacob, qui natu minores exstitere Ismaele et Esau, et post hos explicantur. Sela certissime non est ramus principalis, sed minus floruit quam Phares et Zara, Ram et Caleb ; appendicis instar ad calcem genealogiae Iuda relegatur. Placitum suum conatur Neteler demonstrare rationibus non satis certis.

Sc. non oportet interpretem proficisci ab hypothesi, chronistam genealogias eodem ordine texere, quo texebantur genealogiae Geneseos; quae hypothesis alteram fere supponit hypothesin, chronistam genealogias cap. 1-8 continuo calamo fudisse et ab initio structuram Geneseos in mente habuisse. Prior hypothesis falsa adstruitur, cum auctor evidenter in manibus habuerit diversa documenta, quae ad ordinem revocaverit eum, non quem Genesis praemonstrasset, sed quem documentorum indoles suggereret. Altera hypothesis gratuito adstruitur, cum cap. 1 aeque commode, imo commodius adstruatur *post* con-

cinnata cap. 2-7, fortasse etiam ab alio scriptore esse adscriptum. Auctori Libri genealogiarum non illud in animo erat Genesin imitari et continuare, sed e libris canonicis et non canonicis congerere genealogias Israelis.

5. Genealogiarum *formam* quod attinet, notamus haec.

a. Plurima, imo pleraque *nomina* sunt *individuorum hominum* : ea, quae unius viri stemma tradunt, v. g. Davidis. Sane plurium virorum 2,10-17 libri sacri historias tradunt : Nahasson filii Aminadab, Booz, Isai, David etc. Ergo omnia eius elenchi nomina sunt individuorum. Item nomina elenchi regum Iuda. *Determinata facta* saepe indubie individuorum referuntur : habes Her, Onan, Sela, Phares, Zara, Achar, quatuor sapientes 2,6, Hur, Bezeleel, Caleb, Iabes, Selaitas 4,22, Ephraim 7,21 sq. etc. *Coniugia* et *uxores* pertinent ad individua, non ad populos. 2,18-24 est narratio coniugiorum Calebi et Hesronis. Caleb, cuius 2,42 sqq. uxores et concubinae recensentur, est individuus homo. Item Ierameel 2,25 sq., Sesan et Oholai 2,31. 34 sq., anonymus 4,3 sq., Ashur 4,5 sqq., Mered 4,17-19, Manasse et Ephraim 7,14 sqq. Quando *filii* et *filiae* recitantur una, tam illi quam hae sunt individui homines : 2,25 (v. i.); 3,19; 4,3; 7,24. 30.

Exponebamus CNJ, p. 173 systema. *Wellhausen*, qui, genealogias semiticas affirmans esse *metaphoricum* dicendi genus, nomina omnia interpretatur esse *familiarum*, stirpium, *filios* interpretatur familias quomodolibet a paterna stirpe derivatas, *uxores* stirpes aliis stirpibus infirmiores, quae *coniugiis* absorbeantur. De quo systemate non est, cur h. l. plura dicamus, cum illud protestantes etiam in dies plures repudient. In eo profecto erravit Wellhausen, ut in illis studiorum suorum immaturis primitiis solum cap. 2 et 4, non totas una genealogias cap. 1-9 exponendas susceperit, et ut textum exposuerit antequam vertisset, atque ita gratuita sua praeiudicia in illum transtulerit. Verum in his remittimus lectorem ad CN. — De indole nominum 6,20-47 v. i.

Sed illud profecto certum est, plura in genealogiis nomina esse nomina *individuorum simul et familiarum*. Familia appellabatur nomine progenitoris sui : id in nominibus tribuum evidens est. Praeterea advertas, nostrates genealogiis explicare potius origines *individuorum* hominum, Hebraeos uti reliquos Semitas explicasse potius origines *familiarum*. « Nobis individui hominis iura sunt res primaria, iura familiae res accessoria : Semitis res potissima est familia, res secundaria individuus homo. Hinc nati sunt eorum canones iustitiae vindicativae, qui dissonant a cogitatis nostris; proponuntur praemia et poenae familiis pro actis singulorum; confunduntur patres cum filiis, stirpis progenitor cum suis posteris ». *F. Prat* : artic. « Généalogie » in *Vigouroux* : Dictionnaire de la Bible. Hinc ipsa progenitorum nomina fiunt nomina familiarum ex ipsis derivatarum, imo etiam

finium earumdem familiarum. Ephraim est nomen filii Ioseph, totius eius filii posteritatis, finium eiusdem posteritatis. Quandoque vicissim locorum nomina scribuntur pro stirpibus ib. incolentibus earumve progenitoribus : ita 7,8 Anathoth et Almath.

Neque gratuito supponendum est, familiarum nomina usque eadem permansisse, aut eas semper appellatas esse ab uno eodemque progenitore. Quando David ad regnum assumebatur, mox appellabatur eius familia domus David. Quodsi familia aliqua decursu temporum nomen progenitoris commutabat cum alio nomine, nequaquam erat ab indole Hebraeorum alienum, ut ipse iam etiam progenitor hoc recentiore nomine designaretur. Quod facile concesserim factum esse in nomine Galaad, cuius sc. posteri a regione quam incolebant vocati sunt filii Galaad, deinde ipse eorum progenitor filius Machir, cuius nativum nomen ignoramus, vocatus est Galaad.

Elenchi individuorum quandoque aperte transeunt in elenchos familiarum, ut priora elenchi nomina sint individuorum aut etiam individuorum, posteriora nomina sint familiarum aut pagorum tantum. Ita 2,50-55. Sobalo patri Cariathiarim et Salmae patri Bethlehem *filii* attribuuntur *cognationes* plures. Cf. 3,17-24; 4,21 etc. Iuxtaponuntur nomina individuorum et nomina patronymica 2,9; 4,2. 6. 8. 13 sq. 19. Quae patronymica quandoque a nominibus urbium derivantur, v. g. 2,53; 4,2. 19.

Certe non viri omnes, quorum nomina genealogiae habent, in distinctas familias effloruere : cf. 2,3.30.32; 6,3; 23,11.

b. Quandoque tacetur *primae*, traditur *secundae uxoris* nomen. Sc. uxorum praeter primae nomina norma erant nobilitatis filiorum et haereditatis illis tribuendae. Nobilitate primi erant filii primae uxoris : filii Caleb simpliciter, non erat cur 2,42 matris nomen adscriberetur; sequebantur filii alius uxoris Azubae, filii Caleb-Azuba 2,18; dein filii concubinarum, filii Caleb-Epha et Caleb-Maacha 2,46. 48. Filii Ram simpliciter erant filii primae uxoris anonymae 2,25; sequebantur filii Ram-Atara 2,26. Mulieres non recensentur propter se, sed propter filios. Quandoque est ratio adscribendi nominis primae uxoris, v. g. nobilitas Bethiae fiiliae Pharaonis 4,18.

c. Propter specialem rationem adscribuntur quarumdam *filiarum* nomina : Thamar 3,9 propter stuprum, Saruia et Abigail 2,16 sq. propter utilia coniugia. Similes crediderim fuisse rationes adscribendarum aliarum quarumdam filiarum, quarum acta non iam comperta habemus. Quae semper scribuntur *post* filios ex *eadem* matre natos; 2,25 Asom (v. i.); 3,19 Salomith; 4,3 Asalelphuni; 7,24 Sara; 7,30 altera Sara; 7,32 Suaa.

d. *Alienigenae Hebraeis aggregati* semper scribuntur ultimo loco inter filios unius alteriusve uxoris : 2,9 Caleb ; 2,51 Hariph ; 2, 55 Cinaei seu verius Cenezaei ; 4,8 Aharehel ; 4,11 sq. Cenezaei ; 7,6 Gabaonitae.

e. *Quae lectoribus nota supponuntur*, exprimuntur quandoque ea brachylogia, quae in errorem inducat lectorem suppositi ignarum vel immemorem. 1,4 scribitur « Noe, Sem, Cham et Iapheth », quasi Cham fuerit filius Sem, et Iapheth filius Cham, plane ita uti Sem est filius Noe. 1,17 habes « Aram et Hus et Hul et Gether et Mosoch » ; Aram est pater quatuor eorum, qui post eum scribuntur. 1,36 « Cenez, Thamna, Amalech » : Cenez et Amalech sunt filii, Thamna uxor. 2,7 non explicatur ratio inter Charmi et Zamri (cf. ad 4,17). Nullibi explicatur, cur Caleb filius Hesronis idem vocetur Caleb filius Iephone (cf. p. 71 sq.). Absolute fieri potest, ut in textu habeantur aliqua alia, quae facile primi lectores recte intelligerent, nosque facile perperam intelligamus, quia nobis quaedam sunt impervia quae illi norant. Neque id obest inspirationi : quippe eiusmodi documentis, qualia sunt genealogiae, illud proprium est, ut facilius intelligantur ab his pro quibus immediate scripta sunt, ab aliis vero *caute* sint legenda.

f. Ubi traditur *summa filiorum* (2,6 « simul quinque » ; 2,15 « septimus David » etc.), ea proxime significat tot filios velle scriptorem enumerare, vel tot reperisse in suo fonte : potuere revera esse filii plures.

Ceterum *summae* adscribuntur 7, 1. 3.6. 7 in genealogiis Issachar et Beniamin, item 5,13 in genealogia Gaditarum, quae sunt documenta recentiora (cf. 8,38) ; in genealogia Phadaiae 3,20. 22-24, quae est recentissima ; in textibus, qui sunt collectoris, 2,4.6 ; 3,4 sq. 8. Sed summae, etiam ubi scribuntur, *non constanter* scribuntur : scribuntur 3,20. 22-24, sed non scribuntur v. 18 sq. 21 ; scribuntur 7,1. 3. 6. 7, sed non scribuntur v. 2. 8. 10. Quibus versibus non sunt credendae e textu excidisse, sed auctores illi non scribebant systematice. Filii distinguuntur numeralibus ordinalibus (primogenitus, secundus etc.) 2,13-15 ; 3, 1-3. 15, quae sunt collectoris ; et 8,1 sq. 39, quae sunt recentiora. Videtur hic usus loquendi invaluisse aevo regum, quando census ex ordine conscribi coepti sunt, atque item post exsilium esse observatus. In documentis antiquissimis non habetur.

II. Genealogiarum origo.

Auctorem libri genealogiarum usum esse *fontibus*, et per se patet et supra affirmabamus. Qui illi fontes fuerint, superest examinandum.

1. Ac primum quidem 9,1 explicite citatur fons *Liber regum Israel*, qui item alibi appellatur Liber regum Iuda et Israel, habebatque

utique copiosiorem historiam actorum regum. E quo fonte derivabis genealogias quas dicebamus recentiores, census regum etc. Quodsi eidem reliqua etiam attribuas, quae tempora Moysis et Iosue attingunt, id impune quidem facies, sed parum probabiliter. Licet enim Iudaei libris nomina dederint quandoque non a tota materia, sed ab eius parte aliqua (CJ[1] p. 1), atque hinc totam aliquam inde a Moyse historiam appellaverint librum regum, at veri longe similius illud videtur, eos eiusmodi historiae plures habuisse libros, et singulos suis appellasse titulis. Crediderim, 9,1 efferri fontem *extremum,* non unicum, e quo fluxerint genealogiae; at, quod potissimum est, indicatur *genus fontium,* qui hac in re adhibebantur.

Constat, apud Hebraeos fuisse historiarum narrationes alias praeter eas, quas libri canonici habent. Erant annales. Libri Reg. et Par. plura citant scripta, quae ad nos non sunt perlata quaeque, ut communis fert opinio, potuere aliqua saltem esse inspirata. CEL p. 3 sqq., CN p. 213 sqq., CD p. 87 sqq., CJ[1] p. 77 sqq. suggerebamus, ipsas quas in canone habemus narrationes rerum Moysis et Iosue habuisse aliquando plura, quae in nostris libris canonicis desiderantur.

Genealogiae canonicae profectae sunt e narrationibus canonicis : suggero, genealogias non canonicas profectas esse ex illis narrationibus non canonicis.

Fuerit igitur scriptum, quod res aevi mosaici narraverit copiosius, quam in pentateucho narrantur, fortasse ipse liber Exodi primigenius ea habens de sacerdotibus praemosaicis aliisque rebus, quae noster liber Exodi silet : ei scripto attribuas *genealogiam Ioseph,* quae aliqua refert quae ante Moysen et alia quae Moyse superstite acta fuere.

Fuerit scriptum idem vel aliud, fortasse ille quem CJ[1] p. 77 sqq. appellabamus librum Iosue primigenium, qui longe copiosius tradiderit acta aevi Iosue, imprimis acta Caleb, terram promissam a singulis tribubus decursu temporum subactam, quod scriptum debuit fere habere etiam plura genealogiam spectantia. Ei scripto attribuas *genealogias Caleb, Charmi, Ierameelis priorem,* ea omnia quae sunt de « patribus » civitatum, quod CJ[1] p. 35 sqq. coniciebamus esse institutum aevi Iosue et Caleb proprium.

Habuerit rursum scriptum idem vel aliud ea, quae respiciunt tempora Iosue posteriora, imprimis ea quae arcae in Cariathiarim commorationem attingunt.

Fuere tandem copiosiores narrationes rerum aevi regum, Liber regum Iuda et Israel.

In quot libros haec omnia fuerint distributa, quotque diversos habuerint auctores, cum comparatione tam pauca supersint excerpta,

neque definire valemus, neque scire refert. Discernuntur excerptorum duae classes distinctae inter se, documenta antiquissima et documenta recentiora. Id perspectum habere nobis satis esto.

Sed unus fuit labor haec omnia ex antiquis illis historiis excerpendi. Documenta antiqua crediderim excerpta esse talia, qualia in historiis erant : habent enim omnia affinitatem quamdam, non rerum tantum, sed etiam formae. Licet, si placeat affirmare horum etiam aliqua ad compendium ab excerptore esse revocata, non obnitar. Quandoque etiam documenta recentiora duo reperiuntur in unum esse contexta, quod non observatur in documentis antiquioribus : cf. genealogias transiordanicorum, Simeon, Levi.

Unus fuit labor excerpendi ex historiis continuis, idemque *facilior*, quam fuisset labor excerpendi e disiectis documentis nescio quibus. Versabatur labor non circa documenta diversa atque diversae fortasse et non aeque certae fidei, sed circa unam documentorum classem, continuas populi historias, aequalis universim auctoritatis.

Explicat nostra hypothesis quarumdam genealogiarum, v. g. 4,2-20, indolem quadamtenus *fragmentariam*. Etenim genealogia e continua aliqua narratione excisa saepe habeat oportet indolem fragmenti. Supponas habuisse fontem prolixiorem narrationem eamque reliquae narrationi contextam, de actis Saraitarum; ex qua si extrahebantur pauca illa quae genealogiam spectabant, habebatur utique fragmentum 4,2. Neque explicationi obest *stili diversitas* in variis genealogiis, quae in fonte erant ab invicem interiecta narratione separatae, quae diversitas etiam habetur in genealogiis Geneseos, et facile revocatur ad fontes mediatos diversos.

Unum haec hypothesis utique suadet, *genealogias ex illo fonte extractas esse ante exsilium.* Etenim prolixiores illas Exodi, Numerorum, Iosue narrationes post exsilium in manibus fuisse Iudaeorum, nullo vestigio proditur neque id est gratuito asserendum. Perierunt haec documenta in exitiali strage regni davidici. Ante exsilium extraxit aliquis has genealogias ex historiis sacris. In quibus historiis eae utique non videntur fuisse distributae *ordine duodecim tribuum*, sed sequebantur ordinem narrationis; genealogia Ioseph, quae facta habet omnium antiquissima, certe non reperiebatur extrema fere illa narratione.

Genealogias ex antiquissimis illis historiis excerptas esse censeo non a diversis, sed ab *uno*. An idem aliusve documenta recentiora excerpsit e Libro regum Iuda et Israel?

Adverte, rem potissimam in genealogiis cap. 2-7 omnino esse antiquissimas illas genealogias Iuda et Ioseph, quas redactor maximi

facit et *complere* studet documentis aliunde congestis. Res potissima certe non erant excerpta e libris canonicis, quae quisque legere poterat in ipsis libris canonicis, quaeque adscribebantur veluti ad lacunas explendas. Neque res potissima erant excerpta e documentis recentioribus derivata, quae item habent indolem complementorum. Antiquissimae illae genealogiae explicabant originem omnium familiarum Iuda et Ioseph, quotquot Gen. 46 et Num. 26 recensentur. Has voluit redactor complere ita, ut ederet librum explicantem originem familiarum omnium duodecim tribuum.

Complevit autem documentis, quae familiarum originem certe minus accurate explicabant, quam genealogiae Iuda et Ioseph. Quodsi idem fuit redactor atque harum genealogiarum excerptor, habuitque prae manibus antiquissimas illas historias, nonne in hisce reperturus erat documenta accuratiora? Esto, eae historiae non fuerint duodecim tribuum, sed solorum Iuda et Ioseph : an illae de tribu Beniamin, finibus Iuda et Ioseph interposita, non accuratiora tradebant quam quae 7,6-11 habentur? annon item de tribu Simeon, quae cum tribu Iuda confundebatur fere?

Censeo igitur, collectorem seu redactorem habuisse prae manibus antiquissimarum historiarum excerpta illa tantum de Iuda et Ioseph, non ipsas historias, harum excerptorem diversum esse a redactore, qui primus consilium iniit ex illis excerptis condendi libri genealogiarum duodecim tribuum. Historias illas crediderim circa tempus exsilii interiisse, redactorem esse exsilio posteriorem.

Genealogiarum novissima incrementa certe sunt exsilio posteriora. Genealogiae 3,17-24 et cap. 8 ad plures post exsilium generationes excurrunt. Genealogia Iosedec pontificis 6,4-15 non ante exsilium absolvebatur.

Elenchus regum 3,10-16 excerptus esse videtur e libris Regum, qui post exsilium condebantur. Liber Ruth, cum quo verbotenus consonat 2,10-13, in canone hebraeo Hagiographis accensetur. Ceterum excerpta e libris canonicis, cum sint omnia *uno consilio* adscripta, videntur adscripta esse *ab uno omnia,* ergo *post exsilium.*

At quo tempore affirmabis condita esse excerpta historiarum recentiorum, quae e Libro regum Iuda et Israel derivata esse facile concedimus? Quem librum suis fontibus accenset auctor Par.; ubi illud utique quaeri potest, utrum hic auctor ipso illo libro ante exsilium, uti videtur, conscripto usus sit, an aliquo scripto ex illo derivato : epitome, paraphrasi, midrash. Certe fons, quo utebatur ille auctor, exstabat post exsilium. Quare neque nobis est ius affirmandi excerpta illa ante exsilium ex eo fonte esse excisa. Excisa sunt eodem consilio atque

excerpta historiarum canonicarum, consilio inquam complendi genealogias antiquissimas atque condendi libri genealogiarum duodecim tribuum. Facile ergo illa excerpta facta attribuemus eidem post exsilium redactori.

Qui illo Libro usus est parcius. Sane ille liber e censu Davidis aliorumque non ea sola habuisse credendus est, quae erant de Issachar, Beniamin etc. : habebat profecto ille liber censum tribus Iuda. Sed hunc non excerpsit redactor : tantum ea excerpsit, quae futura erant complementa antiquiorum genealogiarum, neque haec fortasse omnia. Nihilne ille liber habebat de Zabulon, Dan, Nephthali?

Habuit igitur redactor prae manibus primum genealogias illas antiquissimas eo fere ordine, quo ex antiquis historiis post exsilium non iam exstantibus ante exsilium fuerant extractae, qui fuerat ipse ordo narrationis earum historiarum. Verebatur redactor, ne disiunctae hae genealogiae interirent. Id ne fieret, censuit ex aliis fontibus esse complendas, unumque edendum genealogiarum omnium quae exstarent volumen. Quod merito existimavit ordine duodecim tribuum esse digerendum.

Praemisit genealogias ab Adam ad Iacob e Genesi excerptas (nisi has tamen placet adstruere operi redactoris ab alio esse praefixas — v. i. p. 61), genealogiam item a Iacob ad Hesron ex historiis canonicis congestam. Plura de Hesronitis habebant antiqua excerpta, nihil vero de stirpe Ram, quae antiquis temporibus obscura latuerat. Censuit redactor stirpis regiae genealogiam primo inter Hesronitas loco esse describendam produxitque usque ad illud punctum, quo eadem in libro Ruth pertingebat, usque ad David, cuius etiam fratres et sorores e 2 Reg. adscripsit. Adnexuit documenta, quae erant in antiquis excerptis de Hesronitis prima, genealogias Ephrath et Ierameel priorem. De genealogia Ierameel altera v. i. Deinde tradidit excerpta, quae proxime consequebantur genealogias Ephrath et Ierameel priorem, quaeque in antiquis historiis interiecta narratione ab illis fuerant separata, genealogias filiorum Caleb, colonias aevi Iosue.

Nomine Cariathiarim 2,50 sqq. ad res davidicas revocatus adnexuit cap. 3 genealogiam regum e libris Reg. derivatam : de cuius genealogiae augmentis v. i. Inde reversus ad antiqua excerpta, congessit 4,2-20 ea, quae variis locis antiquae historiae tradiderant spectantia genealogias Calebitarum, Charmitarum aevo Iosue. De Selaitis 4,21-23 pauca quae compererat adiecit, hausta fere e traditione orali. His absolvebat genealogiam tribus Iuda.

Deficiebant interim excerpta antiquissima. Alias tribuum genealogias, similiter atque genealogiam Iuda 2,3 sqq., ordiebatur redactor

nominibus filiorum patriarcharum Gen. 46 : Simeon, Ruben, Levi, Issachar, Aser (cf. Beniamin). Quandoque praeter ea nomina compererat nihil : Zabulon, Dan, Nephthali. Aliqua suppeditabant Liber regum Iuda et Israel aliive fontes : pro transiordanicis, Simeone, Issachar, Beniamin, Aser. Pro Levi ex eodem, uti videtur, fonte deprompsit quae sola supersunt de cantoribus, praeterea alia, fortasse integros elenchos familiarum sacerdotalium et leviticarum, ministrorum sacrorum, levitarum. Erat praeterea genealogia Iosedec pontificis. Erant e libro Iosue deprompti elenchi urbium simeonitarum et leviticarum.

Genealogia Ioseph rursum derivabatur ex antiquissimis historiis, neque praefixa habet filiorum nomina Gen. 46, sed omnium familiarum Num. 26 origines explicat.

Observatur constans redactoris *studium*, per singulas tribus explicandarum originum familiarum Num. 26; sed deficientibus documentis id quandoque praestare non valet. Quod ubi accidit, aut praeter nomina filiorum Gen. 46 adscribit nibil, aut quaedam adscribit spectantia familias aevi posterioris, v. g. davidici, aut alia aliqua, quae nonnisi latiore aliquo sensu genealogiam contingunt.

2. Verum nondum explicavimus omnia : certe non cap. 8, quod genealogias duodecim tribuum consequitur, nexu minime evidenti. Quem tamen oportet interpretem elucidare, aut certis argumentis aut probabili saltem coniectura. Quid sentiamus, in medium proferimus.

Igitur coniicimus, genealogiarum librum cap. 2-7, vel antequam in librum Par. reciperetur, magno pretio habitum esse apud Iudaeos post exsilium et, multiplicatis apographis, in plurium manibus fuisse. Coniicimus fuisse eos, qui ei libro aliquid genealogiae privatae adderent eo fine, ut suae familiae origines ad genealogias illas sacras vel certe authenticas revocarent.

Id nostra opinione praestitit *Beniaminita* quidam habitans in Ierusalem (8,28), vir stirpis Bela (v. 3), cognationis Baria (v. 13), fortasse familiae Ierimoth vel Ieroham (v. 14. 27) : qui suo apographo genealogiarum duodecim tribuum cap. 2-7 adscripsit primum paternam suam genealogiam 8,1-28; dein genealogiam matris vel uxoris 8,29-40. Fuit autem ea mulier Beniaminita etiam ipsa, Nathinaea et, quod equidem coniicio, una e filiabus Ulam v. 40. Hanc rationem assigno, cur hae duae genealogiae ad calcem genealogiarum tribuum adscriptae conspiciantur, et cur altera genealogia duas v. 39 sq. recitet generationes praeter eas, quas eadem genealogia 9,35-44 habet; fuit sc. genealogia producenda usque ad familiam Ulam, e qua prognata est mater vel uxor.

Idem in eodem vel in alio primum apographo praestiterit *Davidida* aliquis septimae post Zorobabelem generationis, adscripta 3,17-24 genealogiae regum sua paterna genealogia.

Idipsum in eodem vel in alio primum apographo praestiterit 2,34-41 *Ierameelita* aliquis, adscripta communi Ierameelitarum genealogiae sua privata genealogia. Suggeremus infra, generationum numerum 2,34-41 videri pertingere a Davide ad exsilium : si tamen numerus complete exprimatur. Unde intulerit aliquis, eiusmodi privatas genealogias, brevi post exsilium et fortasse vel ante exsilii finem, fortasse in Babylonia, coeptas esse adscribi genealogiis publicis iudaeis ex antiquis historiis excerptis, prius etiam quam hae in librum genealogiarum duodecim tribuum excreverint.

Similiter de 4,20 sentimus (v. i.).

Chronista, librum hunc suo libro Par. inserturus, circumspexit libri *apographa* integra et certa. Reperit aut unum aliquod apographum tria illa additamenta habens, aut diversa apographa habentia unum additamentum unum, et aliud additamentum aliud. Erant additamenta haec de re privata magis quam publica, erant appendices genealogiarum duodecim tribuum non necessariae, sed erant vera, ideoque convenienter recipiebantur ab auctore inspirato.

3. Hebraei sine dubio, et prae ceteris Iudaei, magni semper fecere suas genealogias : innitebatur genealogiis ius haereditatis, item iura omnia sacerdotum et levitarum. Neque tamen hinc illud iam probatum habes, genealogias semper scriptis fuisse expressas. Nonne apud nos etiam haereditas secundum genealogiam transmittitur? At non ideo necesse est, ut haeres genealogiae rationem usque ad Carolum Magnum explicet; sufficit, ut extrema genealogiae membra demonstret, de cetero possessio pro iuris demonstratione recipitur.

Accurate, uti par erat, in genealogias inquisivere Iudaei reduces de exsilio eosque, non sacerdotes et levitas tantum, sed etiam laicos, qui originis rationem demonstrare non valerent, ad tempus certe iuribus nativis privavere (1 Esdr. 2,59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq.).

Accuratam genealogiam familiarum patris et matris nactus erat *Ios.* (Vita n. 1), in « tabulas publicas » relatam. Quod vero idem affirmat c. Apion. I. 6, Hebraeos a suae gentis primordiis « eandem vel etiam potiorem curam » condendis genealogiis impendisse, pontificibus et prophetis id exigentibus, id, ut aliae eiusmodi Iosephi rotundae assertiones, sine demonstratione non est recipiendum. Quod enim n. 7 affert argumentum, suo tempore exstitisse elenchum omnium ab Aarone *pontificum*, elenchum quidem eiusmodi tum scriptum exstitisse non infitiamur, sed eius veritatem addubitamus. Estne elenchus idem

quem variis locis recitat ipse Ios.? At in eo desiderantur quatuor nomina notissimorum aevo regum pontificum. Certe eum elenchum, quatenus respiciebat tempora exsilio anteriora, non habet cap. 6, sed solam genealogiam Iosedec, quae est res toto coelo diversa. Moyses nullum edidit genealogiarum condendarum mandatum. Iosue utique totam gentem descripsit : primum post Iosuen censum videtur habuisse David. Rem prophetas inculcasse, sacrae paginae non habent. Esto id fecerint : nonne prophetarum monita de rebus longe gravioribus negligebantur?

Quamdiu duodecim tribus in suis possessionibus sibi a Iosue attributis residebant, non videtur fuisse necessarium, ut omnium hominum genealogiae *describerentur* : ipsa possessio, ut plurimum, erat argumentum peremptorium legitimae acquisitionis, idque tanto efficacius, quod cognati homines et cognatae familiae invigilarent, ne se posthabitis possessio in manus eorum dilaberetur, quorum non satis certum esset ius. Erat praeterea ipse elenchus possessionum a Iosue conditus, familiarum possessiones circumscribens. Quodsi eum elenchum adstruas esse aliquando deperditum, quomodo defendes particulares illos familiarum elenchos non esse item deperditos aut deformatos aut misere confusos?

Quare illud Iosephi placitum, singularum familiarum genealogias a primis apud Hebraeos religiose scriptis mandari consuevisse, quod nullam eius sufficientem deprehendam probationem, praetermitto. Non constat genealogias usque esse scriptas, multo minus usque scriptas esse completas aut praeservatas integras.

Verum diu ante exsilium exaudiebantur in Iudaea prophetarum oracula, populum aliquando deducendum fore in exsilium atque inde reducendum. Qui sane stimulus fuit pluribus Iudaeis piis, qui fidem haberent dictis prophetarum, ut accuratius in suas genealogias inquirerent easque facerent ita certas, ut posteris essent instrumentum authenticum recipiendarum post exsilium possessionum. Scrutati sunt igitur fontes authenticos, imprimis antiquissimas suas historias, quae plura haberent spectantia genealogias. Erant ea documenta omni exceptione maiora. Quodsi quis valeret suam originem ex una familiarum ib. descriptarum certo demonstrare, habebat irrefragabili argumento demonstratum suae possessionis ius. Et nota, 9,3 inter eos, qui de exsilio rediere, recenseri etiam quosdam de Ephraim et Manasse (7,14-29). Crediderim igitur iam ante exsilium plura condita esse apographa genealogiarum ex antiquis historiis excerptarum, omnium una vel aliquarum seorsim; illis familias suas privatas adscripsisse genealogias, complevisse de generatione ad generationem; haec po-

tissimum in medium prolata esse documenta, quando reducibus de exsilio proferenda fuere suae originis documenta.

4. Perspicimus iam quadamtenus Dei consilium in genealogiarum textu inspirato ad nos transmittendo.

Qui primum confirmat eam, quae 1 Esdr. 2 et 2 Esdr. 7 affirmatur, Iudaeorum post exsilium in suis genealogiis certo stabiliendis diligentiam. Quae plane erat ridicula, nisi Iudaei illi existimarent et merito existimarent, sibi ad eum effectum praesto esse documenta vere antiqua et authentica. Ac revera nostra opinione (v. s.) illa genealogiarum definiendarum diligentia vel ante exsilium piorum Iudaeorum mentes obsidebat. Explodenda plane est rationalistarum quorumdam antiquata opinio genealogias cap. 2-9 arbitrio esse effictas. Iura civium ac Levitarum imprimis privilegia post exsilium non potuere superstrui documentis, quae non essent universim genuina, et vel ante exsilium exstitissent et genuina essent habita. Esto, aliqua tum prolata sint documenta privata spuria, quibus quarumdam post exsilium familiarum origo connecteretur cum genealogiis publicis et authenticis : at documenta illa universim spectata oportuit esse vera.

Fuere alii etiam populi, qui in exsilia abducti ad sua aliquando rediere : apud quos non idem deprehenditur studium genealogiarum vel ante exsilium stabiliendarum. Reducibus possessiones cedunt, prout ferunt rerum adiuncta; qui aliis magis strenuos se exhibent in restituenda re publica, ii possessiones desideratiores nanciscuntur. Illud vero apud Iudaeos genealogiarum studium confirmat, eos et possessiones familiis divinitus aliquando concessas esse existimasse, et auspicatos esse promissiones quasdam possessoribus aliquando exsolvendas. Possessiones antiquas recuperare in votis habebant tamquam titulos, quibus suas sibi benedictionum messianicarum partes vindicarent.

Cap. 1 ostendit, Iudaeos non alias habuisse antiquissimarum suarum rerum traditiones, nisi quas tradit Genesis. At traditiones populares si unicae, tanto maiorem etiam apud virum historicum habent fidem. Traditiones quippe, cum depravantur, etiam diffinduntur, multiplicantur.

Genealogiae efficiunt discrimen inter Iuda et Israel, Davide longe antiquius, ipsa patriarcharum tempora attingere; confirmant pentateuchi narrationem de Hebraeorum in Aegypto commoratione, eorum ib. aliquando cum Pharaone necessitatem (Bethia filia Pharaonis, Ephraim Chanaanitidis praesul), expugnationem Iudaeae factam Calebo duce, constitutis patribus per varias deinceps urbes. Ostendunt Cenezaeos, Cinaeos, Gabaonitas, Rahabitas numeris comparatione pau-

ciores Hebraeis esse aggregatos. Norunt Othonielis egregie factum et arcae in Cariathiarim commorationem.

Genealogiae antiquissimae confirmant elenchum familiarum Num. 26, directe quoad Iuda et Ioseph, indirecte quoad reliquas tribus.

Genealogiae demonstrant, habuisse Hebraeos ante exsilium suarum rerum scriptas historias, quae certe pertingebant usque ad Ephraim patriarcham. Quas illi sacras habebant et plane authenticas, imo quas Iudaei post exsilium tanti fecisse videntur, quanti historias canonicas faciebant, secus illarum excerpta haud completuri erant harum excerptis.

Absit, ut e solis cap. 1-9 conficiendum aggrediamur argumentum aliquod omnibus numeris absolutum credibilitatis antiquarum canonicarum historiarum : at harum plurimam ib. reperimus confirmationem. Certe genealogiae non sunt metaphorae, quod inscite opinatus est Wellhausen, sed gravissima documenta a viro historiae studioso minime negligenda.

COMMENTARIUS

A. Genealogia ab Adam ad Israel 1 Par. 1.

Cap. 1 tradit genealogiam stirpis electae ab Adam ad Iacob seu Israel. Tradit autem per modum *excerpti e libro Genesis,* saepe verbotenus, ubi sc. Genesis nudas genealogias habet seu elenchos, alias compendio : omittit non solum narrationes Geneseos prolixiores omnes, sed etiam narrationes breviusculas seu descriptiones genealogiis intextas : de Henoch, Lamech, Noe, Nemrod (praeter unum incisum) etc., patriarcharum aetates, elenchorum clausulas etc. Tamen auctorem merum agere Geneseos excerptorem obiter rem inspicienti patet : ea sola nomina affert quae Genesis habet, eodem ordine affert et secundum idem schema quod CG p. 1 sqq. explicatum habes. Recitatis v. 4 tribus filiis Noe, expedit primum Iapheth et Cham; filiorum Phaleg explicat primum ramum accessorium Iectanidarum, dein stirpem electam ubi, *iteratis* nominibus a Sem ad Phaleg, prodit se ab excerpendo Gen. 10 transire ad excerpendum Gen. 11. Expedit Ismaelem ante Isaac, Esau ante Iacob, et hoc quidem plane uti Gen. 26. Quare pro rerum nominumque explicatione lectorem remittimus ad CG.

Plane congruum erat ut genealogiis Iacobo posterioribus praemitterentur genealogiae ab Adam ad Iacob; congruum erat, ut eae e Genesi excerperentur, quae illas habebat; id tanto magis congruum, imo necessarium erat, si excerptor ille antiquarum historiarum praeter Genesin habuit fontem nullum; atqui nullum videtur habuisse,

cum nullius ullum vestigium compareat. Quare dicimus ea, quae cap. 1 habet, e Genesi esse excerpta.

Tamen non est cap. 1 pars necessaria libri genealogiarum; certe non requirebatur, ut liber esset authenticum instrumentum genealogiarum, quae erant plane authenticae, dummodo usque ad Iacob hebraeae gentis progenitorem pertingerent. Libri sunt complementum aliquod, quatenus efficiunt ut liber, uti ipsae gentis electae historiae, ab Adamo proficiscatur. Cap. 1 certe non est scriptum *ante*, quam cap. 2-7 scriberentur (v. p. 48); est eius pericopae complementum aliquod. Quare neque illud omnino pro certo habemus, scriptum esse ab ipso redactore cap. 2-7, licet nos ratio deficiat, cur illud alii scriptori attribuamus.

Cap. I v. 1 « *Adam, Seth, Enos* », v. 2 « *Cainan, Malaleel, Iared* », v. 3 « *Henoch, Mathusale, Lamech* », v. 4 « *Noe, Sem, Cham et Iapheth* ». Haec e Gen. 5 nomina *trium filiorum Noe* ex ordine adscribuntur nomini patris, ita ut ex hoc *solo* textu induceretur fortasse aliquis in opinionem, Noe genuisse Sem, Sem genuisse Cham, Cham genuisse Iapheth. *Tamen id textus non affirmat,* neque auctor intendit lectorem de eorum virorum mutua ratione plene edocere, sed lectorem supponit esse Geneseos gnarum. Qui de re loquitur alteri nota, ei licet brachylogiis uti, quae lectori rei plane ignaro obscuritates parerent, imo cum facile in errorem inducerent. Illud vero v. 4 docemur, quando in genealogiis nomina aliqua deinceps describantur, inde non semper fas esse inferre, viros, quorum nomina tradantur, successiva generatione ab invicem derivari.

v. 5 « *Filii Iapheth : Gomer et Magog et Madai et Iavan, Thubal, Mosoch, Thiras* ». v. 6 « *Porro filii Gomer : Ascenez et Riphath et Thogorma* ». v. 7 « *Filii autem Iavan : Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim* ». Eadem habet Gen. 10,2-4. Omittuntur porro, quae ib. v. 5 traduntur de Iaphethidarum per varias regiones distributione, atque illico adscribuntur quae v. 6-8 habentur : v. 8 « *Filii Cham : Chus et Mesraim et Phut et Chanaan* ». v. 9 « *Filii autem Chus : Saba et Hevila, Sabatha et Regma et Sabathacha. Porro filii Regma : Saba et Dadan* ». v. 10 « *Chus autem genuit Nemrod; iste coepit esse potens in terra* ». Sed omittuntur reliqua de Nemrod Gen. 10,9-12, et transitur ad v. 13-18[a] : v. 11 « *Mesraim vero genuit Ludim et Anamim et Laabim et Nephthuim* », v. 12 « *Phetrusim quoque et Casluim; de quibus egressi sunt Philisthiim et Caphtorim.* v. 13 « *Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, Hethaeum quoque* » v. 14 « *et Iebusaeum et Amorrhaeum et Gergesaeum* » v. 15 « *Hevaeumque et Aracaeum et Sinaeum* », v. 16 « *Aradium quo-*

que et Samaraeum et Hamathaeum ». Omittuntur Gen. 10,18^b sq., quae sunt instar ib. v. 5; omittitur clausula Gen. 10,20, itemque v. 21 qui praeter schema Gen. 10 ib. adscriptus legitur, et transitur ad v. 22 sq.

v. 17 « *Filii Sem : Aelam et Assur et Arphaxad et Lud et Aram* »; et omisso « filii Aram » adscribuntur « *et Hus et Hul et Gether et Mosoch* » (Gen. 10,23 Mes), acsi hi quatuor aeque immediate atque quinque priores e Sem duxerint originem. Quibus rursum docemur, in genealogiis quandoque cum filiis confundi nepotes. Neque in eo ullus latet error : nepotes quippe sunt filii mediate geniti. Porro v. 18-23 idem textus est atque Gen. 10,24-29. — v. 18 « *Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit Heber* ». v. 19. « *Porro Heber nati sunt duo filii : nomen uni Phaleg, quia in diebus eius divisa est terra* », — haec una nominis explicatio retinetur, aliis similibus omissis — « *et nomen fratris eius Iectan* ». v. 20 « *Iectan autem genuit Elmodad et Saleph et Asarmoth et Iare* », v. 21 « *Adoram quoque et Huzal et Decla* », v. 22 « *Hebal etiam et Abimael et Saba, necnon* » v. 23 « *et Ophir et Hevila et Iobab. Omnes isti filii Iectan* ».

Omittitur Gen. 10,30, qui textus correspondet ib. v. 5,18^b sq. item h. l. omissis; omittuntur clausulae v. 31 sq. Porro si auctor elenchum vellet producere eadem forma atque ante et post, debuit expeditis (cf. v. 19) filiis Iectan pergere fere sic : Phaleg autem genuit Ragau etc. At auctor a Gen. 10 transilit ad Gen. 11 in compendium comprimendum ideoque, repetitis quinque a Sem ad Phaleg nominibus (cf. v. 17-19), reliquos usque ad Abraham adnectit : v. 24 « *Sem, Arphaxad, Sale* », v. 25 « *Heber, Phaleg, Ragau* », v. 26 « *Serug, Nachor, Thare* », v. 27 « *Abram* », et adscriptis vocibus « *iste est Abraham* » attingit factam a Deo Gen. 17,5 mutationem nominis Abram in Abraham.

v. 28 « *Filii autem Abraham : Isaac et Ismael* ». Expeditur primum ramus secundarius, sc. Ismael. v. 29 « *Et hae generationes eorum : Primogenitus Ismaelis Nabaioth, et Cedar et Abdeel et Mabsam* » v. 30 « *et Masma et Duma, Massa, Hadad et Thema* », v. 31 « *Ietur, Naphis, Cedma. Hi sunt filii Ismaelis* ». Haec verbotenus eadem cum Gen. 25,13^b-16^a. Missis autem reliquis, quae Gen. 25,16^b sqq. de Ismaele traduntur, adscribuntur filii Ceturae Gen. 25,1-4, quae tamen non uxor sed concubina, i. e. uxor secundaria scribitur. v. 32 « *Filii autem Ceturae concubinae Abraham, quos genuit : Zamram, Iecsan, Madan, Madian, Iesboc et Sue. Porro filii Iecsan : Saba et Dadan. Filii autem Dadan : Assurim et Latussim et Laomim* ». v. 33 « *Filii autem Madian : Epha et Epher et Henoch et Abida et Eldaa. Omnes hi filii Ceturae* ».

LXX R textum habent etiam breviorem quam *Hebr.* Utique v. 4 post *Noe* inserunt *filii Noe*. Desunt v. 11-16 *Mesraim* et *Chanaan* : sed cur hi omittuntur, cum v. 9 sq. retineatur *Chus?* v. 17 omittuntur omnia post nomen *Arphaxad* : sed esto omittendi sint *filii Aram*, nulla ratio est omittendorum *Lud* et *Aram*. Nomini Arphaxad v. 17 continuo adscribuntur Sale et reliqua nomina v. 25 sqq., inter quae tamen non habetur alter ille *Cainan*, qui errore apud LXX Gen. 11 irrepsit. Desunt v. 27 verba *iste est Abraham*. Desunt v. 32 *filii autem Dadan etc.*

v. 34 « *Genuit autem Abraham Isaac* », — id quod re iam fuerat dictum v. 28, repetitur ipsis verbis (ויולד = הוליד), quibus id Gen. 25,19 post recitatas generationes Ismael dicebatur — « *cuius fuerunt filii Esau et Israel* ». Hoc nomine (cf. 2,1) effertur Iacob, quod in posteros eius transiit (« filii Israel »), et nota (cf. ad 9,2) post exsilium populum fidelem vocari *Israel*.

Recensetur posteritas Esau, quibusdam omissis, plane uti Gen. 36. v. 35 « *Filii Esau : Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ihelom et Core* ». Eadem quae Gen. 36,10.14, sed omittuntur nomina matrum. v. 36 « *Filii Eliphaz : Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec* ». Cf. Gen. 36, 11 sq. Sed ibi *Thamna* est *concubina* Eliphaz et *mater* Amalec : sc. traduntur haec *pro compendio* Geneseos, in quibusdam nonnisi *e comparata Genesi* accurate intelligenda. Uti v. 4 per solam Genesin certiores efficimur, Cham non esse filium Sem, et v. 17 Hus et Hul et Gether et Mes non esse fratres Aram, ita h. l. sola comparata Genesi edocemur Thamnam non fuisse filium, sed concubinam Eliphaz. Nomen, quod h. l. pro compendio describitur, necessario *eandem et non aliam* significationem induit, quam eam quam habet Gen. 36. v. 37 « *Filii Rahuel : Nahath, Zara, Samma, Meza* ». Gen. 36,13, omisso matris nomine. Omittitur v.15-19, elenchus ducum Edomitarum.

Sed adscribitur elenchus Seiritarum abbreviatus Gen. 36,20-28. v. 38 « *Filii Seir* » : — omittitur « Horraei, habitatores terrae », non erat cur h. l. Edomitarum duae distinguerentur stirpes, filii Esau et Seiritae — « *Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan* ». v. 39 « *Filii Lotan : Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna* ». v. 40 « *Filii Sobal : Alian et Manahath et Ebal, Sephi et Onam. Filii Sebeon : Aia et Ana* », et omittuntur quae Gen. 36,24 traduntur de Ana. « *Filii Ana : Dison* ». Omittitur Oolibama soror. v. 41 « *Filii Dison : Hamram et Eseban et Iethran et Charan* ». v. 42 « *Filii Eser : Balaan et Zavan et Iacan. Filii Disan ; Hus et Aran* ». Omittitur clausula Gen. 36,29 sq.

Sequitur elenchus regum et, qui post reges fuere, ducum Gen. 36, 31-43. v. 43 « *Isti sunt reges, qui imperaverunt in terra Edom, an-*

tequam esset rex super filios Israel : Bale filius Beor, et nomen civitatis eius Denaba ». v. 44 « *Mortuus est autem Bale, et regnavit pro eo Iobab filius Zare de Bosra* ». v. 45 « *Cumque et Iobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum* ». v. 46 « *Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in terra Moab; et nomen civitatis eius Avith* ». v. 47 « *Cumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca* ». v. 48 « *Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quae juxta amnem sita est* ». Gen. 36,37 simpliciter « de Rohoboth fluvio » : brachylogiam apte explicat noster scriptor. v. 49 « *Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor* ». v. 50 « *Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad, cuius urbis nomen fuit Phau, et appellata est uxor eius Meetabel filia Matred filiae Mezaab* ». Distinctius quam Gen. 36,40 describit tempus v. 51 : « *Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse coeperunt : dux Thamna, dux Alva, dux Ietheth* », v. 52 « *dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon* », v. 53 « *dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar* », v. 54 « *dux Magdiel, dux Hiram. Hi duces Edom* » ; et omittuntur pauca illa, quae adscripta habentur Gen. 36,43.

B. Genealogiae duodecim tribuum Israel 1 Par. 2, — 8.

Auctor primum describit nomina duodecim filiorum Israel, non eodem ordine, quo tribus cap. 2-8 pertractat (Iuda, Simeon, Ruben cum Gad, Levi, Issachar, Zabulon, Beniamin, Dan, Nephthali, Ioseph, Aser), sed conformius Gen. 35, 23 sqq., hoc uno excepto, quod *Dan* collocet inter Zabulon et Ioseph, immediate post sex filios Liae. Potuit hoc nomen incuria scribae cuiusdam in locum delabi non suum. Neque tandem auctor profitetur, se certo aliquo ordine velle nomina recensere. Uti Gen. 35, 24 ; 46, 27 ; Num. 26, 28 scribit *Ioseph*, nonnisi postea 7, 14. 20 distinguens Manasse et Ephraim. *Cap. II* v. 1 « *Filii autem Israel : Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar et Zabulon* », v. 2 « *Dan, Ioseph, Beniamin, Nephthali, Gad et Aser* ».

I. GENEALOGIA IUDA 1 PAR. 2, 3 — 4, 23.

Auctor primum tradit genealogiam tribus ceteris nobilioris Iuda. Filii Iuda : Phares, Zara, Sela. Sela ad calcem 4, 21-23 relegato, primum 2, 5 traduntur nomina duorum filiorum Phares, Hesron et Hamul, de quorum altero silet porro genealogia, dein v. 6-8 pauca de Zaraitis, ut tandem 2, 9-4, 16 fuse agatur de Hesronitis seu, quod re

idem est, de Phares. Quae 2, 3-8 traduntur, omnia congessit redactor ex historiis canonicis excepto, uti videtur, unico nomine Azarias v. 8.

Quaesieris, *cur Sela ad calcem relegetur,* cum fuerit iure *primogenitus*. Sed, num is revera fuit iure primogenitus? Fuerat Her, et 2, 2; Gen. 38, 7 merito appellatur primogenitus Iuda, sed Her et Onan sine prole e vivis sublatis credideris primogeniturae iura in Selam esse translata. Qui Gen. 46, 12; Num. 26, 20 *ante* Phares et Zara recensetur; nunquam tamen vocatur primogenitus : contra quod conferas 5, 1 sq. Non possunt demonstrari iura primogeniturae devoluta esse in Selam, sed neque demonstrari possunt devoluta esse in Phares. Concubitus Iudae cum Thamar nequit demonstrari fuisse coniugium leviratus : defuit in Iuda animus coniugalis, neque Iuda *pater* Her erat *propinquus sanguinis* eo sensu, qui ad coniugium leviratus requirebatur. V. p. 66.

Principatus Iudaeorum tempore Moysis fuit Num. 1, 7 penes stirpem Ram, sed Ram non exstitit *primogenitus* Phares-Hesron (2, 25). Princeps tribus non videtur constanter esse desumptus e stirpe primogenita. Tempore Iosue principatus certe fuit penes Caleb, qui inter filios Hesronis recensetur tertius. Calebitis divino oraculo cessit tractus totius Iudaeae fertilissimus et tutissimus, Mons circa Hebronem; Ephrathitis alia Montis pars a Thecua usque Cariathiarim, primis temporibus utique patens Iebusaeorum incursibus; Calebitis filiis concubinarum sedes attributae in extremo Negeb occidentem versus, unde tamen post conventum siluntinum (CJ[1]. p. 340 sq.) revocandi fuere ad tractum Sephelae Monti proxime adiacentem.

Non est dubium, quin Calebitae, stirps valentissima et numerosissima atque tunc temporis principali dignitate insignita, suis rebus assidue providerint in sortibus Iudaeae sub Iosue distribuendis. Neque tamen affirmare cogimur, eos Selaitis et Ierameelitis intulisse iniuriam. Ad terram Iudaeis attributam spectabat etiam tractus florentissimus *Philisthaea.* Quem sibi in distributione finium expetiverint Selaitae et Ierameelitae sed, quod Calebitis essent segniores, nequaquam subegerint, atque ita tandem in Negeb et Sephelam reiecti nacti sint sedes minus desiderabiles minusque tutas, in quibus etiam imminuti sint numeris.

Tempore certe regum omnia primogeniturae iura penes Davididas erant : collector genealogiarum Selaitas ad calcem stirpium Iuda relegavit certe ideo etiam, quod exiguae inter Iudaeos essent auctoritatis, neque praeter traditionem aliquam oralem suarum rerum haberent certiora documenta.

v. 3 sq. tradit redactor compendium eorum, quae Gen. 38 habentur

genealogiam spectantia. Imo Gen. 38, 7 verbotenus describit v. 3[b]. v. 3 « *Filii Iuda : Her, Onan et Sela. Hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Iuda malus coram Domino, et occidit eum* ». Hoc factum commemoratur, quo pateat, cur Thamar v. 4 vocetur *nurus*. Ceterum tacetur peccatum Onan, et reliqua Gen. 38. . 4 « *Thamar autem nurus eius peperit ei* », i. e. Iudae, « *Phares et Zara. Omnes ergo filii Iuda quinque* ». In elenchis consuevere recitari filii maiores natu etiam ii, qui *sine posteritate* e vivis cessere : cf. 6, 3 (5, 29); Num. 26, 19. 60. De summa quinque v. p. 51. *Numerus* filiorum Iuda Gen. 46 non exprimitur, imo Num. 26 tacentur Her et Onan: hic utriusque mulieris numerus filiorum exprimitur, 3 + (2) = 5. Loco parallelo 6, 3, ubi etiam habentur filii qui posteritate caruere, non adscribitur summa 4 : cur ergo h. l. scribitur summa 5? Adverte, propter legem leviratus dubium esse potuisse, genueritne Iuda illos duos e nuru filios *sibi* an filio filiisve defunctis; si hoc non erant Iudae nisi filii *tres*. Atqui non potuit *pater* leviri officio fungi erga *filium* : quare inculcat auctor illos duos ipsi Iudae filios esse attribuendos.

Supersunt porro explicandae genealogiae trium filiorum Iuda : Sela, Phares, Zara. De *Phares* et *Zara* traditurus plura primum ponit redactor ea, quae in antiquioribus libris sacris habentur, eorum virorum genealogiam spectantia.

v. 5 « *Filii autem Phares : Hesron et Hamul* ». Cf. Gen. 46, 12; Num. 26, 21. v. 6. « *Filii quoque Zarae : Zamri* » — Cum auctor initio genealogiae congerat nomina Iudaeorum, quos in libris sacris antiquioribus reperiebat, cum Ios. 7, 1 habeatur « Achar filius Charmi filii Zabdi filii Zare », cum ib. LXX R pro Zabdi legant simillimis characteribus Zamri, cum h. l. v. 7 habeantur Charmi et Achar : ergo h. l. *Zamri* dicendus est idem esse vir atque *Zamri* vel *Zabdi* Ios. 7, 1. Pergitur : « *et Ethan et Eman, Chalcal quoque et Dara* ». Cum 4 nomina adamussim eadem legantur 3 Reg. 4, 31 (5, 11), ergo iidem intelliguntur viri. Quorum primus ib. adscriptum etiam habet האזרחי, *Zaraita*, quos viros censemus fuisse aequales Zamri aut fere aequales, quod etiam insinuant adscriptae voces « *simul quinque* »; non Salomonis aequales, cum textu 3 Reg. 4, 31 nequaquam cogamur eos Salomonis habere aequales.

v. 7 « *Filii Charmi* » : — saepe praefigitur *pluralis* « filii », quando *unicus* est qui recenseatur filius. *Charmi* fuit filius Zamri v. 6, sed id neque v. 6 neque v. 7 exprimitur. Num igitur cogimur adstruere aliqua e textu excidisse : Filii Zamri : Charmi ; filii Charmi etc.? Non cogimur : auctor supponit lectorem gnarum textus Ios. 7,1, auditis nomi-

nibus Zamri, Charmi, Achar, horum etiam virorum mutuam rationem habere perspectam. — « *Achar, qui turbavit Israel, et peccavit in furto anathematis* ». CJ[1] p. 183 sq. dicebamus genuinam nominis formam esse *Achar*, non *Achan* : quam opinionem confirmat h. l. lusus verborum inter nomen *Achar*, עכר, et participium עוכר, *turbans*. v. 8 : « *Filii Ethan : Azarias* ». Sicut v. 7 explicat genealogiam Zamri v. 6, ita v. 8 explicat genealogiam Ethan v. 6 : idem est Ethan v. 8 et Ethan v. 6. Nullus virorum, qui in antiquioribus historiis commemorantur, et nomen habuere Azarias (עזריה) vel Ozias (עזיה), haec enim duo nomina convertuntur inter se, cum hoc Azaria componi potest. Quare hunc ab auctore censemus non ex antiquioribus libris sacris petitum, sed ideo h. l. adscriptum, quod de eius posteritate aliqua infra traditurus sit. Censemus autem hunc Azariam eundem esse, qui 4,17 scribitur Ezra, עזרה (v. p. 101 sq.).

Expeditis v. 6-8 iis, quae h. l. lubebat tradere de posteris *Zarae*, redit auctor ad *Hesron* v. 5. Cuius viri genealogia Ruth 4,18 sqq. per unum filium רם, Aram, Ἀραμ producebatur ad Davidem usque; h. l. alii filii adscribuntur duo. v. 9 « *Filii autem Hesron, qui nati sunt ei : Ierameel et Ram* » (רם, Ἀραμ, ergo idem qui Ruth 4,19) « *et Calubi* », כלובי, Χαλεβ, Χαλωβι, qui secundum v. 42 certe idem est cum *Caleb*, כלב, de quo plura traduntur cap. 2; 4. כלובי est *Calebita*, pro quo 1 Reg. 25,3 keri כלבי (kethib כלבו!), sed discrimen fortasse est solius punctationis. Quodsi lectio כלובי genuina sit, non vero deformata e כלב, exprimit id, quod plane verum est, tria nomina v. 9 scribi ut nomina non virorum solum, sed stirpium ex iisdem derivatarum. Exprimere videtur praeterea generationem non naturalem, quae semper est individuorum, sed legalem, adoptivam, politicam, qua tota illa stirps Cenezaea, non unus tantum vir Caleb, aggregata est Hesronitis. Cum v. 25 Ierameel scribatur fuisse « primogenitus », reapse videntur v. 9 filii Hesron recitari ordine aetatis. Explicatur porro v. 10-17 posteritas *Ram*, v. 18-41 posteritas *Ierameel*, v. 42-55 posteritas *Caleb*. Uti *tribus* regia explicatur ante reliquas tribus, ita *stirps* regia explicatur ante reliquas stirpes; sequitur Caleb, cuius stirps antiquitus summopere floruit.

1. *Genealogia Ram* 1 *Par.* 2,10-17.

Primum redactor describit genealogiam Ruth 4,18-22 a Ram ad David; dein subiicit fratres et sorores Davidis. v. 10 « *Porro Ram genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Nahasson* », et nomini instar

Num. 2,3 (cf. 10,14; 7,12. 17) adscribit « *principem filiorum Iuda* ». Cuius soror Elisabeth Ex. 6,23 nupsit Aaroni. Quae verba cum videantur adscribi intuitu Num. 2,3, neque ex illis inferre fas est, ipsum Aminadab non fuisse principem. v. 11 « *Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz* ». v. 12 « *Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai* ». Explicatur porro v. 13 sqq. posteritas Isai. v. 13 « *Isai autem genuit primogenitum Eliab* », qui secundum veriorem lectionem LXX 1 Par. 27,18 fuit sub Davide princeps tribus Iuda in rebus civilibus, cuius filiam Abihail 2 Par. 11,18 Roboam duxit uxorem; « *secundum Abinadab, tertium Simmaa* », שמעא, sed 2 Reg. 16,9; 17,13 שמה, cuius filius Ionathan 1 Reg. 21,21; v. 14 « *quartum Nathanael, quintum Raddai* », v. 15 « *sextum Asom, septimum David* ».

1 Reg. 16,10 sqq.; 17,12 tribuuntur Isai filii *octo,* sed praeter Davidem tantum trium priorum nomina recensentur. Reliquorum nomina solum h. l. habentur. *Syr.* : *Eliu septimus, octavus David.* Sed lectio haec correctionem sapit e 1 Par. 27,18, ubi praeterea (v. ib.) verior lectio videtur esse Eliab pro Eliu : fratrem natu maximum fecit tribus principem in rebus civilibus. Difficultatem fratres statui ibi *septem,* hic *sex,* solvo ita. 1 Reg. docemur, et vere quidem, Isai habuisse filios octo, quorum octavus fuit David. Redactor in manibus habuit documentum recensens filios septem, inter quos tam vere David fuit septimus, quam fuit octavus inter octo. Redactor non affirmat, *Isai* habuisse septem filios *tantum*; si placet, dicas eum affirmare, suum *documentum* habuisse septem nomina *tantum.* Quando redactor determinatum quemdam numerum filiorum recitat, imo etiam quando adscribit summam (v. 6 « simul quinque »), non affirmat hos solos fuisse viri filios, sed hos esse solos, quos pro fine quem intendit iudicet esse commemorandos.

v. 16 « *Quorum sorores fuerunt Saruia et Abigail. Filii Saruiae : Abisai, Ioab et Asael, tres* ». De filiis hisce Saruiae saepe est sermo, imprimis 2 Reg. 2,18, sed auctor nos docet Saruiae ad Davidem rationem : fuit Davidis *soror.* v. 17 « *Abigail autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismahelites* ». Abigail 2 Reg. 17,25 scribitur soror Saruiae et filia Naas, mater Amasae, de quo vide etiam 2 Reg. 20,5 sqq. Haec componi possunt inter se ita. Abigail exstitit soror Davidis *sensu latiore,* nata non ex Isai sed ex Naas propinquo Isai. Quodsi porro defendas, Abigail fuisse sororem Saruiae sensu stricto, fatearis oportebit Saruiam quoque non fuisse sororem Davidis sensu stricto. Tamen verba 17,25 etiam verti possunt « Abigail filia Naas sororis Saruiae », ut Abigail fuerit soror Saruiae et Davidis *lato sensu,* i. e. sororis filia. Potuere etiam Saruia et Abigail esse soro-

res David e communi matre, non ex Isai. Aliquam utique admirationem illud habet, *redactorem* qui utique novit 2 Reg. 17,25, nullam facere mentionem *Naas,* sive Naas fuerit vir sive mulier (cf. CR p. 395). Quare neque plane repudianda est coniectura illud בת נחש errore in textum penetrasse, licet nunc in textibus omnibus legatur.

2. *Genealogia Ephrath 1 Par.* 2,18-24.

Arg. — Caleb filius Hesron, in locum Azubae uxoris defunctae, ad thorum suum adsciscit Ephrath Manassaeam, quae famosissimae et numerosissimae posteritatis exstitit mater. Etenim Ephrath peperit Calebo Hurum futurum patrem Bethlehem. Dein ab ipso Hesrone ad suum thorum abrepta Iairitarum effecta est mater, qui tamen non Iudaeis, sed Manassaeis Machiritis accensiti sunt. Tandem ad Calebi thorum redux peperit Ashur patrem Thecuae.

v. 18 « *Caleb vero filius Hesron* », ergo indubie idem qui v. 9 Calubi seu Calebita, « *accepit uxorem nomine Azuba,* [*de qua genuit*] *Ierioth* ». Aliter plane *Hebr.* : הוליד את עזובה אשה ואת יריעות, *genuit Azubam mulierem et Ierioth.* Textus evidenter est corruptus. Quis *Ierioth*? vir an mulier? si *vir,* cur postponitur Azubae *mulieri*? cur sequitur suffixum *fem.* בניה, *filii eius* (mulieris)? Cur nomini Azubae inepte adscribitur אשה, *mulier,* neque potius adscribitur בתו, *filiam suam*? Si *mulier* Ierioth, cur non *utrique* nomini adscribitur *mulieres,* seu verius *filiae*? Unde *Syr.* : *genuit ex Azuba uxore sua Ierioth.* Sed הוליד את in genealogiis semper demonstrat *eum qui,* non *eam ex qua* generatur. Habet etiam textus non אשתו, *uxorem suam,* sed אשה, *uxorem* seu *mulierem*; unde *Ber.* censet, vocem esse a glossatore adscriptam ad denotandum Azubam fuisse mulierem. Sed pro הוליד cum *LXX Vulg.* omnino legendum esse לקח, etiam censet *Kittel* : *sumpsit Azubam uxorem.* In vocis obliteratae locum facile sufficiebatur הוליד, quae vox in genealogiis constanter usuvenit.

Quid vero *et Ierioth?* Sane Ierioth *mulier* ob sequens suffixum fem., ergo alia Calebi *uxor.* At ita nulla recensetur Azubae posteritas, cum tamen uxores recitentur intuitu posteritatis (v. s. p. 50 b). Quodsi vim inferens textui suffixum referas ad Azubam, rursus posteritate caret Ierioth. Igitur *Kittel* inserit verbum ויולד, ut cum *Vulg.* habeatur sensus : *de qua* (Azuba) *genuit Ierioth.* At ita suffixum fem. necessario refertur ad Ierioth, ergo Ierioth fuit mulier, cuius filii spectant ad posteritatem non Calebi, sed mariti anonymi Ierioth. Vulg. non legebat ויולד, sed textum depravatum explicare conatur. Nos nullam textui vocem adiicimus, sed levem textui adhibemus correctionem, pro ואת

scribimus בת : *sumpsit uxorem Azubam filiam Ierioth*. Accuratius tandem describenda fuit mulier illa Azuba. Vir nomine *Ierioth* in aliis textibus non reperitur; fortasse in antiquis historiis ille accuratius describebatur, vel nomen in textu nostro deformationem passum est. Nostra illa correctione adhibita perspicuus est totus textus. Azuba ideo tantum commemoratur, ut eius filii v. 18^b recenseantur, et ut via paretur narrandis nuptiis Calebi cum Ephrath v. 19. Azuba neque fuit prima Calebi uxor, cum v. 42 recenseatur primogenitus Calebi diversus a tribus filiis Azubae v. 18^b : sed commemoratur Azuba primo loco, quia Azubae mors occasio fuit Calebo ducendae Ephrath, de cuius vicissitudinibus h. l. agere potissimum in animo habet auctor. Nexus v. 18 sqq. suggerit, Calebum duxisse Ephrath ideo vel etiam ideo, ut ea quodammodo subintraret in locum Azubae vita functae.

« *Fueruntque filii eius* », sc. Azubae filiae Ierioth : « *Iaser et Sobab et Ardon* ». ישר, Ιωασαρ, Σαρ. שובב, Ἰασουβ, Σουβαβ. ארדון, Ὀρνα, Ἀδδωμ. Nomina, qualia in *Hebr. Vulg.* leguntur, secus non commemorantur. Cur ea redactor descripsit? Sapienter descripsit, quia reperit in *documento,* quod fideliter describere in animo habebat. Quo tempore documentum concinnabatur, norant sane homines de illis tribus viris plura, quam nuda nomina; florebant fortasse familiae ex illis derivatae. Id vero, quod auctor documenti itemque redactor potissimum nos docere volebant, non erant *tria illa nomina*, sed *duo illa Calebi coniugia.*

v. 19 « *Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb Ephratha* », seu verius *Ephrath*, אפרת, Ἐφραθ, « *quae peperit ei Hur* ». Cuius viri genealogia explicatur v. 50 sqq.; 4,1 sqq. CEL p. 182 statuebamus, sat probabiliter cum *Ios.* hunc virum componi cum Hur Ex. 17,10; 24,14, viro in consiliis Moysis gravissimo, qui cum Aarone adstabat Moysi oranti apud Raphidim, dum Iosue Amalecitas fundebat. Igitur Hur v. 50; 2, 4 audit « *primogenitus* Ephrath », quod non est idem acsi diceretur « primogenitus Caleb » (v. i. v. 42). Habuitne Hur, quatenus erat primogenitus Ephrath, *iura* quaedam a matre derivata prae reliquis filiis Ephrath itemque prae reliquis filiis Caleb?

v. 20 « *Porro Hur genuit Uri, et Uri genuit Bezeleel* ». Habes Ex. 31,2; 35,30 Bezeleel filium Uri filii Hur de tribu Iuda : quorum *trium* nominum non est adstruenda fortuita concordantia : ergo auctor Bezeleelem, fabricatorem sanctuarii mosaici, facit abnepotem Calebi filii Hesron. Porro Caleb filius Hesron et pater Hur idem est, atque Caleb frater Ierameel (cum v. 42 h. l. cf. v. 9), et Caleb v. 46. 48. 50 : describitur sc. hoc capite posteritas *unius eiusdemque Caleb* ex Azuba et Ephrath, ex uxore prima anonyma v. 42 sqq., ex Epha et Maacha

concubinis v. 46 sqq. Porro ex eodem Caleb filio Hesron, secundum evidentem contextum v. 49, derivabatur item (mediate) Achsa, quae nuptui data est Othonieli. Sed Achsam filiam suam Ios. 15,16 sqq. vocat Caleb filius Iephone. An igitur idem vir *Caleb filius Iephone* et *Caleb filius Hesron*? At quomodo potuit Caleb filius Iephone, qui Ios. 14,7 erat quadragenarius, quando Bezeleel compleverat sanctuarii mosaici fabricationem, esse eiusdem Bezeleelis *proavus*? Quae ratio movit *Est.*, *Malv.*, *Men.*, *Calm.*, ut duos statuerent Calebos, Caleb filium Hesronis et Caleb filium Iephone; movit *Tost.* et *Mar.*, ut duos praeterea statuerent Hur, Uri, Bezeleel. Sed hoc alterum ridiculum. Potius quam id concederem, cum recentioribus quibusdam permitterem, aut falso 2,20 textui sacro adscriptam esse genealogiam Hur, Uri, Bezeleel, aut falso 2,49 verba « filia vero Caleb fuit Achsa ». At neutra emendatione opus esse iudico.

Quaestionem de Caleb filio Hesronis et de Caleb filio Iephone discutiebamus C N p. 201 sq. et CJ[1] p. 339 sq.

Habes igitur virum celeberrimum *Caleb filium Iephone*, qui Ios. 14,10 erat 85 annos natus, quando a Iosue dimissus est, ut subigeret Iudaeam. Is certe fuit Bezeleelis aequalis, sed haud potuit esse Bezeleelis generatione proavus. Idem vir Ios. 15,16 sqq. scribitur pater Achsae. Quae vox aeque potest accipi de paternitate immediata et mediata; mediata imo probabilior, cum Caleb filius Iephone, quo tempore expugnabatur Dabir, fuerit fere nonagenarius. Hic Caleb vocatur Cenezaeus Num. 32,12; Ios. 14,6, i. e. oriundus e gente non hebraea Cenezaeorum Gen. 15,19.

Est praeterea, secundum textum 1 Par. 2,49 a nobis restitutum, *Caleb II filius Saaph*, pater Achsae idemque frater Othonielis Ios. 15, 17. Etenim Othoniel (ib. et 1 Par. 4,13. 15) erat filius Cenez nepotis Caleb filii Iephone : ergo Othoniel Calebi filii Iephone non erat *frater*, sed filius mediate genitus, erat igitur frater Caleb II. Cf. schema CJ[1] p. 339 et s. p. 25.

Est tandem *Caleb filius Hesronis*, a quo derivantur h. l. Hur, Uri, Bezeleel, iidem viri atque Ex. 31,2; 35,30.

Caleb II certe est distinguendus a Caleb filio Hesronis avo suo, itemque a Caleb filio Iephone : quodsi enim cum hoc viro, Othonielis antecessore confundatur, iam non relinquitur Caleb aliquis, qui fuerit Othonielis frater.

Ut duos viros esse statuas Caleb filium Hesronis et Caleb filium Iephone, has appellabis rationes : Caleb filius Hesronis nunquam vocatur Cenezaeus; vocatur non filius Iephone, sed filius Hesronis; Caleb filius Iephone non potuit esse proavus Bezeleel.

Pro confundendis iisdem viris faciunt haec. Si viri adstruantur esse diversi, non explicant genealogiae originem viri celeberrimi Caleb filii Iephone, quem tamen norant esse Cenezaeum filiumque Iephone. Sed quis Iephone, et quorsum Cenezaeus? Praeterea Caleb filius Iephone certe subegit Hebronem aliasque Iudaeae urbes : at earumdem urbium *patres* certe constituebantur filii Caleb filii Hesronis, atque imprimis huius Calebi primogenitus Maresa 2,42 constituebatur pater Hebron, quam certissime expugnavit Caleb filius Iephone. Inter progenitores Achsae certe reperiebatur Caleb filius Iephone : at item Caleb filius Hesron.

Igitur ad id, quod obiicitur, Calebum filium Iephone non potuisse esse Bezeleelis proavum, recole quae CEL p. 37 sq. dicebamus de iis qui, cum Hebraei non essent origine, aevo mosaico accessere ad sacra Hebraeorum, facti sunt semen Abrahae, adscripti sunt alicui tribui et familiae. Potuere igitur Uri et Bezeleel, aetate etiam provectiores, ad Hebraeorum sacra transire et adscribi familiae Hur, etsi is vir esset longe iunior ipsis : « Hur genuit Uri, Uri genuit Bezeleel ». Cf. CJ[1] p. 29 sqq.

Ad eadem sacra ante hos viros transiisse censemus Caleb, qui vere fuit Cenezaeus origine et a Iephone Cenezaeo prognatus, atque adscriptum esse familiae Hesron. Porro *genealogiarum* non erat demonstrare Calebi originem e Cenezaeis et e Iephone Cenezaeo, sed originem legalem, legali adoptione effectam ex Hesron. In historiis vero, etiam antiquioribus prolixioribus, scribebatur Caleb Iephone filius, quia vere erat Iephone filius, erat autem unus saltem praeterea Caleb Hesronita, sc. Caleb II 2,49. Brevis genealogia 4,13-15 censenda est fluxisse ex antiquissima narratione, quae uti liber Iosue virum vocabat filium Iephone, quo nomine is a Caleb II distinguebatur; sed ea eiusdem antiquissimae narrationis pars, e qua derivatur genealogia 2,18-24, *debuit* virum vocare filium Hesronis, cum referendae essent nuptiae unius mulieris Ephrath primum cum filio (legali) Caleb, dein cum patre (legali) Hesron. Excerptor non fuit de declaranda Calebi origine sollicitus, similiter atque redactor 1,4. 36 non declaravit Noe ad Sem, Cham et Iapheth, neque Thamnae ad Eliphaz rationem.

v. 21 « *Post haec ingressus est Hesron ad filiam Machir, patris Galaad, et* » *ipse* « *accepit eam, cum esset* » *ipse* « *annorum sexaginta. Quae peperit ei Segub* ». *LXX R* Σερουχ. v. 18-24 habetur *continua* narratio : mortua Azuba Caleb ducit Ephrath et ex ea generat Hur; sed postea Hesron Calebi pater ingreditur ad filiam Machir et ex ea generat Segub; mortuo Hesrone rursum ingreditur Caleb ad Ephrath. Cur tacetur *nomen* filiae Machir? Cur effertur v. 24, Calebum *nonnisi*

mortuo Hesrone iterum ingressum esse ad Ephrath, quae certe antea (v. 19) fuerat Calebi uxor? Cur cum emphasi affirmatur Hesron *ipse* sumpsisse illam, veluti agatur de muliere antea ab alio sumpta? Cur cum emphasi scribitur idem *ipse* fuisse tum *sexagenarius,* cum non sit res inaudita sexagenarium ducere uxorem et ex ea generare filium? Profecto totus contextus clamat *filiam Machir esse ipsam Ephrath* : hanc primum duxit Caleb, hanc Calebo eripuit Hesron, hanc Hesrone mortuo recuperavit Caleb. In vocibus אל אפרת בת, ob similitudinem quamdam literarum, excidit media vox אברת : *ingressus est Hesron ad Ephrath filiam Machir.* De appellatione *patris Galaad* dicemus ad 7, 14. Neque h. l. plane est negligenda lectio *LXX L,* scribentium post eam appellationem : αὐτὸς Γαλαὰδ ἔλαβε τὴν Ἀχήμ. Supponas in textu obscuro voces duas commutasse locum suum : αὐτὸς Ἀχήμ ἔλαβε τὴν Γαλαάδ. Hebraice : הוא החם לקח את כלתו, *ipse socer sumpsit nurum suam.* Quae verba vel primitus fuerint in textu, vel sint glossa non insipienter adscripta. Annon atrocis *incestus* reus Hesron? Omnino. Tamen adverte ipsum Caleb, *Cenezaeus* cum esset, fuisse filium Hesron non generatione, sed legali attributione (CN p. 202) : erat igitur incestus ut ita dicam legalis tantum, ignorans affinitatem non carnalem sed spiritualem. Quaesieris, cur Hesron, cum esset sexagenarius haberetque uxores et liberos, sibi arripuerit uxorem Caleb. Facti rationem mihi videor deprehendere in verbis adscriptis non v. 19 sed v. 21, Ephrath fuisse *filiam Machir,* quibus insinuari censeo virum pellectum esse mulieris *nobilitate* potius quam venustate. De qua re v. ad v. 23.

v. 22 « *Sed et Segub genuit Iair, et possedit viginti tres civitates in terra Galaad* ». Iair vir ob robur et fortitudinem famosus. Viculi illi *Havoth Iair* h. l. affirmantur fuisse 23 numero; quibus numerosiores fuere viculi 30 (Iud. 10,4) ab altero Iair nomen nacti. Quoad illos porro vicos habetur obscuritas quaedam, nata uti videtur inde potissimum, quod nomina Galaad et Basan non scribantur semper sensu stricto pro sola Galaaditide et Basanitide, sed sensu latiore pro regno Og regis Basan. Quo latiori sensu Ios. 13,30 (CJ[1] p. 316) et Deut. 3,14 Havoth Iair affirmantur fuisse in *Basan*; sed Num. 32,41; 3 Reg. 4,13 affirmantur fuisse in *Galaad.* Sunt oppido distinguendi a 60 oppidis muratis, quae erant in regione Argob : h. l. v. 23; Ios. 13,30; 3 Reg. 4,13.

v. 23 « *Cepitque Gessur et Aram oppida Iair et Canath et viculos eius, sexaginta civitatum* ». *Gessur* Ios. 13,13 regnum ad radices montis Hermon situm. *Aram* interpretaberis vel Aramaeos universim, e regione Damasci habitantes, vel potius regnum *Maacha,* quod 19,6

Aram Maacha scribitur, et cum Gessur copulari consuevit. Textum ignorat *Syr*. *Oppida Iair* seu Havoth Iair sunt ipsae 23 civitates in terra Galaad v. 22 : mirum apparet, eas h. l. eo nomine appellari, cum v. 22 eo nomine non appellentur. Unde CN p. 191 statuebamus, verba v. 23 esse confirmationem v. 22, petitam e versiculo cantici cuiusdam popularis, quod victorias Iair universim celebraverit :

Cepitque Gessur et Aram
Havoth Iair ab ipsis (incolis),
Canath et viculos eius,

cui versiculo auctor adscribat summam civitatum captarum : 60 civitates. Ad illud vero Deut. 3,14, Iair cepisse regionem « usque ad terminos Gessur et Maacha », respondet *Tost.*, eo non excludi aliquam etiam partem terminorum Gessur et Maacha occupasse Iair. Illi porro interpretationi aliam adscribo, quae facit *Gessur et Aram* subiectum sententiae, et adstruit oppositionem inter *possedit* seu *fuit ei* v. 22 et inter *cepit* v. 23 : Iair acquisivit, Gessur et Aram abstulere. Sc. Gessur et Maacha et aevo Iosue non erant subacta (Ios. 13,13), et aevo Davidis suis parebant regibus : facile credentur tempore auctoris nostri documenti in alienigenarum fuisse potestate. Ergo : *cepit Gessur et Aram Havoth Iair et Canath et vicos eius* (Num. 32,42), *60 civitates*. Havoth Iair addita Canath et vicis eius, inquit *Ber.*, efficiebant summam 60 civitatum. Quominus has interpreteris fuisse easdem atque 60 civitates munitas regionis Argob, eo prohiberis quod ante *60 civitates* deficiat copula. Verba interpretaberis notulam antiquae genealogiae adscriptam : tempore redactoris nemo requisiturus erat explicationem, cur eae regiones non iam essent in manibus Hebraeorum.

« *Omnes isti* », Segub, Iair eorumque posteri, « *filii Machir patris Galaad* ». Miraberis profecto, viros Hesrone iudaeo genitos vocari *filios Machir*. Sed dubium praeoccupat v. 21 affirmans Ephrath fuisse *filiam Machir* : non a patre iudaeo, sed a matre machirita habuere viri illi nomen filiorum Machir. Duplici porro modo apud Hebraeos efficiebatur, ut proles adscriberetur stirpi non patris, qui genuisset, sed alius cuiusdam. Primum per *coniugium leviratus,* quando viduam viri sine prole defuncti ducebat unus e proximis cognatis viri, cuius coniugii primogenitus non attribuebatur cognato sed viro defuncto. At Machir non caruisse prole virili, habes 7,15 sqq. Ergo non coniugio leviratus effectum est, ut Segub haberetur filius Machir. Alter modus erat *coniugium filiae haeredis*, cuius rursum filius primogenitus attribuebatur familiae matris haeredis. Cum igitur appel-

lationis *filii Machir* v. 23 explanatio repeti nullo nomine possit e coniugio aliquo leviratus, repetenda necessario erit e coniugio aliquo filiae haeredis, seu ex eo quod Ephrath fuerit filia unica vel natu maxima cuiusdam principis manassaei, qui sine filiis cesserit e vivis.

Quomodo haec applicari possint Ephrath, coniicientes exponebamus CN p. 191 sq. et : Das vormosaische Priesterthum p. 46 sqq. Rem h. l. summario complectimur. Igitur (cf. CEL p. 3 sqq.) suggerebamus, sacerdotes praemosaicos Ex. 19,22. 24 fuisse inter potissimos Moysis oblocutores; hos sacerdotes fuisse manassaeos, e tribu primogenita domus Ioseph, cui domui Iacob patriarcha contulerat iura primogeniturae inter tribus; eius sacerdotii summam fuisse penes familiam Esriel primogeniti Manasse (1 Par. 7,14); hos sacerdotes ad unum omnes interemptos esse caede Ex. 32, quae proxime consecuta est superstitionem vituli aurei. Esrielis, aut eius qui post Esrielem exstitit familiae caput, filiam coniiciebamus fuisse Ephrath, quae tota familia iusta caede ita exterminata, ut alii praeter Machiritas non superessent Manassaei, iure appellanda fuerit et reapse v. 21 appelletur filia Machir. Dicebamus porro, Hebraeorum plures eam sacerdotum caedem uniusque familiae exstirpationem inique tulisse, imprimis Hesronem qui, translata a thoro Calebi ad thorum suum Ephrath, attentaverit Esrieli suscitare haeredem; hinc in lucem editum Segub, qui Manassaeis quidem sit accensitus, principatu vero inter Manassaeos caruerit, adnumeratus reliquis filiis Machir. Rationes probabiles, quas pluribus inter se collatis textibus congessimus, v. locis citatis. Nostra haec opinio pluribus textibus obscurioribus lucem affundit indolemque historicam genealogiarum cap. 2-8 illustrat; ea certe explanationem suppetit ex ipsis Hebraeorum institutis depromptam, cur 1 Par. 2,23 viri a patre iudaeo e matre manassaea procreati vocentur *filii Machir*. Quam explanationem si repudiaveris, aliam age aeque facilem proferas, aeque aut magis conformem ipsi textui eiusque sensui obvio.

v. 24 « *Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephratha* ». Caleb suam uxorem recepit. בכלב, unde *Ber.*, *Oe.* : cum autem mortuus esset Hesron in *Caleb Ephrath* ; at evidens est, non agi de *loco* secus inaudito Caleb Ephrath, sed de duabus *personis* Caleb et Ephrath. Quare unice vera lectio *LXX Vulg.* בא כלב, *ingressus est Caleb*. Cf. *Kittel*. « *Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quae peperit ei Ashur patrem Thecuae* », de quo plura 4,5 sqq., ubi idem vir a Vulgata scribitur *Assur*. Genealogia v. 18-24 non est in describendis *Hesronis* neque uxoribus neque filiis; ipse Segub v. 21 habitus est filius non Hesronis, sed Machir. Adde, illud *ingressus est Caleb ad Ephrath*

omnino exigere mentionem filii, quem Ephrath genuerit *Calebo*. Ergo pro אפרתה ואשת חצרון אביה lege : (אל) אפרת היא אשת חצרון אביה, et suffixum in אביה puncta non femininum sed masculinum : *ingressus est Caleb ad Ephrath, ipsa fuerat uxor Hesron patris eius*. Confirmatur, quod dicebamus, v. 21 excidisse nomen Ephrath. Uti v. 21 (cf. LXXL) efferebatur enormitas facinoris Hesron sexagenarii, nurum transferentis ad torum suum, ita v. 24 effertur Caleb ad thorum suum reduxisse mulierem, quae ad torum patris eius fuisset antea translata.

3. *Genealogia Ierameel prior* 1 *Par.* 2,25-33.

Arg. — Ierameel primogenitus Hesronis ex uxore prima anonyma genuit filios tres et filiam unam. Primogeniti Ram commemorantur filii tres. Ex altera uxore Atara generationibus successivis numerosior prodiit posteritas, cuius tamen aliquae familiae defecere.

Ierameel, ירחמאל : eius viri mentio praeter v. 42 deinceps non habetur. Est homonymus aequalis Davidis 1 Par. 24,29, homonymus aequalis Ieremiae Ier. 36,26 : fuit ergo istud nomen inter Hebraeos nequaquam singulare. Habetur praeterea in Negeb 1 Reg. 27,10; 30, 29 stirps aliqua hebraea Ierameel, quam David apud Achis se fingit esse depraedatus, cui amice dona submittit. Quam aliqui cum nostro Ierameel comparant, coniectura probabili, dummodo non affirmes (*Wellh.*), chronistam stirpem illam minime hebraeam h. l. facere iudaeam, eiusque originem ab Hesrone iudaeo falso repetere.

Quod v. 25 recenseantur tres filii et *filia* una, ostendit nomina genealogiae proxime esse nomina *individuorum* hominum; item, quod tradatur nomen *uxoris* Abisur, quod Iether et Saled tradantur e vivis cessisse sine prole. Neque tamen infitior nomina plura vel etiam pleraque filiorum eadem facta esse nomina *familiarum*.

Recensetur v. 25 Asom *filia*, siletur nomen *primae* uxoris Ierameel, de quibus v. p. 50.

Post v. 26 solius uxoris *Abisur* nomen recitatur : fortasse de hoc coniugio aliquid narrabant antiquae historiae.

Praeponitur v. 29 sq. Abisur fratri, qui videtur fuisse primogenitus, Nadab. Sed stirpis Nadab tenues reapse fuere res : Saled filius sine prole e vivis cessit, cuius fratris Apphaim familia videtur desiisse in unicam filiam haeredem.

Ex solo v. 31 non est perspicere, Oholai fuisse non filium, sed filiam : unde inferas, non omnia necessario nomina, quae in his genealogiis sub inscriptionibus « filii » recensentur, filiorum esse, sed quan-

doque filiarum. Fortasse alia aliqua fuere filiarum haeredum coniugia, quae non ita uti coniugium Oholai explicantur.

Quodsi Ierameelitae revera (p. 65) extremum Negeb incolebant, sortem nacti sunt minus fertilem atque in ea sine dubio minus prospere egerunt. Perpende, prosperitatem et posteritatem aestimatione veterum Hebraeorum fuisse praemium vi foederis promissum hominibus piis : annon debuit haec genealogia viros habens duos, qui omni prole, et virum unum, qui teste sequente genealogia prole mascula caruit, lectoris iudaei animo movere suspicionem, stirpem Ierameel non satis fideliter serviisse Iahvae?

v. 25 « *Nati sunt autem* » — *Hebr.* : *et fuerunt* — « *filii Ierameel primogeniti Hesron* » (v. 9) : — cum porro horum filiorum primus sit *primogenitus*, et v. 26 adscribantur filii uxoris *alterius*, ergo filii v. 25 sunt uxoris *primae*, cuius nomen in textu non est (v. s. p. 50) — « *Ram primogenitus eius, et Buna et Aram et Asom* » — רם, בונה, ארן, אצם. *LXX R* habent nomina quinque : Ῥαν καὶ Βαναια καὶ Ἀραια καὶ Ἀμβραμ καὶ Ἀσαν — « *et Achia* ». Admirationem facit hoc unum nomen a *Iahve* derivatum, cuius formae nomina antiquae hae genealogiae vix habent (cf. ad Abia v. 24). Ante quod nomen *copulam* habet sola *Vulg.*; *LXX R* אחיו, *frater eius*, cum tamen scribendum fuerit *frater eorum*, haec vero vox unico nomini adscripta plane fuerit superflua. *LXX L* Ἀχιαμ. Lectio ceteris probabilior *Syr.* אחתם : *et Asom soror eorum*. Reliqui filii fuere, haec filia. Gratuito aliqui adstruunt, Ram primogenitum Ierameel eundem esse atque v. 9 sq. Ram fratrem Ierameel : cf. 6,19. 47 Moholi fratrem Musi, et alterum Moholi filium Musi. v. 26 « *Duxit quoque uxorem alteram Ierameel, nomine Atara, quae fuit mater Onam* ».

Recensetur posteritas primogeniti *Ram*, omissis eius v. 26 fratribus : v. 27 « *Sed et filii Ram primogeniti Ierameel fuerunt: Moos, Iamin et Acar* ».

Recensetur posteritas *Onam* v. 26, filii secundae uxoris : v. 28 « *Onam autem habuit filios : Semei et Iada* ». Posteritas *Semei* recensetur v. 28[b]-31, posteritas *Iuda* v. 32 sq.

Posteritas *Semei*. « *Filii autem Semei : Nadab et Abisur* ». Perperam *LXX L*, omisso *et Iada, et filii Semei*, faciunt tres filios Onam : *Semei, Nadab et Abisur*. v. 29 « *Nomen vero uxoris Abisur Abihail, quae peperit ei Ahobban et Molid* ». v. 30 « *Filii autem Nadab* » (v. 28) « *fuerunt Saled et Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis* ». v. 31 « *Filius vero Apphaim Iesi. Qui Iesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai* ». Pro *genuit*, *Hebr.* *filii*. Si pro unico filio scribitur pluralis filii (v. 8), non est cur non unicae filiae idem plu-

ralis masc. praefigatur; non habetur contradictio cum v. 34 sq., ubi Oholai declaratur fuisse non filius sed filia.

v. 32 « *Filii autem Iada fratris Semei* » (v. 28) : « *Iether et Ionathan* ». Cf. *LXX R.* « *Sed et Iether mortuus est absque liberis* ». v. 33 « *Porro Ionathan genuit Phaleth et Ziza* ».

Et adscribitur genealogiae clausula : « *Isti fuerunt filii Ierameel* ».

Genealogia non videtur eo potissimum fine esse descripta, ut praeparet sequentem genealogiam Oholai, cum v. 32 sq. ultra Oholai excurrat. Tempore *Davidis* non solum conficiebatur totius populi census, sed profecto habebantur elenchi omnium *familiarum*. Fortasse noster elenchus familiarum Ierameel condebatur *Davide rege*. Quam opinionem fulcit sequens coniectura. Habes v. 32, extrema fere genealogia, *Iether Ierameelitam*. Habes 2,17 *Iether Ismaelitam*, qui idem 2 Reg. 17,25 scribitur *Israelita, Iezrahelita*, nomen utique dubiae lectionis. Supponas, haec omnia exprimere unum *Iether Ierameelitam*. Hic ex Abigail sorore Davidis genuerit Amasam. Obiicies, Iether v. 32 scribi obiisse sine liberis. Sed, si praeter Amasam non habuit liberos, filioque trucidato (2 Reg. 20, 10) superfuit, mortuus est utique Iether sine liberis. Perspicis rationem, ob quam veteres historiae hanc genealogiam tradiderint, sc. quod fusius retulerint quae spectabant Abigail sororem David; vides, cur genealogiam hanc non ulterius produxerint : produxerunt usque ad tempora Davidis, Iether et Amasae. Genealogia vero v. 34-41 postdavidica est.

4. *Genealogia Ierameel posterior* 1 *Par.* 2,34-41.

Arg. — Oholai filia haeres nupsit Ieraa Aegyptio, a quo per 13 vel 14 generationes producta est stirps Sesan fortasse usque ad exsilium.

Si vere Iether v. 32 fuit maritus sororis David, facile perspicies quomodo factum sit, ut aevo Salomonis, qui foedus haberet cum Pharaone, vir aliquis aegyptius prospere egerit in Iudaea. Numerus generationum fere consonat numero regum davididarum : ergo pertingat genealogia usque ad exsilium. Pauca virorum nomina habent יהוה et אל. Ceterum, nonne hac in re aliquid erit tribuendum moribus Negebi simplicioribus? Annon iidem viri, si in Ierusalem vixissent, nomina habuissent Nathanias, Zabadias, Obadias?

v. 34 « *Sesan autem non habuit filios sed filias, et servum aegyptium nomine Ieraa* ». Cum Ierameelitae 1 Reg. 27,10; 30,29 incoluerint in extremis finibus Iuda meridiem simul et orientem versus, propius ceteris aberant a finibus Aegypti. Servum aegyptium habes

etiam 1 Reg. 30,13 sqq. v. 35 « *Deditque ei filiam suam uxorem, quae peperit ei Ethei* ». Haud dubitandum, Ieraa ad sacra transiisse Hebraeorum; item Oholai fuisse sororum natu maximam, si plures erant sorores : fuit enim filia haeres. Ceterum, cum vox « filii » saepe praescribatur, ubi unicus recitandus est filius, potuit etiam v. 34 scribi « filias », etiamsi unicam Sesan haberet filiam (את בתו).

v. 36 « *Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad* ». v. 37 « *Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed* ». v. 38 « *Obed genuit Iehu, Iehu genuit Azariam* ». v. 39 « *Azarias genuit Helles, et Helles genuit Elasa* ». v. 40 « *Elasa genuit Sisamoi* » (ססמי, Σοσομαι, Σασαμει), « *Sisamoi genuit Sellum* ». Eadem nomina copulata habes Corp. Inscr. Semit. 95 : בעלשלם בן ססמי, Baalshallum filius Sismai. v. 41 « *Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama* » — adduntque *LXX R : et Elisama genuit Ismael.*

Habetur 4 Reg. 25,25 *Ismael* filius Nathaniae filii *Elisama*; qui tamen scribitur fuisse « de semine regio ». Habes Ier. 36,12 sub rege Ioakim *Elisama* scribam. Haec demonstrant, plures homines appellatos esse Elisama; non demonstrant, Elisama v. 21 esse illum scribam. Genealogia desinit in nomen Elisama (vel Ismael), non quod hic fuerit vir famosus, sed quod haec genealogia sit genealogia familiae Elisama Ierameelitae. Sc. collector eum genealogiae textum tamquam magis fidum et integrum selegit, qui genealogiae Ierameel publicae adscriptam habebat genealogiam privatam familiae Elisama, quam aliquis eius familiae vir adscripserat tamquam familiae suae a Ierameel originis certum documentum.

Igitur nomen Hesronitae Ierameel cap. 2 occurrit omnino sexies, secus uti videtur bis (1 Reg. 27,10; 30,29). Nihilominus articulo « Ierahmeel » aliisque articulis in Encyclopaedia biblica, London 1899-1903, *T. K. Cheyne* copiose agit de Ierameelitis. Sermonem claudit hisce verbis : « Quodsi recipiantur coniecturae nostrae de deformationibus, quas passus est textus masorethicus et graecus, patebit stirpem vel stirpes Ierameelitarum plus valuisse auctoritate, quam suspicabamur antehac. Quorum nomen multis modis deformatum coniicimus in narrationibus et genealogiis latere ». Opinio haec singularis, nemini probata, tota nititur assonantiis nominum propriorum : articulo elenchum adscribit Cheyne nominum propriorum omnino 24, in quibus deformationes nominis Ierameel subodorabatur.

5. *Genealogia Caleb 1 Par.* 2,42-50[a α].

Arg. — Traduntur filii Caleb filii Hesron ex uxore prima anonyma (v. s. p. 50. 70), e concubinis Epha et Maacha. Illi sortem nacti sunt optatissimam in Monte circa Hebronem, hi minus optatam in Negeb

occidentali primum. Inter utrosque plures efferuntur patres civitatum. Genealogia adumbrat montis Iuda per Calebitas expugnationem, et ultra tempora Othonielis non procurrit.

Dum genealogia Ierameel posterior v. 34-41 affinior est genealogiae Ram v. 10-17, proceditque a patribus ad filios tacitis uxoribus, genealogia Caleb v. 42-50$^{a\alpha}$ affinior est genealogiae Ephrath v. 18-24 et genealogiae Ierameel prioris v. 25-33. Uti haec inscribitur « Filii Ierameel primogeniti Hesron », ita genealogia v. 42-50$^{a\alpha}$ inscribitur « Filii Caleb fratris Ierameel »; habes subscriptiones v. 33 « Isti fuerunt filii Ierameel », et v. 50$^{a\alpha}$ « Isti fuerunt filii Caleb ». Describunt hae genealogiae origines familiarum, a primogenitis ordiuntur, quorum matres tacentur. Genealogia v. 42-50$^{a\alpha}$ est veluti continuatio genealogiae v. 18-24, patres civitatum recenset. Haec domesticas vicissitudines Caleb et Ephrath pingit; illa, omissa interim Ephrath, Calebitarum per Iudaeam progressus describit.

v. 42 « *Filii autem Caleb fratris Ierameel* », eius sc. Caleb, de quo v. 9. 18 : « *Mesa primogenitus eius* » (מישע, Μαρισα uti v. 42^{b}, Μουσα), « *ipse est pater Ziph* ». Cum reliquae v. 42-45 urbes omnes reperiantur in Monte Iuda, haec Ziph non est illa Ios. 15,24 in Negeb sita, sed est Ziph Montis Iuda Ios. 15,55, hodie Zîf ad austrum Hebron vergentem ad orientem (CJ[1] p. 360). « *Et filii Maresa patris Hebron* ». Sed quis *Maresa*? Textus mancus facillime emendatur, pro ובני, *et filii*, scripto ובנו : « *et filius eius Maresa pater Hebron* » (מרשה, Μαρισα, Μαρησα). v. 43 « *Porro filii Hebron : Core et Taphua et Recem et Samma* ». Cum Core, Recem, Samma certe non sint nomina urbium montis Iuda, neque nomen *Taphua*, תפח, censeo petitum esse a Taphua urbe Sephelae Ios. 15,34, neque a Beth Taphua, בית תפוח Montis Ios. 15,53. Adverte תפוח designare *arborem pomum*, a qua potuit derivari nomen viri, uti a תמר, palma, nomen mulieris. Evidens est nomine *Hebron* intelligi Maresam patrem Hebron v. 42; cum vero in hoc elencho non consueverint scribi nomina urbium pro nominibus eorum virorum, qui urbium fuere patriarchae, crediderim textum v. 43 esse mancum, atque restituendum *filii Maresa patris Hebron*.

Vel dicas, negligentius pro Maresa patre Hebron scribi Hebron, sicut alia quaedam negligentius scripta deprehendantur 1,4. 36; 2,7; 4,17.

Explicatur posteritas primum Samma quarti, deinde Recem tertii filii. v. 44 « *Samma autem genuit Raham patrem Iercaam* ». Urbis nomen inauditum. Sed Ios. 15,56, in eadem provincia Montis ubi Ziph, habetur *Iucadam*, יקדעם, quam coniecerim eandem esse atque h. l. ירקעם, 'Ιακλαν, 'Ιερεκαμ. « *Et Recem genuit Sammai* », qui factus est

pater patris cuiusdam urbis : v. 45 « *Filius Sammai : Maon; et Maon pater Bethsur* », notissimae civitatis ad aquilonem Hebron (CJ[1] p. 361).

Explicatas habes familias a Mesa *primogenito* Calebi derivatas; familias *Azuba* genitas habes v. 18, nihil h. l. de earum metropolibus traditur, fortasse proprias habuere nullas, sed filiis uxoris Calebi primae aliusve uxoris subfuere. De filiis uxoris *Ephrath* v. 19 agetur v. 50 sqq. et etiam cap. 4 : neque hi uti familia primogeniti circa *Hebron* sedes nacti sunt, sed prope *Bethlehem* et *Cariathiarim*. Adscribuntur h. l. primum *duarum concubinarum* filii, quorum aliquos *Negeb* incoluisse in comperto est, fortasse omnes Negeb incoluere.

v. 46 « *Epha autem concubina Caleb peperit Haran et Mosa et Gezez. Porro Haran genuit Gezez* ». v. 47 « *Filii autem Iahaddai : Regom et Ioathan et Gesan et Phalet et Epha et Saaph* ». *Iahaddai* non est alia uxor Calebi (*Oe.*) : adscribendum erat « concubina » (cf. v. 46. 48). Aliquam in textu haberi *lacunam,* notavere *Malv.*, *Calm.* : secundum uniformem harum genealogiarum structuram debuit *Iahaddai* ante v. 47 commemorari. Nequit cum *Ber.* defendi, unum eundemque Gezez primum scribi Calebi *filium,* dein accuratius Calebi *nepotem.* In aliis textibus saepe nepos latiori sensu filius scribitur : sed in eadem *genealogia* nequit idem vir primum filius scribi et illico nepos. Poteris cum *Calm.* duos statuere Gezez; ubi extremo v. 47 suggerunt *Malv.*, *Calm.* excidisse verba *et Mosa genuit Iahaddai.* Haud difficilior est correctio, ut v. 46 pro *et Gezez* statuas primitus scriptum fuisse *et Iahaddai,* vel pro extremo *Gezez, Iahaddai.* — Altera adscribitur concubina Caleb : v. 48 « *Concubina Caleb Maacha peperit Saber et Tharana* ».

Nihil *geographiae* habent v. 46-48 : sed defectum supplet v. 49, rediens ad Saaph v. 47. — v. 49 « *Genuit autem Saaph pater Madmena Sue patrem Machbena et* » x « *patrem Gabaa. Filia vero Caleb fuit Achsa* ». Ubi scripsimus x, utique excidit nomen viri, qui fuit pater Gabaa : nomen facili ope restituitur. Etenim generationes hae singulae sunt *continuae*, et certe primitus debuere esse continuae; si quando deficiat continuitas, habetur lacuna. Lacuna vero h. l. facile expletur : *pater Gabaa* fuit ipse ille *Caleb,* qui exstitit *pater Achsae.* Habemus Calebum II, filium Calebi filii Hesron. Cf. CJ[1] p. 339 sq. Porro de *Madmena* (Ios. 15,31), urbe Negeb haud procul Siceleg sita, cf. CJ[1] p. 348; unde inferas Machbena etiam et Gabaa in eadem Negebi parte reperiri atque Madmenam, tota quippe progenies Saaph habitabat una. Imo in Negeb item censemus sedes *primum* attributas esse reliquis concubinarum filiis v. 46-48 « per cognationes suas », uti filiis

uxorum Caleb in Monte. Cf. CJ[1] p. 38 sqq. Loci plures *Gabaa* i. e. collis audiebant. *Machbena*, מכבנה, eadem fuerit atque מכונה, Mochona 2 Esdr. 11, 28.

v. 49 verbum ותלד est generis fem. Sed v. 48 *Kethib* ילד masc. scribitur de subiecto feminino Maacha. Utique *Keri* ib. habet fem. ילדה, atque censeo equidem ib. excidisse non solum ה finale verbi, sed post illud particulam את, quae aeque ante *Saber* scribenda fuit atque ante *Tharana*. Quo rursum docemur id, quod sexcenta produnt exempla et rei natura fert, plures irrepsisse errores in genealogiarum textus. Non nego, *Saaph* v. 47 posse esse nomen *filiae*, cum ultimo loco scribatur et filiae semper post fratres scribantur. Sed ne Saaph v. 47.49 *mulierem* esse affirmem, ea moveor ratione Saaph dici *patrem* Madmena : mulier dicenda erat *mater*. *LXX R* non produnt, utrum Saaph habeant virum an mulierem, sed vertunt : *Saaph genuit patrem Madmena*. Qui ita voluerit vertere, fateatur oportet, excidisse nomen patris Madmena, ante nomen particulam את, post Madmena copulam (*LXX*) : *Saaph genuit y patrem Madmena et etc*. Habebis errores omnino tres : ילד pro ילדה את, omissum את cum nomine proprio, omissam copulam post Madmena. Loco quorum unicum praeplacet adstruere errorem, ut scriba aliquis v. 48 sq., commutans verba, pro וילדה את et ויׄלד scripserit וילד et ותלד. Praeterea, si Saaph mulier, eius proles non accensebatur patri Saaph (« Hi sunt filii Caleb »), sed marito, neque inscribenda fuit genealogiae Caleb. Si Saaph mulier, certe non erat filia haeres, cum v. 47 plures eiusdem recitet *fratres*.

Achsa exstitit Calebi II proles unica et filia haeres, fuitque praemium tanto desiderabilius viro qui expugnasset Dabir. *Othoniel factus est pater Gabaa*. Viri 4,11 sq. (v. ib.) adoptione facti sunt filii Caleb II ; ad quos eius viri haereditas nequaquam transmissa est, licet utique haereditatem prope Gabaa cum « cognatis » illi acceperint.

Quaero porro, cur nulli virorum v. 46-48 adscribatur nomen patris cuiusdam civitatis. Ratio obvia, quod nullus eorum eo titulo sit honoratus. Facti ratio probabilis, quod in eo tractu Negeb, quem illae familiae obtinebant, nulla fuerit civitas, qua expugnata sibi aliquis eum titulum promeritus sit. Sed Saaph, qui inter nepotes Epha recensetur extremus, haereditatem nactus est in extremo occidente, ubi prope Siceleg et Philisthaeam fuerint urbes munitae, quarum una expugnata factus est ipse pater Madmena.

Quaero praeterea, cur inter originem Saaph v. 47 eiusque filios v. 49 interponantur filii alius concubinae Maacha. Ratio fuerit haec, quod filii concubinarum omnes v. 46-48 paruerint Saaph patri Madmena : erat e re, ut filii hi concubinarum omnes, a reliquis Calebitis interiecta Sephela primum separati, haberent communem ducem. Haec eadem ratio, cur non iam v. 47 Saaphó adscribatur titulus patris. Postmodum duo filii Saaph, expugnatis duabus urbibus, facti sunt etiam ipsi earum urbium patres.

Non igitur cogimur affirmare, textum v. 46-49 esse hebetius scrip-

tum ac, post recensitum v. 47 Saaph, de eodem viro v. 49 veluti omissa aliqua supplere. Unus habetur continuus sine appendicula textus.

v. 50 « *Hi erant filii Caleb* ». Verba accipe pro *clausula* v. 46-49. Secundum *Hebr.* (בן) utique iungenda erunt sequentibus, ut Caleb scribatur *filius Hur*. At de Caleb filio Hur nulla unquam mentio habetur, dum Hur fuisse filius Caleb diserte affirmetur; *LXX Vulg.* legebant בני, *filii*. Post Caleb scribe non comma, sed punctum : interpunctio S. Hieronymo posterior est.

Explicabamus CJ[1] p. 36 sqq., quomodo Calebitarum stirps primogenita tractum circa Hebronem sibi Iahvae oraculo attributum occupaverit, et quomodo Montis Iuda civitates, quibus eius stirpis « patres » attribuuntur, denotent successivos Calebitarum in eo tractu subigendo progressus. Rem h. l. compendio resumimus. Primogenitus Mesa factus est pater *Ziph*, ipsa quod coniiciebamus Hebrone nondum expugnata. Cuius filius Maresa factus est pater *Hebron*. Maresae nepos Raham factus est pater Iucadam, pronepos Maon factus est pater *Bethsur*. Sed non totus Mons, haereditas optatissima, potuit concedi Calebitis. Quare, cum tractus circa Bethlehem et Cariathiarim cessisset Huritis (v. i.), filii *concubinarum* Caleb in extremo Negeb primum obtinuere sedes. Saaph factus est pater Madmena urbis Negeb, Sue et Caleb II facti sunt patres Machbena et Gabaa, quas ib. fuisse suggerebamus.

Licet in constituendis patribus ratio etiam habita sit *geniturae* (Mesa, Maresa), at non solius geniturae : non traduntur patres esse facti Recem, Samma, Sammai, sed Maon et Raham. E posteris Ephae solus nepos extremus Saaph titulo patris ornatur factusque est patrum pater. Facile patris titulo ornabatur is, qui *expugnasset* urbem sibi pro possessione concedendam. Hinc Othoniel non est factus pater Dabir, quia possessionem nactus est cum cognatis in Negeb. Quid dicendum de viris bene multis, qui patris titulo non ornantur? Credi possunt consedisse in vicis apertis : vici illi erant *filiae*, urbes munitae *matres*, utrisque praeerant *patres* ii, qui urbes munitas nacti erant possessionem.

6. *Genealogia Hur* 1 *Par.* $2,50^{b?}$ — 55.

Arg. — Posteris Hur primogeniti Ephrath obtigit regio circa Cariathiarim et Bethlehem. E duobus Huri filiis derivantur familiae plures, eae imprimis quae Cariathiarim incolebant, quo tempore ibi subsistebat arca. Ad haec quippe tempora, et non ultra, pertingit genealo-

gia. Ultimo loco Huritis Salmaitis accensentur Cinaei seu Cenezaei quidam ad fidem Hebraeorum conversi, qui Iabes incolebant haud procul, uti videtur, Cariathiarim sitam et scribarum artem exercebant, quae res etiam demonstrat, quanti momenti fuerit sanctuarium Cariathiarim.

« *Filii Hur primogeniti Ephratha* » : — modo monebamus, haec verba esse inscriptionem sequentium — « *Sobal pater Cariathiarim* », v. 51 « *Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader* ». Urbis *Bethgader* secus non habetur mentio : quaerenda sane erit eiusmodi urbs circa Cariathiarim et Bethlehem, ad aquilonem eius tractus qui v. 42-45 describebatur. Tamen Bethgader non est necessario accipiendum pro nomine proprio urbis cuiusdam : *domus muri* seu *habitatio muro cincta* potest designare *munitionem* quamdam ipsius Cariathiarim. Erat Cariathiarim urbs una tetrapoleos Gabaonitarum : credi possunt urbes eae omnes instar Gabaonis fuisse *munitae,* in foedere cum Iosue inito permissae esse munitiones retinere. Extra illam munitionem exstructa fuerit urbs hebraea Cariathiarim, intra illam vixerint Hevaei ad Hebraeorum fidem conversi.

Coniecturam confirmat nomen *Hariph*, חָרִף, 'Αριμ., 'Αρημ. 12,5 vocatur Hariphaeus, חריפי, aliquis qui cum Beniaminitis et Gabaonitis ad Davidem accedit. 2 Esdr. 7, 24 sqq., qui idem textus corruptus legitur 1 Esdr. 2,18, nomen Hariph immediate excipiunt nomina Gabaon, Bethlehem, Netopha, Cariathiarim, Caphira, Beeroth. Est nomen sine dubio Beniaminaeorum et Gabaonitarum affine, quod optime congruit posteris Hariph h. l., qui origine erant Gabaonitae et in ipso limine Beniaminitidis habitabant.

Ex alia praeterea ratione verisimillimum apparet, Hariph designare Hevaeos seu Gabaonitas aborigines Cariathiarim : *oportuit* quippe hos Huro accenseri *filios*. Gabaonitae beniaminaei 7,6. 10 sq. ultimi accensentur Beniaminitis nomine Iadiel; Cenezaei ad fidem Hebraeorum conversi ultimi accensentur Hesronitis 2,9 nomine Caleb : Hevaei item seu Gabaonitae iudaei ultimi accensendi fuere Huritis, accensenturque nomine Hariph.

Explicatur porro v. 52 sq. posteritas *Sobal*, v. 54 sq. posteritas *Salma,* recitatis nominibus non filiorum, sed locorum, urbium, cognationum. Ubi accuratius perpendenda indoles textus. Sobalo tribuitur Mons Semi-Manahath (v. i.) et quatuor cognationes expressae non nominibus filiorum, sed patronymicis : Iethr*aeus* etc. Salmae v. 54 tribuuntur Bethlehem et Netophath*aeus*, Ataroth et Semi-Manahath*aeus*. Crediderim haec non scribi fortuito, patronymica exprimere *dependentiam* quamdam a nomine, cui adnectuntur. Sobalitae primum consedere in

illo monte, inde veluti *colonias* effudere quatuor illas cognationes. Similiter Salmaitae e Bethlehem misere *coloniam* Netopham, ex Ataroth in partem demissiorem Manahath.

v. 52 « *Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim : Qui videbat dimidium requietionum* ». Haec infeliciter versa, uti etiam *LXX R :* 'Αρχα καὶ 'Αισι καὶ 'Αμμανιθ. *LXX L* ignorant v. 52. Cum expressione v. 52 conferenda altera v. 54 :

v. 52 הראה חצי המנחות, videns Semi-Manahath.
v. 54 חצי המנחתי הצרעי, Semi-Manahathaeus Saraam versus.

Evidenter agitur de duabus *dimidiis* partibus *unius* rei מנחות. Quid igitur est מנחות, *requietiones*? Designat locum, ubi simul fruuntur requie populus et arca. Quandoque (Deut. 12, 9; Ps. 94 [95], 11) sensu latiore designat terram sanctam, cuius quieta possessione populus circa sanctuarium dispositus fruitur. Sed sensu maxime proprio designat *stationes arcae*. Num. 10,33 : « Et profecti sunt de monte Iahve trium dierum itinere, et arca Iahve profecta est ante eos, quaerens ipsis requiem », i. e. stationem. 3 Reg. 8, 56 sq. : « Benedictus Iahve, qui dedit requiem populo suo Israel... Permaneat Iahve Deus noster nobiscum, sicut permansit cum patribus nostris, non deserat neque abiiciat nos ». Ps. 131 (132), 8 : « Surge Iahve in requiem tuam, tu et praepotens arca tua » (ubi in textu parallelo 2 Par. 6,41, sensu eodem, legitur נוחה pro מנוחה); itemque v. 14 : « Haec requies mea iugiter, hic habitabo quoniam elegi eam ». Cum igitur significatio *stationis arcae* voci competat, eaque una textibus v. 52.54 satisfaciat, est ea profecto hisce textibus adhibenda. Pluralis excellentiae מנחות designat eum Chanaanitidis locum ubi, quo tempore hoc documentum condebatur, residebat vel recens resederat arca. Hunc locum esse Cariathiarim, clamat contextus : nam *primi*, qui attribuuntur Sobalo patri Cariathiarim, sunt sane ipsi incolae Cariathiarim. Novimus porro ex 1 Reg. 6,21; 7,1 arcam a Philisthaeis reducem sedem nactam esse in Cariathiarim *in colle* (Vulg. : in Gabaa), ibique permansisse usquedum a Davide inde 2 Reg. 6,1 sqq. transferretur Sionem. His omnibus perpensis pro הראה חצי המנחות corrige : ההר חצי המנחות, *mons, dimidium areae sacrae*.

Porro *mons* scribitur pro *incolis* montis (ad quos certe spectabat domus Abinadab 1 Reg. 7,1) : id patet cum e voce *filii*, tum exinde quod v. 54 expressio, quae est de altera dimidia parte areae sacrae, adscriptum habeat patronymicum denotans *incolas*, non *locum*. Locus, quando primum Sobalitae illum fecere suum, non utique habebat nomen Manahath, requies, quod nomen ei tribuebatur tempore Sa-

muelis, quando eo delata est arca a Philisthaeis redux. Documentum, quod nobis h. l. tradit redactor, non ante Samuelem est concinnatum. Arcae sedes est attributa non inter Hariphitas Hevaeos, sed inter Sobalitas, Abinadab 1 Reg. 7,1 fuit Sobalita. Congruum autem erat, ut non solum dicerentur Sobalitae incoluisse Cariathiarim, sed recitarentur Sobalitarum *cognationes* ib. habitantes, quia non omnes incolae Cariathiarim erant Sobalitae : erant praeterea Salmaitae (v. 54), Hevaei conversi (in munitione), et aliquando etiam Beniaminitae (8,6).

v. 53 « *Et* [*de*] *cognatione Cariathiarim* » : — verte : *et cognationes Cariathiarim,* eaeque illico recitantur : « *Iethrei et Aphuthei et Semathei et Maserei. Ex his egressi sunt Saraitae et Esthaolitae* », incolae urbium Sephelae Saraa et Esthaol Ios. 15,33 (CJ[1] p. 351), quae primum Iudaeis, dein Danitis sunt attributae, tandem in Iudaeorum ditionem rediere. Fortasse ad eius reditus maxime tempus refertur verbum *egressi sunt.*

v. 54 « *Filii Salma* » (v. 51) : « *Bethlehem et Netophathi* », incolae urbis Netopha, quae ex 1 Esdr. 2,22; 2 Esdr. 7,26 colligitur prope abfuisse a Bethlehem. Dein sine copula : « *coronae domus Ioab* », seu verius *Ataroth domus Ioab. Onom.* 93,31; 222,32 traduntur haud procul Ierusalem duae fuisse Ataroth, quarum alterutra fortasse h. l. designatur; neutrius situs accuratius describitur. Cum etiam praeterea plures essent Ataroth, haec fuit adscripto *domus Ioab* distinguenda. Quod fortasse petitum est a *Ioab* duce exercitus Davidis, cuius patria nusquam nominatur; neque de ea certi quidquam est eruere e textibus 2 Reg. 13,23; 14,30. Erat vero Ioab certe Iudaeus, et facile credetur fuisse vir insignis ex illustri stirpe Salmaitarum, quae nativas sedes habebat in Bethlehem. — « *Et dimidium requietionis Sarai* ». Haec igitur est altera pars areae sacrae v. 52. Cum prior pars fuerit in *monte*, conieceris hanc partem fuisse in *loco demissiore*, valle vel clivo. Voces חצי המנחת accipiuntur instar *unicae* vocis et, adscripto in fine י, induunt significationem *patronymicam* : incolae dimidiae areae sacrae. Sed haec dimidia pars accuratius definitur adscripto הצרעי, quod *Ber.* aliique referunt ad *Saream*, ut designetur pars areae Saream respiciens. Sed inter Cariathiarim et Saream alia intercedunt oppida, et a nomine צרעה, Sarea, derivatur v. 53 patronymicum צרעתי, non צרעי. Cum porro urbi Cariathiarim interiecta valle, ad austrum vergentem ad occidentem proxime obiiciatur *Sârîs*, quae creditur eadem esse atque LXX post Ios. 15,59 Σωρεις, praeplacet ad hanc referre patronymicum צרעי. Salmaitis cessit pars areae sacrae, quae a monte sacro pertingebat versus Sârîs.

v. 55 « *Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes* », cuius

urbis situm ignoramus, « *canentes atque resonantes et in tabernaculis commorantes* ». Haec perperam vertebat S. Hier. : *Thirathaei, Simathaei, Sucathaei.* Haec nomina cognationum. Cum apud antiquos haud raro artes et opificia quaedam in certis familiis a patribus ad filios transmitterentur, cognationes illae seu stirpes suam fecerant artem *scribendi,* et soli ipsam prope sanctuarium exercebant. « *Hi sunt Cinaei, qui venerunt de calore patris domus Rechab* ». Scribae illi erant Cinaei, utique ad fidem Hebraeorum conversi. Recole Gabaonitas non hebraeos qui, susceptis Hebraeorum sacris, angariis pro sanctuario sunt addicti. Cinaeos habes Iud. 1,16; 4,11, alios ad meridiem Arad, alios in meridionali extremitate lacus Tiberiadis habitantes : hic alios habes incolentes Iabes, non totam Iabes, secus non enumerarentur eae Iabesitarum *stirpes*, quae Cinaei erant. Iabes sine dubio reperiebatur medios inter fines Salmaitarum et Sobalitarum, fortasse proxime aberat ab ipso sanctuario. Cinaei tempore Moysis ob plurium rerum peritiam Hebraeis erant cari. Ex. 18 Iethro cum Moyse utilia instituta communicavit. Num. 10,29 sqq. Moyses Hobabum sibi itineris socium et ducem adscivit. Videntur iidem inter alia etiam *artem scribendi* calluisse. Quorum aliquae familiae prope sanctuarium consederunt, ubi plura scripto condenda essent documenta in re tam sacra quam profana.

Quae tres cognationes utique ad eandem gentem spectabant, atque aliae illae 4,12 (v. ib). Quae cum verbis, quae soli LXX servaverunt, affirmentur fuisse *Cenezaei*, erit alterutro loco adstruendus scribae error, qui aut Cenezaeos h. l. mutaverit in Cinaeos, aut Cinaeos 4,12 mutaverit in Cenezaeos. Suggeremus ib. rationem, ob quam coniicimus utrobique legendos *Cenezaeos.*

Igitur cognationes hae Cenezaei vel Cinaei esse affirmantur, simul *filiis Salma* accensentur : serius quam Caleb cum suis ad fidem Hebraeorum transiere, non in deserto sed in Palaestina. Fortasse Hebraeis advenientibus iam sedes habebant in Iabes.

Quid vero sibi volunt verba הבאים מחמת אבי בית רכב, *venientes de Chamath patre Beth Rechab? Machmath* vel *de Chamath* non est nomen *loci*, sed *viri* qui fuit *pater Beth Rechab.* Nomen viri inauditum : sed ad 4,12 LXX L legunt *Hotham*, חתם pro חמת; quod nomen item habetur 7,32; 11,44. הבאים מן, *venientes de*, non est expressio in hisce genealogias scribi solita ad exprimendam *generationem ex aliquo.* Levi adhibita emendatione, pro הבאים scribo ואביהם : *et pater eorum fuit Hotham pater Beth Rechab. Beth Rechab* non est urbs, sed est *stirps Rechabitarum,* quae Ier. 35,7 videtur in tentoriis habitasse. Ionadab aequalis Iehu regis, qui 4 Reg. 10,15 et Ier. 35 dicitur « filius Rechab »,

non fuit a Rechab immediate genitus, sed Rechab videtur ante Davidem vixisse.

7. *Genealogia Davididarum* 1 *Par.* 3.

Arg. — Redactor e libris Regum tradit elenchum filiorum David, et excerpit elenchum regum Iuda. Adscribitur genealogia Davididarum post exsilium per novem generationes, qua quarumdam familiarum e Zorobabele origo demonstretur.

v. 1-4ᵃ idem re textus est atque 2 Reg. 3,2-5. Ubi filii copulis iunguntur, quae hic ignorantur. Inscriptio « Hi filii David, qui nati sunt ei » credenda est profecta esse ab eodem scriptore, atque inscriptio h. l. 2,9. שני pro משנהו, et Daniel pro Cheleab (v. i.). Omittitur « uxor Nabal » fortasse ideo, quod chronista acta Nabal non referat neque commemoranda sibi esse existimet. v. 3 אשתו, *uxore eius*, pro אשת דוד, *uxore David*. v. 4ᵃ adscribit chronista summam : « sex nati sunt ei in Hebron ».

Cap. III v. 1 « *David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron : primogenitum Amnon ex Achinoam Iezrahelitide; secundum Daniel de Abigail Carmelitide* ». Aut hic aut 2 Reg. 3,3 adstruendus erit error amanuensis, probabilius hic : דניאל nomen formae recentioris quam כלאב. v. 2 « *Tertium Absalom* » (ante quod nomen cum *Keri* omittas ל) « *filium Maacha filiae Tholmai regis Gessur; quartum Adoniam filium Aggith* »; v. 3 « *quintum Saphatiam ex Abital; sextum Iethraham de Egla uxore sua* ». Affirmatur haec fuisse *uxor*, non concubina v. 9, licet de eius *natalibus* nihil compertum habeatur.

Porro, omissis *annis aetatis* David 2 Reg. 5,4, interponuntur ex 2 Reg. 5,5 *anni regni* Davidis in Hebron et in Ierusalem, praetermissis vocibus « super Iuda » et « super universum Israel », cum chronista etiam postea non explicite tradat Davidem fuisse regem super solum Iuda primum, ac postea etiam super Israelem. v. 4 « *Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Ierusalem* ».

Sequuntur v. 5-8 filii, qui nati sunt Davidi in Ierusalem, quos eosdem recenset chronista 14,4-7. Quae si compares cum 2 Reg. 5,14-16, deprehendes ab auctore repeti *Elipheleth* et novum adscribi *Noge*. Verum h. l. auctor *summam novem* adscribit, quae locis parallelis non habetur. Novem reapse nomina auctor habet h. l. v. 6-8 et 14, 5-7. Neque extremo 14,4 neque extremo 2 Reg. 5,14 legitur id, quod h. l. : *quatuor de Bethsabee filia Ammiel*. v. 5 « *Porro in Ierusalem nati sunt ei filii : Simmaa et Sobab et Nathan et Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel* ». בת שוע, secus בת שבע. Cf. 2 Reg. 11, 3. Sequentium filiorum taceutur matres. v. 6 « *Iebaar quoque et Elisama* », — 2 Reg.

5,15 Elisua : non habetur bis nomen Elisama — v. 7 « *et Elipheleth et Noge et Nepheg et Iaphia* », v. 8 « *necnon Elisama et Eliada* », pro quo 14,7 nominis forma antiquior Baaliada, « *et Elipheleth, novem* ». Veri absimile est, Davidem *duobus* filiis indidisse nomen *idem* Elipheleth : ergo nomen aut delendum aut pro defigurato habendum. Hoc alterum erit affirmandum simulque Noge retinendus, si summa *novem* pro genuina retineatur. Adscriptam primitus fuisse v. 7 aliquam summam, suadent summae v. 4 sq. : sed facillime שבעה, *septem*, corrumpebatur in תשעה, *novem* (*Kittel*). Habebat iam amanuensis quidam summam novem, nomina septem : reperit in aliquo apographo nomen Elipheleth scriptum loco non suo, unum ex aliis nominibus (fortasse נפג) defiguratum in נגה : haec duo addita illis septem effecere summam novem. v. 9 « *Omnes* [*hi*] *filii David absque filiis concubinarum* », quae scribit auctor intuitu 2 Reg. 5,13, ubi scribitur David duxisse in Ierusalem uxores et *concubinas*. « *Habueruntque sororem Thamar* ». Quo nomine alludit auctor ad narrationem 2 Reg. 13, quam lectori notam esse supponit.

Auctor rediens ad Salomonem (v. 5), v. 10-14 uniformi ratione texit seriem regum Iuda, cuique nomini affigens vocem בנו, *filius eius*, sc. praecedentis regis. Ubi *Vulg.* constanter mutat expressiones : cuius filius genuit, de quo natus est, etc. v. 10 « *Filius autem Salomonis Roboam, cuius Abia filius genuit Asa; de hoc quoque natus est Iosaphat* », v. 11 « *pater Ioram, qui Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas* », v. 12 « *et huius Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariae filius Ioathan* » v. 13 « *procreavit Achaz patrem Ezechiae, de quo natus est Manasses* ». v. 14 « *Sed et Manasses genuit Amon, patrem Iosiae* ».

Iosiae *plures* filii recensentur, quia plures regnavere. v. 15 « *Filii autem Iosiae fuerunt : primogenitus Iohanan, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum* ». Quod veteres aliqui putavere, *Iohanan* eundem esse atque *Ioachaz* regem, refutatur cum diversitate nominum, tum eo, quod Ioachaz (4 Reg. 23,31) 23 annos natus rex factus sit, cui post trimestre successit Ioakim 25 annos natus (ib. v. 36) : ergo Ioachaz certe non erat *primogenitus*. Sed *Ioachaz* idem est qui h. l. *Sellum*. Sc. Ier. 22,11 sq. narratur Sellum regnasse, abductus esse in captivitatem neque rediisse; quae omnia accidere Ioachazo. Ergo is factus rex nomen Sellum mutavit in Ioachaz, uti post ipsum Eliacim appellatus est Ioakim, et Matthanias Sedecias (cf. *I. Knabenbauer* in Ier. 22,11 sq.). Ergo aut *Iohanan,* quo tempore mortuus est Iosias pater, ipse etiam vita functus erat, aut interiit in turbis quae mortem Iosiae consecutae sunt. Etenim res per turbas actas esse, infero cum

inde quod patri successerit filius natu quartus, tum ex eo quod 2 Par. 36,1 narretur « populus terrae tulisse Ioachaz et constituisse regem ». Regnavit autem post Ioachaz *quartum* Ioakim *secundus*, post eius filium Ioachin Sedecias *tertius*.

v. 16 « *De Ioakim natus est Iechonias* », qui alias scribitur Ioachin, rex, « *et Sedecias* », certe diversus ab illo v. 15, qui eius avi frater exstitit. Sc., comparato v. 10-14, *Sedecias filius eius* omnino explicandum est, ut Sedecias hic fuerit filius non Ioakim, sed Iechoniae. Eum natum esse, antequam Iechonias pater abduceretur in exsilium, inde constat quod v. 17 sq. recitentur filii Iechoniae *captivi*. v. 17 « *Filii Iechoniae fuerunt Asir, Salathiel* » *filius eius*. Si *Asir*, אסר, fuit nomen alicuius filii Iechoniae, debuit *filius eius* sequente copula scribi post *Asir*, non post *Salathiel*. Ergo vertendum : *Filii Iechoniae captivi* (*Calm.*), atque ea est ratio cur Sedecias II scribatur seorsim v. 16, natus est sc. ante illam captivitatem. Cum praecedens vox יכניה desinat in ה, excidit articulus ante אסר (*Oe.*). Eundem sensum exprimit Matth. 1,12 referens, Iechoniam genuisse Salathiel et fratres eius « post transmigrationem Babylonis », i. e. postquam Iudaeorum in exsilium abductio facta est. Cur vero solus Salathiel, non vero eius sex fratres v. 18, adscriptum habet בנו, *filius eius*? Non exigendus est a sacro scriptore stilus per omnia aequalis.

Fratres Salathielis habet v. 18 : « *Melchiram, Phadaia, Senneser et Iecemia, Sama et Nadabia* ». *LXX L* ante singula nomina scribunt *copulam*; item *Syr.*, sed singulis praeterea nominibus adscribens *filius eius* (!) ; *Hebr.* ignorat copulam solum ante Iecemiam et Samam, *LXX R* solum ante Melchiram ; *Vulg.* copulam scribit bis tantum. Profecto ex ea *copula* nequit cum *Oe.* peti argumentum : secundum textum, qualis nunc habetur, viri v. 18 sunt Salathielis *fratres,* non filii. v. 19 « *De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei* ». De *Semei* silent sacrae literae. *Zorobabel* constanter scribitur Salathielis filius, non fratris filius : 1 Esdr. 3,2. 8 ; 5,2 ; 2 Esdr. 12,1 ; Agg. 1,1 et pluries; Matth. 1,12 ; Luc. 3,27. Igitur *Vat., Calm.* censent initio v. 18 excidisse voces « filii Salathielis » ; ita Zorobabel fuerit Salathielis nepos, seu filius latiore sensu. *Net.* adstruit coniugium leviratus, ut Phadaia e vidua Salathielis sine liberis demortui genuerit Zorobabelem. *Tost.*, *Men.* permittunt duos adstruere Zorobabel, ut Zorobabel v. 19 non fuerit famosus ille ; idque omnino defendit *Tir.* : at virum illum famosum in hac genealogia praetermitti, num patiemur? Plura v. p. 91 sq.

« *Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam et Salomith sororem eorum* », quae fortasse nuptiis feliciter initis inclaruit atque ideo h. l.

commemoratur. Comparato porro textu 2,25 conieceris forte viros v. 20 esse a Zorobabel ex alia uxore progenitos : v. 20 « *Hasaban quoque et Ohol et Barachian et Hasadian, Iosabhesed; quinque* ».

v. 21 « *Filius autem Hananiae : Phaltias pater Ieseiae, cuius filius Raphaia, huius quoque filius Arnan, de quo natus est Obdia, cuius filius fuit Sechenias* ». Parum refert, utrum initio v. 21 cum *Kethib Vulg.* legas ובן, *et filius*, an cum *Keri LXX Syr.* ובני, *et filii*, quia pluralis *filii* etiam ante unicum nomen, et singularis *filius* etiam ante plura nomina scribitur. Sed alia est haud levis difficultas. Secundum *Hebr.* recensentur Hananiae filii sex ita, ut primum duo filii (Phaltias, Ieseia), dein non interiecta copula quatuor *familiae* filiorum recitentur, modus utique insuetus texendae genealogiae, qui induxit *Keil* in opinionem v. 21ᵇ-24 esse additamentum, quo textui additae sint recentius familiae quaedam utique a Davide derivatae, sed quarum in genealogia locus non certo sciretur : *Et filius Hananiae Phaltias et Ieseias, filii Raphaia, filii Arnan, filii Obdia, filii Secheniae.*

At *textus praeter Hebr. omnes* singulis post Phaltiam nominibus, etiam extremo Sechenia, adscribunt non בני, *filii*, sed בנו, *filius eius*, *Syro* eam vocem ignorante post Ieseia et postea scribente *Obdia filius Ieseiae* (!). Ergo : *Filius Hananiae Phaltias; Ieseia filius eius; Raphaia filius eius; Arnan filius eius; Obdia filius eius; Sechenias filius eius.* Habentur quinque filii Phaltiae. Sane haec lectio LXX Vulg. Syr. critice praevalet lectioni Hebr.

v. 22 « *Filius Secheniae : Semeia, cuius filii Hattus et Iegaal et Baria et Naaria et Saphat; sex* [*numero*] ». Porro e filiis Secheniae, paenultimi posteritas explicatur : v. 23 « *Filius Naariae : Elioenai et Ezechias et Ezricam; tres* ». v. 24 « *Filii Elioenai : Oduia et Eliasub et Pheleia et Accub et Iohanan et Dalaia et Anani; septem* ».

Genealogia haec obscura est et inaequalis. Alii textus minime suspecti efficiunt *Zorobabelem* fuisse Salathielis non fratris filium, sed filium : omnino exspectaveris, genealogiam a Iechonia clare et concinne progressuram fuisse ad virum inter reduces de exsilio plane insignem, Zorobabelem. Virorum origo uti v. 15 sq. exprimitur praefixo sententiae בני vel בן, v. 17.19. 21-24; affixo singulis nominibus בנו, v. 21 ; nulla voce adscripta recitantur nomina v. 18. 20. Omnino affines sunt inter se ob adscriptas *summas familiarum* v. 20. 22-24, dum v. 19 duobus *viris* fratribus adscribit sororem : sc. elenchus sensim e genealogia *virorum* transit in elenchum *familiarum*.

Planissimam porro rationem explicandae originis *Zorobabelis* hanc esse censeo, v. 19 errore scriptum esse *Phadaia* pro *Salathiel.* Confunduntur quandoque in hisce genealogiis nomina propria, neque in

tanta nominum farragine ab eiusmodi erroribus omnino immunia esse potuere amanuensium apographa. Textus alii omnino probati Salathielem scribunt patrem Zorobabelis : quorum auctoritatem non censeo infirmari lectione *Phadaia* v. 19. Quodsi eam lectionem nihilominus volueris tueri, tibique arrideat unum ex interpretamentis, quae supra e diversis auctoribus recitavi, illud profitere.

Quare iudico, v. 17 sq. habere filios Iechoniae, v. 19ᵃ filios Salathielis, v. 19ᵇ sq. filios Zorobabelis e duabus uxoribus, nam filia (Salomith) in genealogiis semper adscribitur ad calcem filiorum *eiusdem* uxoris (cf. 2,25; 4,3; 7,30. 32), v. 21ᵃ filium Hananiae Phaltiam; v. 21ᵇ Phaltiae filios, et ita porro. Cf. Schema V p. 23.

Genealogia inde a v. 17 (*captivi*) novem post Iechoniam explicat generationes, estque serius adscripta a Davidide aliquo, qui vellet suae familiae e Zorobabele demonstrare originem. Quem Davididam coniecerim fuisse virum cognationis Elioenai v. 24, quae est totius elenchi extrema.

8. *Supplementum genealogiarum Phares et Zara* 1 *Par.* 4,1-20.

Cap. IV v. 1 « *Filii Iuda : Phares-Hesron et Charmi et Hur et Sobal* ». Hi quinque viri utique sunt posteri *Iuda*. Tamen eorum nomina h. l. non scribuntur eo fine, *ut explicetur posteritas*. Quam posteritatem perquam accurate explicatam habes cap. 2 : non erant autem, *ad posteritatem explicandam*, h. l. praetermittendi *Zara* ante Charmi, et *Caleb* ante Hur. Praeterea, licet aliquando sub inscriptione « filii » (cf. ad 2,6) una recitentur ii, qui filii sunt mediate, cum iis, qui filii sunt immediate, tamen, post accurate explicatam cap. 2 quinque virorum mutuam rationem, non est credendus collector h. l. colligere sub inscriptione *filii Iuda* Phares Iudae *filium*, Hesron *nepotem*, Charmi et Hur *pronepotes*, Sobal *abnepotem*. Consentiunt igitur iam interpretes, v. 1 tradere *summarium* eorum quae v. 2-20 habentur (cf. *Net.*), quae sint *supplementa* quaedam (*Tost.*) praecedentium genealogiarum Iuda. Scriptor primum generatim profitetur se tradere supplementum ad genealogias Iuda; quare scribit *filii Iuda*. Neque de omnibus filiis Iuda aliqua traditurus est, nihil certe de Ierameel, sed de quibusdam tantum. Nihil de *Phares* habetur praeter ea, quae etiam sunt de Hesron, Hur et Sobal. Cum igitur *copula* deficiat inter *Phares* et *Hesron*, iungo *Phares-Hesron* (*Calm.*) : scriptor se aliquid traditurum profitetur de familia Hesron stirpis Phares. Profitetur item se aliqua traditurum de familia *Charmi*, quae nequaquam ab Hesron de-

rivatur. Nomina *Hur* et *Sobal* aut iungas : *Hur-Sobal,* inter quae LXX ignorant *copulam,* aut melius sumas seorsim : scriptor profitetur se aliqua esse traditurum de *Sobal* filio Hur, et etiam de aliis posteris *Hur.* Igitur v. 1 indicat tria vel quatuor summa capita sermonis v. 2-20.

Alio *ordine* haec v. 1 annuntiantur, alio v. 2-20 explicantur :

4,1 Phares-Hesron, Charmi, Hur, Sobal.

4-2,20 Sobal, Hur, Phares-Hesron, Charmi.

Neque hoc solo loco res alio ordine inscriptione annuntiantur, alio dein explicantur. Cf. :

2,9 Ierameel, Ram, Caleb.

2,10-33 Ram, Caleb, Ierameel.

6,20-30 Gersom, Caath, Merari.

6,33-47 Caath, Gersom, Merari.

Tradimus primum argumentum eorum, quae Pharesitas (Phares-Hesron, Hur, Sobal), non Zaraitas (Charmi), respiciunt.

Arg. — Afferuntur supplementa ad genealogias Calebitarum cap. 2. Huritae *Sobalitae* de Cariathiarim familias quasdam emisere Saraam. Quae acta fuere fere tempore Iosue (CJ[1] p. 16 sq.). — Huritae *Salmaitae* de Bethlehem emisere colonos primum Iebus versus in Etam, dein in Gedor et Hosa. — *Ashuritae* Thecuam obtinebant, adscriptam sibi habebant domum Aharahel fratris Rahab meretricis ierichuntinae. E qua domo prodiit Iabes, pius Israelita et vir fortis, qui initium fecit Iebusaeorum e provincia VI Montis Iuda (CJ[1] p. 361 sqq.) eiiciendorum, atque fines stirpis suae ampliavit. — Agitur porro de *alienigenis* quibusdam, qui ad fidem Hebraeorum conversi, serius quam Caleb I cum suis Cenezaeis tribui Iuda sunt accensiti. Calebo II patri Gabaa Negeb accensiti sunt quidam *Cenezaei Rechabitae,* quibus mox, Iosue superstite (ib. p. 40 sq. 340 sq.), quando Negeb occidentale tribuebatur Simeonitis, migrandum fuit cum reliquis filiis concubinarum Caleb I in tractum Sephelae Monti Iuda adiacentem. — Filiis Caleb I adscripti sunt etiam alii quidam *Cenezaei,* de quibus fuit Othoniel.

His in unum conspectum collectis confirmatur id, quod supra suggerebamus, genealogias has e continuis iisque prolixioribus historiis Hebraeorum esse excerptas, atque cap. 2; 4 tradi eo fere *ordine,* quo in illis historiis legebantur. Veri simile videtur, post explicata (2,50-55) Huritarum, tam Sobalitarum quam Salmaitarum, initia, historias illas aliquando retulisse eorumdem incrementa; inde transiisse ad Ashuritas iisdem affines eorumque contra Iebusaeos fortiter et felici-

ter gesta; tandem tractasse de alienigenis quibusdam Cenezaeis, qui simili ratione atque Caleb I, sed serius quam ipse, Hebraeis se iunxerant. Excerptorum, qualia cap. 2,4 leguntur, non satis perspicitur contextus: quodsi supponantur recitari quo ordine in historiis continuis erant, eorum contextus facili coniectura clarescit.

a. Supplementum genealogiae Sobal 1 Par. 4,2.

Igitur v. 2 additamentum tradit ad genealogiam *Sobal*, qui v. 1 ultimus inter quinque viros appellabatur. v. 2 « *Raia vero filius Sobal genuit Iahath, de quo nati sunt Ahumai et Laad* ». *LXX* pro בן erronee בנו : *Raia filius eius*, sc. Sobalis v. 1; *Sobal genuit Iahath etc.* Cur seiungatur Raia a Iahath etc. et, si seiungatur, cur omnino eius nomen recitatur, cum illi nihil commune sit cum cognationibus Saraa? « *Hae cognationes Sarathi* ». צרעתי, uti 2,53. Ibi generatim affirmabantur Saraitae *egressi esse* a Sobalitis Cariathiarim : hic affirmantur originem duxisse e *Raia* Sobalita. Raia certe non est nomen civitatis vel pagi, sed viri. Pronomen *hae* refertur vel ad solos Ahumai et Laad, vel praeterea ad Iahath, imo ad ipsum Raia.

Miraberis, huius unius Sobalitae h. l. suppleri genealogiam : cur ea non adscribebatur 2,53, ubi de *Saraitis* agebatur? Rem explanant ea, quae tradebamus de indole harum genealogiarum, quas excerptor ex antiquis historiis extraxit eo fere ordine, quo ib. habebantur, quin eas mutaret aut componeret inter se. Habebatur primum narratio de Huritarum coloniis in Cariathiarim emissis, ubi obiter tantum attingebantur Saraitae et Esthaolitae, similiter atque Gen. 10,14 obiter attinguntur Philisthaei et Caphtorim. Aliquanto post antiquae illae historiae explicite agebant de coloniis de Cariathiarim emissis Saraam. Ibi enumerandae fuere cognationes, quae Saraam transmigrarunt, earumque per Iahath et Raia ex Sobal origo indicanda. Rationem perspicis, cur de Raia eiusque posteris non actum sit 2,53.

Ne illud quidem textu v. 1 efficitur, Raiam fuisse immediate prognatum a Sobal. Saraam et Esthaol primi occupavere Iudaei Ios. 15,33; dein urbes Ios. 19,41 Iosue superstite attribuebantur Danitis; Danitae ab hostibus pressi non valuere fines suos defendere, quorum pars magna item Iosue superstite emigravit in Dan Lais; in eorum quaedam loca, eiectis Amorrhaeis, subintravere Ioseph (Iud. 1,35) et Iuda. Crediderim easdem tum cognationes Sobalitarum secundo occupasse Saraam et Esthaol, quae occupaverant primo. Quarum genealogia tradenda fuit in actis aevi Iosue.

b. Supplementum genealogiae Hur 1 Par. 4,3 sq.

v. 3 sq. pertinere ad genealogiam *Hur* (v. 1), doceris subscriptione v. 4[b]; eos pertinere ad genealogiam *Sobal* (v. 1 sq.), nullo argumento demonstratur, urbes v. 4 videntur procul abfuisse a Saraa v. 2. Vox *Bethlehem* v. 4 suadet agi non de Sobalitis, sed de Salmaitis (2,51).

v. 3 « *Ista quoque stirps Etam* » : — Legebant *Vulg. LXX R* idem, quod *Keri :* אלה בני עיטם, *hi filii Etam*. Ubi Etam dicendus erit esse Hurita, imo Salmaita, cuius mentio alibi non habeatur. Sed *Kethib :* אלה אבי עיטם, *hi pater Etam*, ubi pronomen plurale prodit excidisse e textu nomen aliquod et ipsum plurale, sc. בני, *filii* (quod sentientes *LXX L* vertere πατέρες !), et post illud nomen excidisse nomen proprium viri, qui titulo officii appelletur pater Etam. Ergo : *Hi filii x patris Etam*. Etam erit fortasse eadem atque Etam 2 Par. 11,6, ubi fuisse creduntur horti Salomonis, propinqua (v. ib.) Bethlehem, Thecua atque Bethsur. Crediturque fuisse ubi nunc 'Ain 'Atân, ad meridiem Bethlehem.

« *Iezrahel et Iesema et Iedebos. Nomen quoque sororis eorum Asalelphuni* ». Recenseri v. 3 filios *unius* et v. 4 *alterius* uxoris, infero ex interposito nomine *sororis :* sorores quippe scribi consuevere post fratres ex eadem matre natos. Dum vero filii prioris uxoris videntur permansisse circa Etam, filii alterius uxoris alias sibi sedes quaesiere :

v. 4 « *Phanuel autem pater Gedor et Ezer pater Hosa* ». *Gedor*, civitas Montis Iuda Ios. 15,58, hodie Djedûr ad aquilonem Bethlehem, de qua cf. CJ[1] p. 42. Cum Hosa, חושה, nomine inaudito, conferebamus CJ[1] p. 36 חרשה 1 Reg. 23,19 prope Ziph. Sed חושה, una litera mutata et altera transposita, fit שוכה, *Socho*, nomen urbis cuius una pars erat in Monte et altera in Sephela (Ios. 15,48. 35), plane uti etiam Gedor (cf. ib. p. 41 sq.). Haec praeplacet. Habes igitur has tres urbes : Etam, Gedor, Socho, simulque Thecuam v. 8 metropolin Ashur fratris Hur, exiguis intervallis divisas ab invicem. « *Isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha, patris Bethlehem* ». Vocatur h. l. ipse Hur *pater Bethlehem*, 2,51 eius filius Salma : ergo anonymus v. 3 fuit Salmaita, non Sobalita. Aberant etiam urbes illae propius a Bethlehem quam a Cariathiarim.

c. Supplementum genealogiae Ashur 1 Par. 4,5-10.

Genealogiam hanc Ashur referas ad genealogiam « Phares-Hesron » v. 1 ; Ashur quippe neque ab Hur neque a Sobal derivatur.

v. 5 « *Ashur vero patri Thecuae erant duae uxores Halaa et Naara* ».

Prima expeditur Naara ideo, quia sola filiorum eius nomina tradenda sunt, dum genealogia Halaae praeter filiorum nomina habet illustris facti narrationem. v. 6 « *Peperit autem ei Naara Oozam et Hepher et Thamani et Ahasthari* ». Quae duo extrema nomina forma sunt patronymica : Theman*aeus*, Ahasthar*aeus*. Secundum ea, quae p. 84 sq. dicebamus, videntur designari coloniae ab Hepher, vel ab Oozam et Hepher emissae. « *Isti sunt filii Naara* ».

v. 7 « *Porro filii Halaa : Sereth, Isaar et Ethnan* », additque *Keri : et Cos*, merito, cum secus v. 8 nomen Cos praeter omnem contextum scribatur. v. 8 « *Cos autem genuit Anob et Soboba* ». Cur *Soboba* articulum habet? « *Et cognationem Aharehel filii Arum* ». *Harum* vel *Haram* non est *pater*, qui immediate genuerit Aharehel, dum Cos eum mediate tantum genuerit. Non ita confusurus erat scriptor hebraeus paternitatem *mediatam* et *immediatam*. Textus est corruptus. *LXX R :* καὶ γεννήσεις ἀδελφοῦ Ῥηχαβ υἱοῦ Ἰαριν. *LXX L* : αὗται αἱ πατριαὶ Νοερα τῆς τοῦ Ἀραιηλ ἀδελφοῦ Ῥηχαβ. Ergo :

Heb. :	בן הרם	אחרחל		ומשפחת	
LXX R :	בן הדם	אחי רהב		ומשפחת	
LXX L :	אחי רהב	אחרחל	נערה	משפחת	אלה

Voces אלה et נערה, quas soli LXX L habent, criticum valorem non habent, ad imitationem extremi v. 6 irrepserunt, suntque eliminandae : de filiis *Naarae* absolvebatur sermo extremo v. 6. Sed *LXX R L* legebant אחי רהב, *frater Rahab* : et *LXX R* quidem : *et cognationes fratris Rahab, filii Haram*; *LXX L* : *et cognationes Aharehel fratris Rahab*.

Utraque lectio affirmat, « domum Rahab » Ios. 6,25 adoptione accensitam esse filiis 'Ashur per Halaam genitis. Tota sc. ea domus ad sacra Hebraeorum accessit, ipsa Rahab viro pio iudaeo matrimonio iuncta est. Sicut 2,9 Caleb Cenezaeus extremus accensetur Hesronitis, 2,51 Hariph Hevaeus Huritis, ita h. l. domus Rahab extrema accensetur Ashuritis ex Halaa prognatis; non erant silentio praeteriturae antiquae historiae domus Rahab fata. Ergo de sensu textus universim spectato secundum lectionem LXX probabiliter constat. In lectione LXX R illud vix probabile, ignorasse textum nomen *fratris* Rahab, tradidisse nomen *patris fratris*. Praefero igitur lectionem LXX L additamentis purgatam, quae nomen patris non hebraei ignorat : *et cognationes Aharehel fratris Rahab*. Istae porro cognationes habebant *Iabes* et *fratres eius* v. 9 : habetur continuus v. 5-10 textus.

v. 9 « *Fuit autem Iabes inclitus prae fratribus suis* », quibuscum una decertabat adversus inimicos populi Dei. Nullus v. 5-10 post ipsum

Ashur recensetur *pater* urbis alicuius, videntur ergo Ashuritae circa Thecuam collecti perseverasse. Neque sermo est de expeditione *longinqua* suscepta, cum Iabes sibi unam expetat dilatationem *terminorum suorum*. Quinam igitur fuere inimici, a quibus in suis finibus Thecuitae premebantur? Recole, quae CJ[1] p. 361 sqq. tradebamus de provincia VI Montis Iuda, pertingente a Thecua usque Ierusalem et Cariathiarim, cuius soli LXX post Ios. 15,59 civitates recitant. Quam pronuntiabamus, a primis non plene fuisse in potestate Hebraeorum, sed Iebusaeorum, quibus Hebraei, qui in illa consederant, tributa penderent. Quae provincia ipsam Bethlehem complectebatur, metropolim Huritarum, imo in extremitate meridionali etiam Thecuam. Habes iam inimicos, qui Thecuitas in suis finibus coarctabant, et a Iabes sunt repulsi. Ab extremitate meridionali provinciae VI videtur initium sumpsisse Iudaeorum a Iebusaeis liberatio : Thecuitae illis restiterunt eosque finibus eiecerunt, liberator exstitit Iabes e posteris Aharehel fratris Rahab meretricis.

Igitur Iabes hic *fuit inclitus,* multa auctoritate floruit inter Thecuitas ob sapientiam, pietatem, fortitudinem : non ob natales, cum non esset e familia primogenita oriundus, imo adoptione tantum Hebraeus. Quare ipsi obtigit, ut esset Thecuitarum in certamine *dux*. Narrator vero, antequam de eo certamine agat, viri *nomen* explicat. « *Et mater eius vocavit nomen illius Iabes dicens : Quia peperi eum in dolore* ». Coniicies, eum dolorem fuisse ipsam Iebusaeorum oppressionem. Thecuitae vero duce Iabes contra Iebusaeos insurrexere, vectigalia pendere recusavere, progressi sunt ad certamen. Cuius initio : v. 10 « *Invocavit vero Iabes Deum Israel dicens* : *Si benedicens benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi* », — *Hebr. : et feceris procul infortunio, ut non dolorem experiar*. Deest apodosis, uti alias in eiusmodi adiurationibus, sed facile e contextu suppletur : gratum animum testabor oblatis sacrificiis vel alia ratione. Est *lusus verborum* inter nomen *Iabes* (יעבץ) et inter *dolores* (עצב) matris parturientis et *infortunium* (עצבי) divino auxilio evadendum. « *Et praestitit Deus, quae precatus est* », Iebusaeorum iugum confregit. Cum emphasi invocatur *Deus Israel* a viro e stirpe non israelitica oriundo, auxilium laturus contra Iebusaeos inimicos Israel, fidentes *idolis* suis. Narratio magnam sapit *antiquitatem,* imprimis ob lusum verborum *mnemoneuticum* ad rei memoriam perpetuandam (cf. CG p. 15 sq.). Quo facilius utebantur homines propius Mare Mortuum (Thecua) incolentes, dum cognationes *scribarum* 2,55 prope Cariathiarim in Iabes habitabant. Nihil est, cur moneamus, nequaquam confundendum esse *virum* Iabes cum ea *civi-*

tate Iabes; nihil haec videntur habere commune praeter nominum fortuitam consonantiam.

d. Supplementum genealogiae Caleb II 1 Par. 4,11 sq.

Crediderit quis, genealogias v. 11 sq. et v. 13-15 arctius necti inter se ideo, quod illa explicet genealogiam Caleb patris Achsae (2,49), quae nupsit Othonieli, haec explicet ipsam Othonielis genealogiam. Tamen de Achsa nihil habet v. 11 sq., qui versus toti sunt in commemorandis Cenezaeis illis Calebo II attributis.

Caleb adscripto *frater Sua* distinguitur a Caleb filio Iephone v. 15, qui idem fuit filius Hesronis. Verba supponunt fere, de illo Caleb eiusque fratre Sua antea habitam esse mentionem. Porro 2,49, adhibita obvia quam suggerebamus textus manci restitutione, habetur *Caleb pater Gabaa et frater Sue.* שוחה et שוא facile concedentur esse eiusdem nominis diversae scriptiones. Ergo agitur de eodem atque 2,49 viro. Quam interpretationem confirmant *LXX R*, pro *fratre Sua* legentes *pater Achsae* : reapse Caleb pater Gabaa idem exstitit etiam pater Achsae.

v. 11 « *Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon* ». v. 12 « *Porro Esthon* », i. e. Mahir pater Esthon, « *genuit Bethrapha et Phesse et Tehinna patrem urbis Naas* ». Nomen *Tehinna* utique scribitur pro individui hominis *patris* nomine, dum *Bethrapha* habet formam nominis loci. CJ[1] p. 40 *'Ir Naas* componebamus cum Dêr Nakhkhas, sita ad orientem Eleutheropoleos vergentem nonnihil ad aquilonem; prope quam coniicimus sitam fuisse etiam *Esthon*. Cf. quae ib. p. 340 sqq. dicebamus de Calebitis concubinarum Calebi filiis primum collocatis in occidentali parte Negeb, dein, postquam ea pars cessit Simeonitis, translatis in Sephelam contingentem Montem Iuda, in quo sedes habebant Calebitae uxorum filii.

« *Hi sunt viri Recha* », nomen ignotum. Pronomen *hi* refer ad Mahir eiusque filios. Sed additamentum habent *LXX* post nomen *Naas* :

LXX R ἀδελφοῦ Ἐσελωμ τοῦ Κενεζι οὗτοι ἄνδρες Ῥηχαβ.
LXX L ἀδελφοῦ Ἀθθομ τοῦ Κενεζαιου οὗτοι ἄνδρες Ῥηχαβ.

Additamentum legitur loco non suo. *Urbs* Naas certe non affirmatur esse alicuius viri *frater*. Neque *Naas* est nomen viri, qui fuerit *frater* Eselom vel Athom. *Quando* Tehinna erat eius civitatis *pater*, certe civitas non vocabatur alius cuiusdam viri Naas civitas, sed vocabatur civitas Tehinnae. Quodsi Naas supponatur civitatem possedisse *ante* Tehinnam, hic profecto civitate potitus mutaturus fuerat civitatis nomen,

eamque appellaturus non civitatem Naas sed civitatem suam. 'Ir Naas est nomen civitatis, non viri. Necesse est igitur transponere additamentum LXX : ... *'Ir Naas. Hi viri Rechab fratris Eselom* vel *Athom Cenezaei.* Ergo hi viri non erant a Caleb II geniti, sed erant Cenezaei eius familiae adscripti, ad fidem Hebraeorum conversi.

Nomen Ῥηχαβ, *Rechab,* nos revocat ad alterum textum difficilem 2,55, quem emendabamus ita : : « hi sunt Cinaei, et pater eorum Chamath pater Beth Rechab ». Ubi pro חמת, Chamath, nomine inaudito et formae quodammodo femininae, cum LXX L h. l. corrige חתם, Hotham (7,32; 11,44) : אלה אנשי רכב אחי חתם הקנזי. Sed si Rechab *frater* Hotham, quomodo 2,49 Hotham *pater* domus Rechab seu Beth Rechab? Adhibenda textui *punctatio* diversa ab ea, quam adhibuere LXX : *Hi viri Rechab, fratres Hotham Cenezaei.* Idem est esse *virum Rechab,* et esse *de Beth Rechab.* Igitur Rechabitae omnes facti erant Iudaei; pars magna, duce Hotham patre Beth Rechab, se iunxerat Salmaitis; pars minor, duce Mahir, accesserat Saaphitis, et cum his haereditatem accepit primum in Negeb, postea in limine Montis Sephelam versus.

Sed viri hi vocantur h. l. קנזים, *Cenezaei,* 2,55 קינים vel קנים, *Cinaei,* duo nomina simillima, quorum alterutrum emendandum. Adverte, utroque loco eos viros aggregari *Cenezaeis* seu Calebitis maturius ad fidem conversis; *Cinaeorum* sedes tradi Iud. 1,16; 4,11 : praeplacet igitur viros habere *Cenezaeos* et emendare textum 2,55.

Ut viros 2,55 scribam non Cinaeos sed Cenezaeos, haec etiam ratio suadet. Cinaei inde a Moysis tempore utique erant Hebraeis necessitate coniuncti, sed non videntur cum illis in unam gentem coaluisse. Haber Cinaeus Iud. 4,17 habuit pacem tam cum Iabin hoste Hebraeorum quam cum ipsis Hebraeis. Saul 1 Reg. 15,6 agit cum Cinaeis ut stirpe amica, sed nequaquam hebraea. Quodsi vero Cinaei non erant unus cum Hebraeis populus, neque fuere in Hebraeorum *genealogias* referendi.

c. Supplementum : Genealogia Othonielis 1 Par. 4,13-16.

Dicebamus, non ideo una scribi genealogias v. 11 sq. et v. 13-15, quod illa genealogiam Achsae, haec Othonielis explicet. At facile concesserim scribi una ideo, quod utraque sit de *Cenezaeis* recentius ad fidem conversis et familiae Caleb I Cenezaei maturius conversi aggregatis. Hinc non traditur nomen *uxoris*, e qua Caleb I hos viros genuerit. In familia Othonielis reperitur nomen viri *Cenez* v. 13.15.

v. 13 « *Filii autem Cenez, Othoniel et Saraia* ». Othoniel dicitur

filius Cenez etiam Ios. 15,17; Iud. 1,13; 3,9. Cf. CJ[1] p. 339. « *Porro filii Othoniel Hathath* [*et Maonathi*] », quod nomen formae patronymicae cum *LXX L Vulg.* omnino est retinendum, requiritur enim ad nexum cum sequenti versu perspiciendum. v. 14 « *Maonathi genuit Ophra. Saraia vero* », frater Othoniel v. 13, « *genuit Ioab patrem Vallis artificum, ibi quippe artifices erant* ». v. 15 « *Filii vero Caleb filii Iephone : Hir et Ela et Naham. Filii quoque Ela : Cenez* ».

Documentum hoc evidenter est in explicanda affinitate inter Caleb et Othoniel. v. 13 sq. enumerantur posteri *Cenez* cuiusdam, cuius antea non habebatur mentio, cuius neque pater neque frater neque urbs indicatur; v. 15 vicissim aliqui Calebi posteri recensentur, quorum uni nomen *Cenez*. Disiecta sunt genealogiae huius membra : antepone v. 15 versibus 13 sq. et plana sunt omnia. Cenez v. 15 idem est atque Cenez v. 13, genealogia a Caleb profecta per Cenez pertingit ad Othonielis filios et nepotem. Ergo : v. 15 *Filii Caleb filii Iephone : Hir et Ela et Naham. Filii Ela : Cenez.* v. 13 *Filii Cenez : Othoniel et Saraia. Filii Othoniel : Hathath et Maonathi.* v. 14 *Maonathi genuit Ophra. Saraia genuit Ioab patrem Vallis opificum; opifices quippe fuere.* גיא nunquam scribitur ut pars nominis alicuius *urbis*, sed est *vallis*. חרש est aut lapicida aut faber lignarius vel ferrarius. Non erat res specialius notanda, fuisse in Iudaea familias quasdam lapicidarum, fabrorum : at notandum omnino erat, cognationem illustrissimi viri Othonielis factam esse coloniam opificum. Ut porro sciamus non tradi nomen, quod loco fuerit fortasse iam antequam illa cognatio ibi sedem fixerit, adscribitur : *opifices quippe fuere.* Cf. CJ[1] p. 40 sq. Quod additum, nisi postmodum textui adscriptum esse statuatur, prodere videtur genealogiam hanc non esse primum scriptam ut nudam genealogiam, sed ut partem narrationis cuiusdam, quae domus Othonielis et gloriosa initia et obscuriores exitus declararet.

Ceterum loci situm videmur edoceri 2 Esdr. 11,35 : « Ono, vallis opificum », אונו גי מחרשים, i. e. Kafr-'Anâ ad aquilonem Lyddae vergentem ad occidentem. Dices eum locum plane separatum esse a reliquorum Calebitarum sedibus : omnino ita se habet, sed opifices et artifices a regibus transferebantur in loca regibus commoda, ubi lapides, argilla etc.

v. 16 « *Filii quoque Ielaleel : Ziph et Zipha, Thiria et Asrael* ». Ielaleelis secus non habetur mentio. Sententia nexum non habet neque cum praecedentibus neque cum sequentibus. Quare *Kittel* initio v. 16 supplet verba : « Filii Phares Ielaleel et Ezra » (v. 17). Sed id plane arbitrarium. Quibus haec sententia iungenda sit, docet *Hebr.* v. 15 legens non *Filii Ela : Cenez*, sed *Filii Ela : et Cenez*. Ergo ante

Cenez excidit nomen aliquod, nomen simile nominis *Ela* (אלה), sc. nomen *Ielaleel* (יהללאל). Textus primitus fuit hic : v. 15 ... *Filii Ela : Ielaleel et Cenez.* v. 16 *Filii Ielaleel : Ziph et Zipha, Thiria et Asrael.* v. 13 *Filii Cenez : Othoniel etc.* Totum textum v. 13-16 ordine nativo descriptum habes p. 25.

Docebamus v. 13, aliquos horum Cenezaeorum Calebitis item Cenezaeis adscriptorum sedes nactos esse prope Lyddam. Ubi reliqui sedes habuerint suggerit v. 16. Quandoque in genealogiis nomina virorum miscentur nominibus stirpium vel etiam locorum (cf. v. 12 Bethrapha, nomen loci, et 2,50-55) : licebit igitur h. l. nomen *Ziph* conferre cum nomine urbis Ziph, non eius Ios. 15,55 quae erat in Monte Iuda (v. s. 2,42), sed eius quae erat in Negeb orientali Ios. 15,24. *Zipha* potuit oriri iteratione praecedentis nominis Ziph. Pro *Thiria,* תיריא : *LXX* Ἐθρια = אתריא. An id forte idem cum אתרים, Ἀθαρειν, Ἀθαρειμ (Vulg. « exploratorum », תרים Num. 21,1), vel יתנן, Iethnan Ios. 15,23? Videntur igitur Cenezaei hi sedes habuisse in Negeb orientali; Othoniel, ducta Achsa filia haerede, factus est pater Gabaa; cuius cognatio aevo regum opificiis operam navavit prope Lyddam.

f. Supplementum genealogiae Charmi 1 Par. 4,17-20.

Arg. — Explicatur posteritas Ezrae seu Azariae. Cuius posteri recitantur e filia Pharaonis duabusque uxoribus iudaeis, qui plures in Monte et in Sephela obtinuere civitates. Textus in pluribus defiguratus videtur desinere in genealogiam privatam (v. s. p. 26. 56 sq.) alicuius familiae, genealogiae publicae adscriptam, cuius tamen aliqua, probabilius pars maior, textu excidit.

Est genealogia antiqua, omnino affinis genealogiarum calebitarum fere omnium, distinguens uxores, demonstrans patres civitatum et antiquissimum certe factum nuptiarum filiae Pharaonis. Ad quae tempora genealogia pertingat, fortasse accuratius perspiceremus, nisi extremo v. 20 aliqua excidissent.

Hanc genealogiam utique referimus ad *Charmi* v. 1 : nihil quippe aliud habet cap. 4, quod ad Charmi referri possit.

Sed hic est locus accuratius inquirendi in nomen *Ezra,* עזרה v. 17. Cuius viri aut nullibi secus habetur mentio, aut nomen Ezra idem est cum nomine aliquo similis formae, quod alibi legatur. Ubi duo tantum comparanda veniunt nomina : *Azarias,* עזריה 2,8, et *Ezer,* עזר 4,4.

Si affirmemus viri Ezra hoc unico loco haberi mentionem, assurgit difficultas, v. 1 aliquid annuntiari de *Charmi,* sed in toto capite *nullo*

modo exprimi qui sint Charmitae : etenim in hac hypothesi nulla est nominis Ezra cum Charmi connexio. Erit fere concedendus *error* v. 1, ut pro *Charmi* legatur *Caleb*. Verba : Phares, Hesron, Caleb, Hur, Sobal dicenda erunt compendio in memoriam revocare genealogiam Sobal v. 2. Cur id fiat, non perspicitur, cum in genealogiis tribuum unicus habeatur Sobal. Praeterea in hac hypothesi non perspicitur, quid sibi velit Azarias 2,8; an ibi etiam adstruendus *error,* ut aut totus versus expungatur, aut nomen Azarias statuatur esse mutandum?

Si Ezra eundem esse affirmes atque Ezer v. 4, coniecturae confirmationem tibi videbitur afferre v. 18, ubi Ezrae nepos scribitur pater Gedor, quem eundem titulum habet v. 4. Sed infirma haec confirmatio, cum Gedor v. 4 non attribuatur Ezer sed eius fratri Phanuel. Fuere reapse *duo* patres Gedor, seu patres duarum partium eiusdem urbis Gedor (cf. CJ[1] p. 41 sqq.); qui aeque potuere esse aut Huritae ambo, aut unus Hurita et unus Charmita. Quae duae hypotheses per se spectatae sunt aequiprobabiles, neutra confirmatur comparatis inter se v. 4 et v. 18. Patitur autem haec etiam explicatio easdem difficultates, cap. 4 nihil habere de Charmi, et ignorari quis sit Azarias. Adstruendus erit *error* unus, vel etiam errores duo.

Si Ezram eundem statuas esse atque Azariam, explicatum habes hoc nomen 2,8, habes cap. 4 aliquid genealogiae spectantis ad Charmi, nullus adstruendus error, nam diversa scriptio עזרה et עזריה error non est, ne orthographicus quidem.

Obiicies, Azariam 2,8 non scribi filium Charmi, sed fratris filium. Respondebo, viros v. 17-20 dici filios Charmi *politice,* sicut Manassaei transiordanici omnes dicuntur filii Galaad, quorum plures *origine* exstitere fratres Galaad. Etenim non in omnibus tribubus cognationes eodem modo habebant ad invicem. Apud quasdam tribus videntur singulae eiusdem stirpis cognationes minus arcte cohaesisse inter se; apud alias videntur uni cognationi reliquae cognationes obtemperasse. Ita Galaaditae : et cur non item Charmitae?

Quare tandem praefero opinionem, quae Ezram eundem statuit esse atque Azariam. Explicat ea 2,8, explicat 4,1, nullum in textu adstruit *errorem*.

Inquires, cur non clarius in textu exprimatur nexus v. 17-20 cum Charmi. Non est hac in re reprehendendus collector, qui excerpta tradidit, qualia accepit. Sed neque excerptor reprehendendus est : quo tempore prolixae historiae Hebraeorum exstabant, potuit is eum nexum negligere, uti 2,7 nexum inter Charmi et Zamri, 1,4 mutuam rationem Sem, Cham et Iapheth. Supponebat rationem et nexum perspectum habere lectores.

v. 17 « *Et filii Ezra* » seu Azariae (2,8) : « *Iether et Mered et Epher et Ialon* ». *Hebr.* : *filius*; certe recitantur quatuor filii unius viri. « *Genuitque* » — post quod verbum *Masor.* notant *lacunam*. *LXX* : *genuit Iether*, sed *Iether* non legitur in textu, et verbum ותהר, *genuit*, exigit *mulierem* subiectum; neque e nostro Hebraeo perspicitur, cui *patri* ea mulier genuerit filios v. 17[b] (*Calm.*). Quorum filiorum mater evidenter exstitit diversa a matre virorum v. 18[a] : haec iudaea, illa non iudaea. Lacunam compleas ita, ut v. 18[b] transferas ad calcem v. 17 et v. 17 restituas ita (*Malv.*) : *Genuitque Bethia filia Pharaonis Meredo* « *Mariam et Sammai et Iesba patrem Esthamo* ». *Hi filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered.* — *Esthamo,* urbs Montis Iuda Ios. 15,50, sacerdotibus concessa 21,14. מרים non est certae lectionis : Μαρων, Μωεωρ, Μαρω. Neque nomen מרים necessario est nomen *mulieris*, a *LXX* merito accipitur pro nomine viri : neque enim filia *ante* filios fuit scribenda, non vero recitari *tres filias*, docent v. 18[b] voces « hi filii » huc transferendae.

v. 18 « *Uxor quoque eius Iudaia peperit Iared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoe* ». היהדיה cum articulo non est nomen proprium 'Αδια, *Iudaia*, sed est adiectivum 'Ιουδαια (*LXX L*), *iudaea*. Quo epitheto ornatur altera uxor in oppositione ad uxorem priorem : haec *aegyptia* erat, illa *iudaea*. Habentur in eodem angustissimo tractu *Gedor* Montis Iuda Ios. 15,58, cuius pater h. l. v. 4 Phanuel Calebita, et Gedera, Gederothaim Sephelae Ios. 15,36, quam censemus h. l. intelligi, sub patre Iared Zaraita. Habentur item in angusto intervallo *Socho* Montis Iuda Ios. 15,48, et Socho Sephelae v. 35, alterutrius vero h. l. pater scribitur Heber Zaraita; tandem *Zanoe* Montis Iuda v. 56, et Zanoe Sephelae v. 34, alterutrius vero h. l. pater scribitur Icuthiel Zaraita. Unde CJ[1] p. 41 sqq. inferebamus, in ipso limine ubi Mons transibat in Sephelam fuisse urbes quasdam homonymas, contiguas, unarum urbium partes duas, quarum partem ad Montem spectantem obtinerent Calebitae, alteram partem Sephelam spectantem Zaraitae.

« *Hi autem filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered* ». Haec verba transferenda ad calcem v. 17. Licet eo aevo nomina propria habentia nomen Iahve essent rariora, tamen Osee mutabatur in Iosue; neque mirum filiam Pharaonis, ad fidem Hebraeorum mutato nomine conversam, vocatam esse בת יה, *filiam Iahve*. Quinimo hoc nomen augustius confirmat, mulierem vere fuisse filiam Pharaonis. Cf. porro, quae de hac filia Pharaonis dicebamus CN p. 203. 205; non potuit Mered iudaeus habere uxorem filiam Pharaonis, nisi circiter exodi tempore.

v. 19 « *Et filii uxoris Odaiae, sororis Nahum patris Ceila : Garmi et Esthamo, [qui fuit de] Machathi* ». Habes v. 17 filios Bethiae *aegyptiae*, v. 18 filios anonymae uxoris *iudaeae*, v. 18 filios Odaiae, cuius *tribus* tacetur sed commemoratur *frater* qui, licet fuerit vir auctoritate gravis suaeque civitatis pater, tamen in genealogiis locum proprium non habet. Haec non satis consona indoli genealogiarum, quae ignota notis illustrare consueverunt. Praeterea nomen הודיה (Ἰδουια, Ὠδια, sed alia lectio *LXX R* ἰουδαίας) *persimile* vocis יהודיה v. 18; et cur ante nomen proprium scribitur *status constructus* אשת? Quo vestigio deprehenditur textus certe aliquam passus esse deformationem. Ergo pro אשת הודיה אחות corrige : אשתו יהודיה (ה)אחרת, *uxoris eius iudaeae alterius*. Praeter uxorem primam aegyptiam unam, habuit uxores iudaeas duas. Quarum nomina non traduntur, sed cum emphasi affirmantur fuisse iudaeae, non alienigenae. Vel ipsa haec genealogia commendationem habet coniugiorum uxorum hebraearum prae alienigenis.

Ergo huius uxoris non *frater* sed *filius* est *Nahum*; quod confirmant *LXX Alex.* et *Sinait.* post Nahum scribentes *copulam*. *Ceila*, urbs Sephelae Ios. 15,44, adscriptum habet adiectivum הגרמי, *Garmita*, uti *Esthamo*, quam credideris urbem Montis Ios. 15,50, adscriptum habet adiectivum המעכתי, *Machathaeus : pater Ceila Garmitae et Esthamo Maachathaei*. Constructio in his genealogiis plane insueta, sensus obscurus; habetur praeterea unus duarum urbium Ceila et Esthamo pater, quod rursum est plane insuetum. Sed textum magis completum habent codices *LXX* supra laudati. Post *Nahum* :

Alex. :	καὶ	Δανα	πατὴρ	Κεειλα	καὶ	Σωμειων	πατὴρ	Ἰωμαν.
Sinait. :	καὶ	Δαλειλα	πατὴρ	Κεειλα	καὶ	Σεμεγων	πατὴρ	Ἰωμαν.

En tibi tres illius uxoris filios : Nahum, Dana vel Dalila, Simeon ille seu Simon, quem reliqui textus habent v. 20 tantum praeter omnem contextum. Eius nomen h. l. profecto plane *genuinum* apparet. Pergunt porro :

Alex. :	καὶ	υἱοὶ	Ναημ	πατρὸς	Κεειλα	Ὀταρμι	Ἰεσθεμωη	Μαχαθα.
Sinait. :	καὶ	Μαναημ		πατρὸς	Κεειλα	Ἀταμει	Ἐσθαιμωνη	Νωχαθει.

Μαναημ corruptione ortum esse e υἱοὶ Ναημ, demonstrat sequens πατρὸς; quodsi enim quartus filius uxoris recensebatur, scribendus erat nominativus πατήρ. Recensentur igitur *filii Nahum*. Sed Nahum h. l. vocatur *pater Ceilae*, unde patet supra delendas esse voces καὶ Δανα vel καὶ Δαλειλα. Habentur uxoris illius filii duo, nepotes tres. Textus primitus haec videtur habuisse :

v. 19 *Et filii uxoris alterius iudaeae, Nahum pater Ceila, et Simon pater Ioman. Filii Nahum patris Ceila, Garmita, Esthamoita, Machathaeus.* Scribuntur, uti 2,53. 55, pro filiis familiarum nomina, quae ab ipsis derivabantur. *Esthamoita* sane nomen habet ab urbe Montis Ios. 15,50; *Gerem*, *Maacha* ignota. Sed *Ioman* suggero eandem esse atque Ios. 15,53 Ianum, ינום, Keri ינים, Ἰεμαιν, Ἰανουμ, quae ibi recensetur cum Beth Thaphua, hodie Taffûḥ ad occidentem Hebronis in Monte sita. Igitur erat fortasse Ianum vel Ioman prope Ceilam.

Ergo non iam uti CN p. 202 sq. distinguimus *duas* Ceila, quarum una *Ceila Garmi*, neque *duas* Esthamo, quarum una *Esthamo Machati*. Defendimus vero uti CJ[1] p. 42, *Zaraitas* incoluisse *Ceilam* et *Esthamo*, imo *totas* eas urbes. Habuere Huritae Gedor et Socho Montis, Charmitae Gedor et Socho Sephelae, praeterea in Monte Esthamo, Ianum, Zanoe, in Sephela Ceilam. Quomodo factum sit, ut praeter Sephelae tractum habuerint Charmitae etiam tractum aliquem in Monte, coniecturam proponebamus CJ[1] p. 42 sq.

v. 20 « *Filii quoque Simon* », filii Mered e secunda uxore hebraea : « *Amnon et Rinna, filius Hanan et Thilon. Et filii Iesi: Zoheth et Benzoheth* ».

ובני שימון אמנון ורנה בן חנן ותילון ובני ישעי זוחת ובן זוחת.

LXX R: Ἀμνων καὶ Ἀνα, υἱὸς Φανα καὶ Ἰνων, καὶ υἱοὶ Σει Ζωαν, καὶ υἱοὶ Ζωαβ.

LXX L: Ἀμνων καὶ Ῥεννα, υἱὸς Ἀνναν, υἱὸς Θωλειμ, καὶ υἱοὶ Ιεσσι Ζαωθ, υἱὸς Ζαωθ.

Habemus iam sat perspectam indolem harum genealogiarum, ut affirmare possimus hunc versum esse in pluribus defiguratum. Ac primum quidem extremo v. 20[b] deest nomen unum : *Filii Iesi Zoheth. Filius Zoheth x.* חנן, ni supponantur plura ante hoc nomen excidisse, est idem nomen atque duorum praecedentium unum, אמנון vel רנה; maior similitudo inter חנן et אמנון; post illam vocem aliquod nomen excidisse prodit ea quae sequitur copula. Praeterea Iesi debuit efferri ut *filius*, antequam referretur ut *pater*. Quare textum pro coniectura restituo ita : *Et filii Simon, Amnon et Rinna. Filii Amnon : Iesi et Thilon. Filii Iesi, Zoheth. Filius Zoheth x.*

Extrema genealogiae huius dissimilia sunt eorum, quae praecedunt. Haec explicant familiarum distributionem, illa sunt individuorum. Fortasse v. 20 initium est genealogiae privatae cuiusdam familiae Charmitae, a Simeone derivatae, quam merito iudicavit collector sibi non totam esse describendam. Vel, quae post v. 20 habebat ille textus, ideo non descripsit collector, quod ea perspexerit esse misere

defigurata, similiter atque postmodum defiguratus est ipse textus v. 19 sq.

9. *Genealogia Sela* 1 *Par.* 4,21-23.

Arg. — Selaitae videntur incoluisse Sephelam meridionalem, et tempore certe regum fuisse pauci numero et ad humilem conditionem esse delapsi. Duo recensentur patres civitatum, cognationes aliquae. Tradebantur apud ipsos quorumdam virorum nomina, qui in Moabitide aliquando prospere egerant.

v. 21 « *Filii Sela filii Iuda* », de quo cf. Gen. 38,5; 46.12 etc. : « *Her pater Lecha* », לכה, cuius urbis situm ignoramus, sed fuerit ea prope Maresam, « *et Laada pater Maresa* », מרשה, Ios. 15,44 מראשה, quae urbs fuit Sephelae, nunc Merâsh (?) prope Eleutheropolin, meridiem versus, « *et cognationes domus operantium byssum* », seu *domus manufacturae byssi* (cf. v. 23 figulos, v. 14 opifices). Quod sequitur « *in domo iuramenti* » seu verius *quoad domum Eshba'*, לבית אשבע, coniicio esse nomen loci : verba adscripserit chronista aliusve, ut definiret ubi ea domus manufacturae byssi fuerit, sc. prope *Beth Eshba'*, cuius loci situm ignoramus. Tenuis haec genealogia a duobus patriarcharum nominibus Her et Laada illico, non uti genealogia 2,50 sqq. post plures recitatas virorum generationes, delabitur ad generatim indicandas *cognationes* aliquas. Potuere haec pauca hausta esse e traditione orali Selaitarum, gentis exilis, quae documenta scripta non haberet aut vix haberet.

v. 22 « *Et qui stare fecit* [*solem*] ». Inepte v. 21 sq. *S. Hier.* vertit nomina propria, atque h. l. fabulam iudaicam secutus versioni nominis adscribit vocem *solem*. Ceterum nomen יוקים, Ἰωακιμ, Ἰωακειμ, ideo suspectum est, quod, cum nomen sit *individui* hominis, inscribatur mediis nominibus *collectivis*, v. 21 cognationibus Beth Eshba' et h. l. *viris Cozba*. Ubi perperam Hier. « *virique mendacii* ». כזבא = כזיב Gen. 38,5 (Hebr.), quo loco natus est ipse Sela. Sed qui nexus Cozbaitarum cum genealogia? Utique textus affirmat Cozbaitas fuisse Selaitas. An forte אשבע v. 21 corruptione prodiit e כזבא, ut viri Cozba sint ipsi illi manufactores byssi? Pro ויוקים autem suggero ויוקמו, *et suscitati sunt viri Cozba*. Quod verbum scribitur de excitatis *divinitus* iudicibus Iud. 2,16, prophetis Deut. 18,18 etc. In rebus Selaitarum difficillimis excitati fuere divinitus manufactores illi byssi, ab ipsis salus stirpis initium sumpsit.

Recitantur porro horum Cozbaitarum duces « *et Securus et Incendens* », seu verius *et Ioas et Saraph*, « *qui principes fuerunt in Moab* ». Non cogimur adstruere, Cozbaitas *totius Moabitidis principatum* ali-

quando esse adeptos; sufficit, ut a meridie circumeuntes Mare Mortuum aliquos Moabitidis pagos ad tempus suos fecerint; imo potuit eorum adventus Moabitis esse minime ingratus, quod sperarent manufactura byssi Moabitiden fore ditandam. Quodsi Maresa v. 21 vere sit Meràsh, videntur Selaitae sedes häbuisse in Sephela meridionali, prope fines Philisthaeorum. Ab his igitur pressi Cozbaitae maluere ditescere in Moabitide quam diripi in finibus suis, et in Moabitiden ad tempus emigrarunt. Rebus in Sephela compositis rediere : « *et qui reversi sunt in Lahem* ». לחם non est *Bethlehem,* quum לחם sine בית nunquam exprimat Bethlehem. Cum *LXX* lege לחם : *reversi sunt sibi*, seu *reversi sunt in sua*. Item pro וישבי recte *LXX* וישבו, quod verbum *LXX Vulg*. recte derivant a שוב, *reverti*.

« *Haec autem verba vetera* ». הדברים cum articulo, utique *haec* verba. Referas ad acta Cozbaitarum vel etiam ad totos v. 21 sq. Quarum rerum notitiam hausit auctor non e scriptis quibusdam Selaitarum documentis, sed e *traditione orali*. Reapse narrata tam pauca sunt, ut facile potuerint sola traditione orali accurate transmitti. Verbis innuit auctor, se in reliquis enarrandis secutum esse documenta *scripta*. Transit porro auctor ad alia, quae non ex antiqua traditione didicit, sed ipse contuitus est.

v. 23 « *Hi sunt figuli* » *et* « *habitantes in plantationibus et in sepibus, apud regem in operibus eius, commorati*[*que*] *sunt ibi* ». Iidem *habitantes* qui *figuli*, unde cum *LXX Vulg*. melius omittas *et*. Quae copula etiam excluditur *articulo* in היוצרים, qui articulus prodit aliquam subiici eorum figulorum accuratiorem descriptionem. Quodsi nihilominus eam copulam volueris retinere, fatearis oportebit, eam esse negligentius scriptam. Verte : *habitantes in Netaim et in Gedera : cum rege in operibus eius habitant ibi*. Facti sunt *figuli regii* a Davide vel ab aliquo eius successore. Qui pro eo opere elegit sane loca argillam habentia neque valde dissita a Ierusalem : fragilia quippe cum sint opera figulorum, facilius longis itineribus detrimenta patiuntur. Extrema verba fere produnt, nativas illorum hominum sedes non fuisse Netaim et Gederam, sed illuc a rege translatos esse. Fuerit igitur *Gedera* eadem atque Gedor, Gedera, Gederothaim. *Netaim*, נטעים, non necessario quaerenda est prope Gederam, potuere esse duo loca minime contigua, argillam habentia. Nuper reperiebantur amphorae plures inscriptam habentes vocem למלך, regi, et nomen urbis cuiusdam (Hebron, Ziph etc.), quae videntur habuisse vinum vel oleum pensum regi ab illis urbibus. Quas amphoras suggerit *Ch. Clermont-Ganneau* (Recueil d'archéologie orientale IV. 15, Paris 1901) confectas esse a figulis regiis v. 23.

Pronomen *hi* referas vel ad solos Cozbaitas, vel item ad Heritas et Laaditas : non quasi hi avitas sedes byssique manufacturam deseruerint; sed aliquos eorum, fortasse solos quosdam Cozbaitas, transtulit rex in Netaim et Gederam. An ex horum ore didicit auctor antiquas illas traditiones?

Aliter *Fl. De Moor :* Un épisode oublié de l'histoire primitive d'Israel, Arras 1894 (Extrait de la Science Catholique), p. 10 sqq., adstruens Sclaitarum ante Moysen in Bethlehem (?) coloniam et in Moabitiden expeditionem.

II. GENEALOGIA SIMEON 1 PAR. 4,2-43.

Arg. — Tribus Simeon, tribui Iuda usque coniunctissima. Traduntur primum familiae, quas tribus Simeon produxit usque ad Iosue tempora, et elenchus civitatum illis a Iosue attributarum. Sermo hic excusationem etiam habet Iudaeorum ; paucas Simeonitis civitates concessere, quia pauci erant. Secundo enumerantur duces simeonitae illi, qui circa Ezechiae tempora latiores sibi sedes quaesiere prope Gerar et in monte Seir.

Duo haec documenta diversorum sunt temporum : prius ex actis Iosue, alterum ex historiis regum petitur. Asyndetice secundum consequitur primum. Auctor pauca de rebus Simeonitarum comperta habet : haec pauca tradit.

1. *Simeonitae tempore Iosue* 1 *Par.* 4,24-33.

v. 24 « *Filii Simeon* : *Namuel et Iamin*, *Iarib*, *Zara, Saul* ». Eadem nomina Num. 26,12 sq. Pro *Namuel* Gen. 46,10 ; Ex. 6,15 *Iamuel,* et pro *Zara* (זרח) *Sohar* vel *Soar* (צחר). Qui duo textus post Iamin habent *Ahod*, qui aut non effloruit in familiam a ceteris distinctam, aut eius familia in deserto absorpta est : nota CN p. 320 decrementum 62 0/0, quod passa est tribus Simeon inter numerationem bellatorum Num. 1 et alteram Num. 26. Tandem iidem duo textus *Saul* vocant « filium Chanaanitidis », unde inferas reliquos natos esse matre vel matribus. quae non erant chanaanitides et fortasse erant hebraeae. Quae sequuntur v. 25 nomina, utique referuntur ad nomen immediate praecedens *Saul*, sed, sicut initio v. 26 apud *LXX R* excidit « filii Masma », ita initio v. 25 apud omnes excidit *Filii Saul* : v. 25 « *Sellum filius eius, Mapsam filius eius*, *Masma filius eius* ». 3,10-14 vox בנו singulis nominibus propriis adscripta exprimebat generationes *successivas*. Ergo h. l. : Filius Saul Sellum, filius Sellum Mapsam, filius Mapsam Masma ; et ita porro. Haberentur sex generationes successivae

usque Semei. Sed cur hae *singulorum* virorum generationes interrumpantur verbis « *filii* Saul », « *filii* Masma », et ubi v. 27 « *fratres* » Semei, cum ille unicus patris sui recenseatur filius? Sc., licet suffixum in בנו 3,10-14 et alibi referatur ad solum nomen immediate praecedens, atque ita vox exprimat generationes *successivas*, at suffixum per se aeque commode refertur ad nomen quod primum est in ea serie, atque ita exprimit generationes simultaneas. Ergo h. l. : Filii Saul Sellum, Mapsam et Masma. Quo item sensu בנו construitur 7,20 sqq. Eodem modo construe v. 26 : « *Filii Masma : Hamuel filius eius, Zachur filius eius, Semei filius eius* ». Hi tres sunt filii Masma. Apud *LXX B* Σαβουδ, זבוד, ortum est reduplicatione nominis Ζακχουρ, זכור.

v. 27 « *Filii Semei sedecim et filiae sex. Fratres autem eius non habuerunt filios multos, et universa cognatio* » *eorum* « *non* [*potuit*] *adaequare* [*summam*] *filiorum Iuda* ». Pronomen *eorum* refer ad *universam cognationem* Simeon, inclusa etiam stirpe Semei. Quae cum *non sit multiplicata usque ad filios Iuda* (*Hebr.*), non illis dandae fuere plures *urbes*, urbes quippe attribuebantur secundum cognationes. Atque hinc perspicis, cur mox tradatur *elenchus urbium.*

Elenchum porro parallelum explicatum habes Ios. 19,1-9, ad quam explicationem h. l. lectorem remittimus. v. 28 « *Habitaverunt autem in Bersabee et Molada et Hasarsuhal* » v. 29 » *et in Bala et in Asom et in Tholad* », seu Eltholad, v. 30 « *et in Bathuel et in Horma et in Siceleg* » v. 31 « *et in Beth Marchaboth et in Hasarsusim et in Bethberai* », seu Beth-Lebaoth, « *et in Saarim* », seu Sarohen. « *Hae civitates eorum usque ad regem David* » ; v. 32 « *villae quoque eorum* » : — sed ex eo quod illico v. 32 adscribitur « *civitates* quinque », perspicis v. 32 non recitari meras *villas,* sed item *civitates.* Cf. Ios. 19,6 « civitates tredecim et villae earum » ; et iungas h. l. : *Hae civitates eorum, usque ad David, et villae eorum* ; intellige villas pertinentes ad illas civitates. Porro inde a Davide imminutus est numerus earum urbium, quae in potestate Simeonitarum permanserunt. 1 Reg. 27,6 traditur *Siceleg* facta esse urbs iudaea, data Davidi ab Achis rege Geth (*Men.*). Ut primum Iuda factum est regnum, summi momenti Iudaeis erat ut liberum commercium haberent cum Aegypto : Siceleg vero erat secus viam a Gaza in Aegyptum. Siceleg erat etiam munitio contra Gazaeos. Simeonitae non erant tot numeris, ut se a Philisthaeis efficaciter defenderent : facile concessuri erant, ut Iudaei plura loca in suis finibus munirent atque in eis praesidia collocarent. Ita, ut equidem existimo, factum est ut sine violentia paulatim Simeonitae absorberentur a Iudaeis.

Sequitur altera provincia Simeonitarum (CJ[1] p. 412 sq.) : « *Etam et*

Aen Remmon, et Thochen et Asan, civitates quinque ». Nomina sunt quatuor, supple e Ios. 19,7 *Athar*. Uti v. 32 docemur, vicos etiam earum civitatum Simeonitis obtigisse : v. 33 « *et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal* ». Verbotenus uti Ios. 19,8, ubi pro *Baal* scribitur : « usque ad Baaloth, pergentibus in Ramoth Negeb ». Explicationem v. CJ[1] l. c. Sequitur clausula « *Haec est habitatio eorum.* »

2. *Simeonitae tempore Ezechiae* 1 *Par.* 4,33-43.

Voces « *et sedium distributio* », seu verius (*Hebr.*) *et elenchus eorum ipsis,* inscriptio sunt sequentium : quorumnam elenchus describatur, prodit v. 38, sc. *ducum*. Sed post suffixum *eorum* abundat pronomen להם, *ipsis*, prodit etiam *copula* initio v. 34, להם non esse pronomen, sed nomen viri *Lehem*.

Et elenchus eorum : Lehem, v. 34 « *Mosobab quoque et Iemlech et Iosa, filius Amasiae* », v. 35 « *et Ioel et Iehu, filius Iosabiae filii Saraiae filii Asiel* », v. 36 « *et Elioenai et Iacoba* » (cf. *LXX L*) « *et Isuhaia et Asaia et Adiel et Ismiel et Banaia* », v. 37 « *Ziza quoque, filius Sephei filii Allon filii Idaia filii Semri filii Samaia* ». Habes, omissis *patrum* nominibus, *filios 14:* Lehem, Mosobab, Iemlech, Iosa, Ioel, Iehu, Elioenai, Iacoba, Isuhaia, Asaia, Adiel, Ismiel, Banaia, Ziza. An hi fortasse *16 filii Semei* v. 27, e quorum numero facile duo nomina fuerint deperdita? Sed longius abest v. 27, intercedit que totus elenchus civitatum. Auctor de Simeonitis *pauca* comperta habet; quae nactus est documenta, tradit : trium generationum nomina, quae omnia a filio natu minimo per filios natu minimos descendunt ad familiam Semei ceteris numerosiorem; huius familiae non nomina sed summas tantum; elenchum civitatum e Ios. 19 transsumptum; expeditionem tempore Ezechiae susceptam. Nomina v. 33[b]-37 utique nexum habent cum ea expeditione, immediatum habere nexum cum v. 25-27 demonstrari non possunt. Sunt nomina eorum, qui in ea expeditione *duces* fuere. Nomina auctor tradit qualia accepit, plura nuda nomina, alia aliquid genealogiae habentia adscriptum. Ceteris magis completa genealogia *Zizae*, qui fortasse totius expeditionis exstitit *supremus dux*, cuius origo revocatur ad *Samaiam* (שמעיה), nomen idem atque v. 27 *Semei* (שמעי). Quos omnes crediderim fuisse posteros *Saul* v. 24 sq., cum huius solius viri genealogia explicetur. Ergo verba v. 33 *Et elenchus eorum* interpretare secundum contextum v. 33-43 : elenchum ducum Saulitarum tempore Ezechiae regis.

Ceterum, si haec conferas cum 12,3 sqq., suspicaberis omnes viros

v. 34 fuisse filios Amasiae, duos viros v. 35 filios Iosabiae, omnes viros v. 36 sq. filios Sephei, sive quod singularis בן, filius, in eiusmodi elenchis aequivaleat plurali, sive quod emendandus sit in בני, filii. Habebis igitur secundum hanc coniecturam elenchum hunc :

Lehem et Mosobab et Iemlech et Iosa, filios Amasiae;
Iocl et Iehu, filios Iosabiae filii Saraiae filii Asiel;
Elioenai et Iacoba et Isuhaia et Asaia et Adiel et Ismiel et Banaia et Ziza, filios Sephei filii Allon filii Idaiae filii Semri filii Samaiae.

Qui stemma revocabant ad Samaiam vel Semei, nobilitatis erant probatioris, qui ad Asiel, mediae, qui ad Amasiam, exiguae.

v. 38 « *Isti sunt nominati* », seu *nominibus relati in elenchum* genealogicum tribus, « *principes in cognationibus suis et* [*in*] *domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer* ». Verte : *et patroeciae eorum multiplicatae sunt vehementer.* Recole filios accepisse haereditatem pro dignitate *matrum* : ergo familia Saul « filii Chanaanitidis » posthabebatur reliquis familiis e Simeone natis. Utrum aliquas civitatum v. 28-32 nacti sint, an ultra illas desertum incoluerint, nescimus. Ubi potiores sedes omnes a fratribus suis et a Iudaeis praeoccupatas viderunt, sedes alias quaesituri emigrarunt. Cuius facti rationem numerum affert textus, estque ea ratio ad explicandum factum plane sufficiens. Gratuito *Ber.* hanc Simeonitarum expeditionem, indole similem expeditionis Danitarum Iud. 18, revocat ad fervorem religiosum, quem regis Ezechiae salutaria statuta, Isaiae et Michaeae cohortationes ac tandem clades Sennacherib apud Iudaeos inflammaverant. Distinctius vero narratio v. 39-43 explicat, quomodo Simeonitis paulatim evaserit Iudaea : stirps Semei, Saulitarum recentissima et numerosissima, ultra urbes a Iosue tribui assignatas emigravit in eum tractum, qui tamen Chanaanitidis sibi divinitus concessae limitem australem non aut vix excederet.

v. 39 « *Et profecti sunt, ut ingrederentur in Gador usque ad orientem vallis,* [*et*] *ut quaererent pascua gregibus suis* ». Vitam pastoralem hae familiae agebant. Pro גדר cum *LXX* lege גרר, *Geraram,* notam e patriarcharum historiis Gen. 10,19; 20,1 sq.; 26,1 etc. Certe non perrexerunt Geraram, quia secus v. 41 eius urbis incolas percussisse narrarentur, qui etiam videntur fuisse Philisthaei. Perrexerunt לִמְבוֹא Gerarae pro quo *LXX L Vulg.* videntur legisse לבוא, *LXX R* עד בוא : eritque vox exponenda, uti expressio לבוא חמת, *ad Introitum Gerarae,* nomen tractus prope Geraram, *ad orientem* urbis, ubi duobus torrentibus versus Bersabee convergentibus concluditur pagus sat amplus, pascua habens. v. 40 « *Inveneruntque pascuas uberes et* [*valde*] *bonas,*

et terram latissimam » in utramque partem, i. e. in omnem partem, « *et quietam et fertilem* », — *Hebr.* : *pacatam*; tractus ille videtur interpositus fuisse viis quae ducebant in Aegyptum, sed illas non attigisse — « *in qua ante habitaverant de* [*stirpe*] *Cham* ».

Bene *LXX Vulg.* illud *de Cham* interpretantur *de filiis Cham*. Incolae illi certe non erant Chananaei neque Semitae; erant stirpis Chananaeorum affinis, sed antiquioris : gens parum culta et, ut videtur, documentis scriptis carens, quae suam originem non valeret accuratius describere, quam affirmantes se esse *de Cham*. Certe non erant Philisthaei, cum quod Philisthaeos scriptor proprio nomine fuisset appellaturus, tum quod Philisthaei fuerint gens bellicosa et urbicola, hi vero essent pacifici pastores in tabernaculis habitantes. Nota coniunctionem כי : erant quieti et pacifici, *quia* erant de stirpe Cham. v. 41 « *Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim* », seu verius *qui descripti sunt nominibus* in elenchis publicis, « *in diebus Ezechiae regis Iuda, et percusserunt tabernacula eorum* », Chamitarum illorum, qui erant incolae aborigines (לפנים). At non hi soli ibi reperiebantur, sed alii aliqui : « *et habitatores, qui inventi fuerant ibi* ». מעינים certe h. l. non est vertendum *fontes*, quia *fontes* non *percutiuntur*; neque *Keri* מעונים vertendum est *habitacula*, abundant quippe *habitacula* post *tabernacula*. Recte *LXX R* Μιναίους, quod apud *LXX L* defiguratum habetur Κιναίους (cf. *Calm.*). Quod idem gentis nomen LXX habent 2 Par. 20,1 pro אדומים, Keri עמונים; 26,7 pro מעונים; Iob 2,11 etc. pro נעמתי. *Minaeorum*, qui Sabaeorum Arabiae sunt affines, inscriptiones nuper repertae sunt etiam in Arabia septentrionali vergente ad occidentem (*H. V. Hilprecht* : Explorations in Bible lands during the 19th century, Edinburgh 1903 p. 728). Minaeorum *aliqui* tantum videntur *inventi* esse apud Chamitas illos, fortasse praefecti constituti ad colligenda tributa.

« *Et deleverunt eos* » — ויחרימו, *pro anathemate deleverunt* eos, maribus omnibus trucidatis. Neque ea vox efficit (*Ber.*), eos id fecisse pietate actos in Iahven, qui gentes quasdam iusserat ita interimi; sed fecere, ne quis superesset ultionem sanguinis exacturus — « *usque in praesentem diem* ». Tempore, quo scribebat auctor documenti vel is qui documento verba adscripsit, deletis Chamitis eum tractum obtinebant Simeonitae : ipse accurate comperta habebat, quae narrabat. « *Habitaveruntque pro eis, quoniam* [*uberrimas*] *pascuas ibidem repererunt* ».

Sequitur altera expeditio quam, fortasse non illico sed aliquanto post, ex illo Chamitarum pago suscepere non Semeitae (v. 27) illi omnes, sed soli 500 viri. Non pagum Chamitarum deseruere (*Calm.*) propter

timorem Assyriorum, sed novam coloniam fundavere. v. 42 « *De filiis quoque Simeon* » — *Hebr. : et de ipsis, de filiis Simeon*, de iisdem atque v. 38-41 — « *abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Naariam et Raphaiam et Oziel, filios Iesi* », ישעי, qui fortasse (*Mar.*) idem est atque עשיה, Asaia v. 36. Crediderim longius tempus elapsum esse, quoad una illa familia, earum quae Chamitas delevere, ita aucta est ut haberet 500 viros armatos. Hi vero non sunt adorti *Edomitas* montem Seir incolentes, sed *Amalecitas* : v. 43 « *et percusserunt reliquias quae evadere potuerant Amalecitarum* » post bella Saul et David (*Men.*) 1 Reg. 14,48; 15,7; 2 Reg. 8, 12. Ea expeditione exsequebantur sententiam Iahve delendos esse Amalecitas Ex. 17,16; Deut. 25,17 sqq.; 1 Reg. 15,2 sqq.; partes agebant piorum Israelitarum. « *Et habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc* ».

III. GENEALOGIA TRANSIORDANICORUM 1 PAR. 5.

Arg. — Ruben ob violatum patris torum privatus est iuribus primogeniturae, ita ut haereditas duplex cesserit Iosepho, principatus Iudae. Recitantur e pentateucho filii Ruben. Explicat porro auctor, inde a Ioel aequali regis Saul, per septem generationes genealogiam Beera, qui captivus ductus est in Assyriam. Habebat praeterea auctor *documenta duo*, unum *statisticum*, tradens censum et fines singularum trans Iordanem tribuum, brevi ante exsilium; alterum *historicum*, enarrans bella a transiordanicis contra Agareos acta. Haec duo documenta ita in unam narrationem compingit, ut statisticis quoad *Ruben* v. 7 sq. subnectat v. 9-12 prioris belli narrationem, dein v. 13-16 tradat statistica quoad *Gad* et v. 17 sq. quoad *transiordanicos omnes*, quibus subnectat v. 19-22 secundi belli narrationem, tandem v. 23 sq. tradat statistica quoad *Manassaeos transiordanicos*. v. 25 sq. est clausula.

Cap. V v. 1 « *Filii quoque Ruben primogeniti Israel* ». — Haec verba annuntiant genealogiam tribus (cf. 2,3; 4,24 etc.), atque eadem verba resumuntur v. 3; sed intercedit *parenthesis* explicans quomodo Ruben, qui primus natus erat, tamen primogeniti dignitate et portione caruerit. Auctor in mente habet *vaticinium iacobaeum*, nam verba אז חללת יצועי עלה Gen. 49,4 de Ruben dicta fere verbotenus repetit; Iudae principatum habes Gen. 49,8-12, Iosephi portionem Gen. 49,22-26 — « *Ipse quippe fuit primogenitus eius* », Israelis seu Iacob; « *sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum* ». *Hebr.* : *sed non ad referendum in elenchum quoad primogenituram*. Data est primogenitura *Ioseph*, excepto eo ut primum in elenchis locum habe-

ret, et consequenter primum dignitatis locum haberet inter fratres : hic enim (v. 2) cessit *Iudae*. Perperam *Cai.* nexum explicat : « Rationem reddit auctor, quare non recensuit prius genealogiam Ruben, quia videlicet privatus fuit a patre iuribus primogeniti ». Si hoc, danda item fuit ratio, cur non primum recensuerit genealogiam Ioseph, in quem illa iura translata fuere. *LXX R* pro בכרתי, *primogenitura eius* : ברכתו, *benedictio eius*. Ergo : ubi Ruben iure *primogeniturae* privatus est, *benedictio* seu duplex haereditatis portio primogenito tribui solita cessit Ioseph, sed *primatus* dignitatis cessit Iudae; atque item v. 2 *LXX R* pro בכרה legunt ברכה. Hic textus omnino planus et perspicuus. Tamen reliqui v. 1 et 2 habent *primogenita*, non *benedictionem*; ubi primogenita intelligenda erunt non omnia primogeniturae iura, sed « duplicia » (*Mar.*), i. e. duplex haereditatis portio.

v. 2 « *Porro Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt* ». *Hebr.* : *quia Iuda fortis inter fratres, et in principem ex eo* (נגיד). Non ideo primatus collatus est Iudae, quia fortior erat fratribus, sed quia primatum habiturus erat, ideo fortitudo collata est ei vel potius posteris eius. Non placet explicatio *Net.* : « quia Iuda erat etiam fortior ad principatum fratribus suis ». Sed : quia Iuda (destinatus est) fortis inter fratres, etiam ex ipso futurus erat princeps. « *Primogenita autem reputata sunt Ioseph* » (v. s.).

Absoluta *parenthesi*, recitantur filii Ruben uti recitantur Gen. 46,9; Ex. 6,14; Num. 26,5 sq. : v. 3 « *Filii ergo Ruben primogeniti Israel : Enoch et Phallu, Esron et Carmi* ». Nihil de *Dathan* et *Abiron* Rubenitis Num. 16, licet 2,3 meminerit auctor Her et Onan Iudaeorum, 6,3 Nadab et Abiu Aaronitarum : noluit fortasse auctor illud antiquum Rubenitarum probrum commemorare, quod tota tandem genealogia desineret in reprehensionem transiordanicorum.

1. *Ruben* 1 *Par.* 5,4-10.

De Ruben habet auctor pauca neque satis continua : tradit quae habet. Transit primum ad quemdam *Ioel*, certe Rubenitam, qui vixit septem ante Teglathphalasar generationibus; sed a quo virorum v. 3 ille ortum duxerit, non prodit. Audacius infert *Malv.*, eum fuisse e progenie primogeniti Enoch ideo, quod totius tribus *princeps* fuerit : non videntur principes semper desumpti esse e familiis primogenitis. Perperam *Kittel* pro *Ioel* v. 4 scribit *Carmi* (v. 3). Eundem Ioelem habes v. 8. 12.

Demonstrandum porro nobis est post v. 6 illud *documentum statisticum*, de quo supra. Ad unum spectant documentum :

v. 7 ואחיו למשפחתיו בהתיחש לתלדותם,
v. 13 ואחיהם לבית אבתיהם,
v. 17 כלם התיחשו,
v. 24 ראשים לבית אבותם.

Universa haec referuntur ad unum eundemque *censum* (התיחש), in quo descripti erant bellatores eorumque principes « secundum cognationes suas », « secundum patroecias suas », « secundum generationes suas ». Quas expressiones excipiunt v. 7 sq. 13-16 nomina principum et generalis descriptio finium, v. 23 sq. descriptio finium et nomina principum. Uti patet, non erant haec adscribenda v. 17, qui est de transiordanicis universis, quia traduntur de singulis tribubus transiordanicis seorsim.

At *parentheseos instar* inseritur v. 9-12 narratio prioris belli. Descriptis sc. v. 8[b] finibus Ruben, meminit auctor temporis, quo illi orientem versus erant ampliores, atque ita occasionem nanciscitur prioris belli enarrandi. Cui narrationi plane affinis est alterius belli narratio. Quare has duas narrationes uni tribuimus *documento historico*, licet prior narratio, tria tantum habens nomina propria virorum, etiam e traditione orali possit esse profecta.

Documentum porro nostrum statisticum non est ipse census Ieroboam II. Etsi eum censum supponas habuisse etiam finium descriptiones, at non scribebat (v. 18) *generalem* summam transiordanicorum, *antequam* egisset de Manassaeis transiordanicis seorsim (v. 23 sq.). Neque pauca tantum habebat principum nomina, sed alia plurima.


a. Genealogia Beera 1 Par. 5,4-6.

v. 4 « *Filii Ioel : Samia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius* », v. 5 « *Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius* », v. 6 « *Beera filius eius* ». Ioelem censeo vixisse « in diebus Saul » (v. ad v. 10). Voce *filius eius* singulis nominibus adscripta producitur genealogia per septem generationes consecutivas : cf. 3,10 sqq. Si singulis generationibus tribuas annos c. 30, revocaris a tempore Theglathphalasar ad tempora Salomonis; ipse Ioel aequalis fuerit Saul et David. « *Quem captivum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum* », qui alias scribitur Theglathphalasar, תגלת פלאסר (cf. 4 Reg. 15,29). Cf. h. l. *Keri*. « *Et fuit princeps in tribu Ruben* », נשיא, sane supremus tribus princeps, aut unicus qui superstes tum exstiterit.

b. Statistica de Ruben 1 Par. 5,7 sq.

Census seu *numeratio*, de quo v. 7, idem est atque census v. 17

factus sub Ieroboam II, cuius regno ad finem vergente omnino potuit Beera natus et imo princeps esse. Ceterum affirmatur generalis tantum temporum aequalitas inter Beera et *fratres eius*. Census factus est sub ultimo rege potentiore Israel ostenditque, quaenam fuerit transiordanicorum conditio brevi ante captivitatem. v. 7 « *Fratres autem eius* [*et universa*] *cognatio eius, quando numerabantur per familias suas* », — *Hebr. : Et fratres eius*, sc. Beerae, *in cognationibus eius, secundum censum, quoad generationes eorum* institutum. Ipse Beera non potuit esse nisi *unius* cognationis vir : ergo *in cognationibus eius* idem sonet oportet atque *in cognationibus aequalium eius* seu *in cognationibus eorum* (*LXX L*). Appellatur fons authenticus, census : tempore Ioel non condebatur fortasse eiusmodi authenticus census — « [*habuerunt*] *principes : Iehiel et Zachariam* », v. 8 « *porro Bala filius Azaz filii Samma filii Ioel* ». Nomen *Bala* eodem casu scribe atque duo, quae praecedunt, nomina. Non *dicuntur* Iehiel (יעיאל), Zacharias et Bala (בלע) omnes fuisse *principes*, licet revera fuerint. *Hebr.* : *Iehiel caput*, הראש : cf. v. 12 « Ioel caput », 11,42 « Adina caput ». Ex ultimo textu perspicitur, caput intelligi *supremum ducem exercitus*. Cf. etiam 11,6, ubi narratur, quo egregie facto Ioab promeritus sit, ut fieret summus dux, caput. Sane *Zacharias* erat in exercitu « secundus », similiter atque v. 12 Saphan; *Bala* tertius dignitate, fortasse « iudex », uti ib. Ianai. Singularem *filius* post *Azaz* v. 8 refer ad tres illos viros Iehiel, Zachariam et Bela (cf. ad 4,34). *Samma,* שמע, reapse idem nomen est (*Oe.*) atque v. 4 *Samia,* שמעיה; unde veri simile videtur, *Ioel* v. 8 eundem esse atque *Ioel* v. 4. Dum autem genealogia a Ioel ad Beera v. 4-6 est explicita omnesque recenset generationes, genealogia v. 7 sq. est *summaria*, post Ioel et Samma, transmissis quatuor fere generationibus, transilit ad *Azaz,* trium illorum virorum patrem.



Utique praeter tria illa v. 7 sq. principum nomina bene multa ha-

bebat census, quae non placuit auctori excerpere. « *Ipse habitavit in Aroer usque ad Nebo et Beelmeon* ». Pronomen *ipse* grammatice refertur ad Ioel vel Beera, sensu ad totam tribum Ruben, cuius illi viri duces fuere : describuntur quippe universim fines Ruben ante exsilium, uti v. 16. 23 fines Gad et Manasse. In ipsa ripa fluminis Arnon Ios. 13,9.16 sita erat *Aroer*, in extremo limite meridionali finium Ruben. *Nebo* Num. 33,47 obiecta erat Ierichunti. *Beelmeon* seu Beth Baal Meon Ios. 13,17, nunc Mâ'in, medio fere itinere inter Arnonem et Hesebon sita erat. Aliis verbis : Rubenitarum fines pertingebant *ab Arnone ad Iordanem*. Erant hi fines accuratius describendi orientem et aquilonem versus, eam descriptionis partem mutuatur auctor ex alio documento, actis Ioel Rubenitae.

c. Bellum agareum primum 1 Par. 5,9 sq.

Fuisse Ioel virum insignem vel inde probabile apparet, quod genealogia Beerae ab ipso petatur, et quod v. 4.8 nominetur bis. Descripto igitur v. 8 eius viri nomine auctor, gressum reflectens ad tempora exsilio longe anteriora, *parenthesis instar* narrat bellum a Ioele feliciter contra Agareos gestum. Quae hic narrantur, egregie confirmantur 11,42-46, qui textus efficit, Rubenitas initio regni Davidis habuisse exercitum accurate instructum. *Agarei*, אגראים, παροίκους (גרים!), 'Αγαρηνῶν; cf. 27,31. Non est ea h. l. *generalis* appellatio Arabum ad orientem transiordanicae incolentium (*Ber.*), cum v. 19 tres diversae ab Agareis tribus recenseantur. Est fortasse generalis appellatio Ps. 82 (83), 7; הגרים. Novit Agareos *Ptolemaeus* v. 19. 2.

v. 9 « *Contra orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi [et] flumen Euphraten* ». Certe non *usque ad Euphraten* imperavit Ioel. *Hebr.* : *usque ad ingressum deserti a parte Euphratis*. In ea vero parte obiectos habuit v. 10 Agareos, extremos Arabiae Desertae accolas : ergo via illa ab Euphrate decurrebat fere Palmyram, hinc ab oriente Auranitidis et Ammonitidis pertransibat ad Rubenitas. « *Multum quippe iumentorum numerum possidebant in terra Galaad* ». Non animis bellicosis inducti sunt, ut fines orientem versus extenderent, sed gregum multitudine, qui finibus Galaaditidis non iam continebantur.

v. 10 « *In diebus autem Saul proeliati sunt contra Agareos, et interfecerunt illos, habitaveruntque [pro eis] in tabernaculis eorum in omni plaga, quae respicit ad orientem Galaad* ». *LXX·R* pro וישבו, *et habitaverunt* : ישבי, *habitantes*, ergo : *et ceciderunt per manus eorum habitatores tabernaculorum in omni plaga orientali Galaaditidis*. Cen-

seo omnino eum, qui *in diebus Saul* proeliatus est, fuisse ipsum *Ioel*. Rubenitae memoriam praeservabant viri, quo imperante non solum totos fines sibi a Moyse attributos obtinuerant, sed etiam suos fines parumper ultra eum limitem extenderant. Aliis temporibus videtur gens illa pastorum potius finium imminutionem esse passa. Recole porro insolentiam, qua 1 Reg. 11 Naas rex Ammonitarum agebat cum transiordanicis. Crediderim post cladem a *Saul* Ammonitis inflictam Rubenitas ea fruitos esse prosperitate, quae h. l. describitur. Sane eo tempore nihil sibi ab Ammonitis timebant.

2. *Gad* 1 *Par*. 5,11-16.

a. Gaditae tempore Ioel Rubenitae 1 Par. 5,11 sq.

Sunt haec continuatio actorum Ioel v. 9 sq. Uti Ios. 13, ita h. l. res transiordanicorum comparatione cisiordanicorum expediuntur *summarie*. Licet v. 11 ordiatur vocibus *filii Gad* (cf. v. 1. 3), non explicatur *genealogia* Gaditarum, ne adscribuntur quidem ea nomina filiorum Gad, quae habentur Gen. 46,16; Num. 26,15 sqq., sed perstringuntur Gaditarum res tempore Ioel Rubenitae.

v. 11 « *Filii vero Gad e regione eorum* », Rubenitarum, « *habitaverunt in terra Basan usque Selcha* ». Ios. 12,4 (5); 13,11 (cf. Deut. 3,10; CD p. 204; CJ[1] p. 269). Haec finium descriptio correspondet descriptioni finium v. 9 quae ex eadem belli narratione profecta est. Uti illa, non totos Gaditarum fines circumscribit, sed fines tantum « contra orientalem plagam ». Gaditis a Moyse non fuerat concessa *Basanitis*, sed neque eorum h. l. *proprii fines* describuntur, sed eorum tempore Ioelis aliqua *extensio*. Sc. *e regione* Rubenitarum, qui tractum deserti ad orientem *totius* Galaaditidis occupaverant, Gaditae etiam suos fines usque ad desertum extenderant. Desertum non attingebat fines Gaditis a Moyse et Iosue concessos, intercedebat quippe Ammonitis. Sed quo tempore Ammonitae a Saul in nativos suos fines erant compressi, Gaditae, ubi Ieboc, qui ad Iordanem fluit ab oriente ad occidentem, flectitur meridiem versus ad Ammonitiden, fines suos orientem versus extenderant trans flumen Ieboc usque ad *Salecha* vel Salchad, i. e. usque ad ipsa Auranitidis initia, et usque ad ipsum deserti limen, ibique *e regione* Rubenitarum habitabant. Quaerebant sane ipsi quoque pascua gregibus suis. Ille tractus pars erat *Basanitidis* ideoque iure erat *Manassaeorum*; sed eorum fines latissimi, tractus ille antea illis minime securus ob Ammonitarum, Agareorum aliorumve incursiones. Eum igitur tractum Gaditae tum obtinebant. Obtinebantne consentientibus Manassaeis? an potius Manassaei non valebant eos prohi-

bere? Gaditae utique Ioeli obtemperabant (cf. v. 12) : at nihil in textu demonstrat, Manassaeos eidem obtemperasse, v. 18 sqq. non respiciunt tempora Ioelis.

v. 12 « *Ioel in capite* ». *Hebr.* : *Ioel caput*, *LXX L* ὁ ἄρχων, i. e. caput exercitus, uti v. 7. Fuit Ioel simul princeps (v. 6) et caput exercitus tam Rubenitarum quam Gaditarum : etenim hunc Ioel omnino censeo esse Ioel Rubenitam. Certe non *Ioel primogenitus* (*LXX B*) : nullus in textu habetur vir, cuius primogenitus Ioel dici queat. « *Et Saphan secundus* » exercitus dux, similiter atque Abisai 11,21 (v. ib.). Quem censeo fuisse Gaditam, Galaaditidis principem, Basanitidi quippe praeerat alius : « *Ianai autem et Saphat in Basan* ». Ante שפט, ὁ γραμματεύς, ignorant *LXX* copulam. Verte : *et Ianai iudex in Basan,* in eo Basanitidis usque Salecha tractu, quem suum fecerant Gaditae. Auctoritate tertius, uti videtur, ibi praeerat Ianai iudicis titulo insignitus.

b. Statistica de Gad 1 Par. 5,13-16.

Clausa parenthesi v. 9-12, redit auctor ad documentum statisticum, cuius pars erant v. 7 sq. Loquitur uti v. 7 de *fratribus,* qui uti ibi ii intelliguntur, qui brevi ante exsilium vixere et quorum nomina habebantur in censu Ieroboam II. Quare pronomen *eorum* aut refer ad Beeram et socios v. 6 sq., aut melius ad viros v. 11, sed ita ut inter hos eosque fratres plus ducentis annis intercedant : sc. v. 12 sq. e diversis documentis sunt excerpta.

v. 13 « *Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum : Michael et Mosollam et Sebe et Iorai et Iachan et Zie et Heber, septem* ». Sunt hic principes septem, uti v. 7 sq. habentur principes tres; uti illi tres ex una omnes erant stirpe, ita hi septem : v. 14 « *Hi filii Abihail filii Huri filii Iara filii Galaad filii Michael filii Iesesi filii Ieddo filii Buz* ». Designatur porro is, qui uti Beera tribus principibus, ita praefuit hisce septem principibus : v. 15 « *Fratres quoque filii Abdiel filii Guni* » — sed verte : *Achi filius Abdiel filii Guni,* et perge — « *princeps domus in familiis suis* », *Hebr.* : *fuit caput patroeciae eorum.* Fuit ergo Achi caput, ראש, sicut Beera summus princeps, נשיא. Horum septem principum genealogia per octo generationes producitur, Beerae per septem generationes; trium autem virorum v. 7 sq., summaria genealogia, praeter patrem duo tantum antecessores recitantur, Achi praeter patrem antecessor unus. Uno calamo conscripti sunt v. 4-8ᵃ et v. 13-15.

Describuntur porro Gaditarum fines tempore principum v. 13-15, nam finium eorum tempore Ioel aliqua v. 11 tradebatur descriptio.

v. 16 « *Et habitaverunt in Galaad* [*et*] *in Basan* », cuius aliquam partem etiam tum obtinebant, « *et in viculis eius* », sc. Basanitidis. *Filiae* (*Hebr.*) pluribus locis dicuntur *vici* aperti (κώμαι) ab *urbibus* muratis dependentes. Sed fortasse urbibus munitis carebat ille Basanitidis tractus, pascua quae ob gregum multitudinem sua fecerant Gaditae. Pergitur « *et in cunctis suburbanis* », i. e. pascuis, « *Saron* ». Saron planities a meridie Carmeli adiacens Mari Mediterraneo. Meminit etiam Mesa rex Moab in inscriptione lin. 13 loci cuiusdam שרן : sed is locus fuit Moabitidis. Textus suggerit, nomen non unicae planitiei fuisse proprium. Ubi h. l. Saron sit quaerendum, prodit additum « *usque ad terminos* », על תוצאותם, ubi pro על legunt עד *LXX B Vulg.*, suffixum vero *eorum* refertur ad pascua. CJ[1] p. 281 monebamus תצאות, *exitus*, designare extrema termini, qui pertingat ad mare, Iordanem, locum latius patentem (desertum, vallem). Ergo Saron h. l. designat extrema pascua orientem versus, quae mergebantur in desertum : cf. v. 9.

3. *Transiordanici universim* 1 *Par.* 5,17-22.

a. Statistica de transiordanicis 1 Par. 5,17 sq.

v. 17 « *Omnes hi numerati sunt* », in censum relati sunt, « *in diebus Ioathan regis Iuda et in diebus Ieroboam regis Israel* ». Ioathan regnum auspicatus est pluribus annis *post* mortem Ieroboam II, honoris causa scribitur *primus*. Sed quomodo Ioathan rex Iuda numerare potuit transiordanicos? Gratuito *Ber.*, *Keil* fingunt, Ioathan aliquando eatenus imperasse transiordanicis, ut etiam censum populi instituere potuerit. Suggesserit aliquis, verba *in diebus Ioathan* adscripta esse ab aliquo, ne videretur citari documentum plane non iudaeum, census Ieroboam : sed nonne citantur « libri dierum regum Israel », fons item non iudaeus? Auctor iudaeus vix credendus est ex ipso censu Ieroboam II suam hausisse narrationem. Eiusmodi documentum non erat publicum, eius non exarabantur apographa, erat certe accessu difficile auctori iudaeo. E textu igitur infero Ieroboam II habuisse censum transiordanicorum, et paulo post Ioathan censum cisiordanicorum. E censu Ieroboam II extraxit scriptor fortasse israeliticus quaedam, quae pervenerunt in manus scriptoris iudaei, qui eadem auxit excerptis e censu Ioathan, qui sibi erat accessus. Hoc scriptum apte vocabatur census Ioathan et Ieroboam et, quae ex illo citabantur, vere dicebantur in censum relata esse in diebus Ioathan et in diebus Ieroboam.

Dicuntur *omnes hi* in censum esse relati, non *soli hi,* sc. Rubenitae et Gaditae, nam v. 18 prodit etiam Manassaeos in censum esse relatos, v. 18 « *Filii Ruben et Gad et dimidiae tribus Manasse, viri bellatores. scuta portantes et gladios et tendentes arcum, eruditique ad proelia, quadraginta quatuor millia et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam* ». Cum v. 9-12 et v. 13-18 e diversis documentis deprompta sint, non efficit v. 18 Manassaeos in bello v. 10 contra Agareos dimicasse, neque tum fuisse Rubenitis et Gaditis foedere iunctos. Id textus non habet, neque prodit, qui fuerint tempore Ioel summi duces Manassaeorum. Neque tradit v. 18, quot bellatores Ioel produxerit contra Agareos, sed summam tradit bellatorum transiordanicorum regnante Ieroboam II. Quare etiam bellum v. 19-22 diversum est a bello v. 10, ubi non commemorantur Ituraei etc. (v. 19). Neque de eodem utrobique bello sermonem esse, efficit affinitas quaedam descriptionum. Eiusmodi pastorum contra pastores certamina consuevere esse similia inter se : unus vincit, alter fugit; si non fugit, trucidatur; victor habitat in tabernaculis victi.

b. Bellum Agareum posterius 1 Par. 5,19-22.

Sensus obvius is est, gestum esse hoc bellum quo tempore transiordanici erant 44,760, ergo regnante fere Ieroboam II, qui reapse 4 Reg. 14,25 feliciter contra hostes omnes dimicavit. Neque tamen affirmantur 44,760 bellatores ad bellum Agareum processisse, quod perquam improbabile est.

v. 19 « *Dimicaverunt contra Agareos. Ituraei vero et Naphis et Nodab* » v. 20 « *praebuerunt eis auxilium* ». Fuerit *Nodab*, similiter atque *Itur* et *Naphis* (Gen. 25,15), tribus aliqua ex Ismaele derivata. Tres vero illae tribus secundum reliquos textus fuere sociae non Hebraeorum, sed Agareorum. ויעזרו עליהם, *et auxilium contra eos acceperunt* (cf. 2 Par. 26,15), sc. a Deo : insueta expressio ad exprimendum divinum auxilium Hebraeis praestitum. *LXXL* ויזעקו, *et clamaverunt super eos*, lectio orta fortasse imitatione vocis זעקו v. 20[b]. *LXX R* ויחזקו, *et praevaluerunt super eos*, lectio certe perspicua. « *Traditique sunt in manus eorum Agarei et universi qui fuerant cum eis* », certe illae tres tribus, « *quia Deum invocaverunt, cum proeliarentur, et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum* », fisi essent ei. Nota affinitatem huius facti cum facto Iabes 4,10. v. 21 « *Ceperuntque* [*omnia*], *quae possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, et asinos duo millia, et animas hominum centum millia* », plerosque sane mulieres et in-

fantes. v. 22 « *Vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini* ». *Hebr.* : *quia a Deo bellum*, « eo adiuvante factum » (Mar.) : felix proelii eventus adscribitur Deo cum fiducia invocato. « *Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem* », captivitatem assyram.

4. Manassaei transiordanici 1 Par. 5,23 sq.

Traduntur eorum fines v. 23 ducumque nomina v. 24, similiter atque v. 7 sq. 13-16. v. 23 « *Filii quoque dimidiae tribus Manasse possederunt terram a [finibus] Basan* », totam Basanitiden excepta parte, quae v. 16 Gaditis cesserat, « *usque Baal Hermon et Sanir et montem Hermon* ». Iud. 3,3 *Baal Hermon* vocatur *mons*. Deut. 3,9 *Sanir* est nomen, quo Amorrhaei vocabant ipsum *Hermon*. Num igitur h. l. scribuntur tria nomina unius eiusdemque montis? Potuere Baal, Sanir, Hermon primitus esse nomina trium *cacuminum* : hi totos illos montes ab uno cacumine appellaverint, alii ab alio (cf. *Ber.*, *Net.*). Neque repugno concedere, scribi v. 23 tria nomina unius montis, uti v. 26 scribuntur duo nomina unius regis (Phul, Theglathphalasar). Nonne uni rei nomini adscribimus *in parenthesi* nomen unum vel plura, exprimentia eandem adamussim rem? Iudaei *parentheses* non adhibebant, quare chronista duo vel tria eiusdem rei nomina ex ordine describit.

« *Ingens [quippe] numerus erat* ». *Hebr.* simpliciter : *ipsi multiplicati sunt*. Perperam adscribitur *quippe* : non quia multi erant, latos hos fines obtinuere, minus tamen latos (v. 16) finibus sibi a Moyse attributis : sed verba describunt *plebem*, non numero aliquo determinato, sed generali expressione, inde v. 24 tradit nomina *principum*. Erant duo regna ad radices montis Hermon sita, Gessur et Machati, quae ambo tempore Davidis florebant : 2 Reg. 13,37 sq. ; 15,8 ; 1 Par. 3,2 ; 19,6. Vel hinc consequitur, descriptionem v. 23 non respicere tempora Saul vel Ioel, sed tempus posterius.

Uti non describebantur ante v. 10 nomina filiorum Gad Gen. 46,16 ; Num. 26,15 sqq., ita neque h. l. habentur aliqua nominum filiorum Manasse Num. 26,29 sqq. Qui omnes recensentur 7,14-19. Traduntur h. l. nomina principum e censu Ieroboam II deprompta. v. 24 « *Et hi fuerunt principes domus cognationis* », patroeciarum, « *eorum : Epher et Iesi et Eliel et Ezriel et Ieremia et Odoia et Iediel, viri fortissimi [et potentes] et nominati duces in familiis suis* ». Ante *Epher* habet copulam *Hebr.* solus : ea aut delenda aut adstruendum aliquod nomen vel aliqua nomina ante Epher excidisse. Non nominatur *supremus*

dux, ut Beera v. 6, Achi v. 15. Fortasse apud Manassaeos tum erant tot summi duces, quot capita patroeciarum, et tempore quidem ipsius Ieroboam II. Fieri enim potuit, ut hic aut non valuerit Manassaeos, libertatis amantes et per latissimam regionem sparsos, ad arctiorem revocare unitatem, aut id noluerit efficere, quod facilius speraret se imperaturum divisis quam sub unico capite unitis. Neque traditur septem virorum v. 24 genealogia, uti v. 8. 14 : qui fortasse non haberent *communem* omnes neque *satis illustrem* genealogiam.

5. *Clausula* 1 *Par.* 5,25 sq.

Haec non est e censu Ieroboam II deprompta, neque subiectum sunt Manassaei v. 23 sq., sed transiordanici omnes. v. 25 « *Reliquerunt autem Deum patrum suorum* » (cf. *Hebr.*), « *et fornicati sunt post deos populorum terrae, quos abstulit Deus coram eis* », v. 26 « *et excitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Theglathphalnasar regis Assur* ». Constat (v. ad 4 Reg. 15,19. 29) *eundem* esse Phul qui Theglathphalasar. Auctor 4 Reg. 15 non affirmat esse *diversos,* licet fortasse ignoraverit esse eundem, et nomina e diversis fontibus sit mutuatus. Noster auctor nomina describit, *sicut* 4 Reg. 15 habentur, neque plus neque aliud dicere velle demonstratur, quam quae ibi dicuntur. Imo eum alterutrum regem adscribere *veluti parenthetice*, infero e repetito titulo *regis Assur,* cuius loco in continua narratione potius scribendum erat semel *regum Assur*, et e numero singulari verbi *et traduxit eos.*

« *Et transtulit Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse et adduxit eos in Lahela et in Habor et Ara et fluvium Gozan, usque ad diem hanc* ». Tempore scriptoris nondum inde redierant. Omnia loca haec erant in *Assyria*, i. e. in imperio Assyriorum, non in Assyria stricte dicta : 4 Reg. 15,29 ; 17,6 ; 18,11. *Hela*, dempto ל directionis, חלח : loci situm ignoramus, fortasse uti quae sequuntur nomen fluvii. *Habor*, חבור, Chaboras flumen notissimum a septentrione influens in Euphraten. *Ara*, הרא, in locis parallelis post Chabor non legitur, videtur aut eliminandum tamquam corruptio sequentis נהר, aut accipiendum pro corruptione expressionis הרי מדי, *montes Mediae,* vel ערי מדי, *urbes Mediae* (ib.). *Gozan,* גוזן, merito comparatur urbi Guzana, quae pluries in inscriptionibus cuneiformibus habetur (*E. Schrader* : Die Keilinschriften u. das A. T.; citamus translationem anglicam O. C. Whitehouse : The cuneiform inscriptions and the O. T., London 1885-8, p. 275), semel in elencho geographico II Rowl. 53 una cum Nisibi,

unde creditur fuisse urbs Mesopotamiae superioris. Hic agitur de eius urbis fluvio. Eadem urbs 4 Reg. 19,12; Is. 37,12 una scribitur cum Reseph et Haran, item Mesopotamiae superioris urbibus. Videntur igitur loca omnia v. 26 fuisse in *Mesopotamia superiore,* loca eadem atque locis parallelis, sc. Chalach (fluvius?), Chaboras (fluvius), fluvius urbis Gozan, et montes Mediae.

IV. GENEALOGIA LEVI 1 PAR. 6.

De Levi tradit genealogiarum collector tria documenta : genealogiam Iosedec pontificis v. 1-15; conspectum cognationum Levi v. 16-53; elenchum urbium a Iosue concessarum Levi v. 54-81.

1. *Genealogia Iosedec pontificis* 1 *Par.* 6,1-15.

Arg. — Traditur genealogia Iosedec pontificis, qui ductus est in captivitatem, incompleta quidem sed plane sufficiens ad demonstrandum, apud Iudaeos post exsilium perseverasse legitimum pontificatum.

Documentum hoc *non est elenchus pontificum* inde ab Aaron :

1. quia elenchus pontificum, magis quam genealogia, debet esse *completus*. Genealogiae possunt omittere membra aliqua, dummodo ea quae traduntur membra sufficiant ad certo demonstrandam originem eius, qui in genealogia recentissimus est. Elenchus, quantum fieri potest, debet tradi completus. Atqui v. 1-15 omittuntur pontifices saltem quatuor plane insignes, quos oppido norat chronista : *Ioiada* aequalis regis Ioas (4 Reg. 11; 2 Par. 22), *Azarias* aequalis Oziae (2 Par. 26,17), *Urias* aequalis Achaz (4 Reg. 16,10), *Azarias* aequalis Ezechiae (2 Par. 31,10. 13).

Habentur v. 9-13 *octo* nomina a Salomone ad Iosiam : atqui haec octo nomina certe non sunt elenchus *completus* pontificum, qui fuere illis c. 300 annis. Pontifices eius epochae *Ios.* X. 8. 6 recitat non octo, sed quatuordecim, nomina praeter Sellum omnia a nostro elencho diversa : adest Urias, sed desunt Amarias, Ioiada, Azarias, quos tamen in historiae narratione habet idem Ios. IX. 1. 1; 7. 1; 10. 4. Fide parum dignus est eius elenchus, cum etiam affirmet dignitatem pontificiam semper transmissam esse a patre ad filium. Atqui id pro tot saeculorum intervallo haud est probabile, refutaturque ab ipso nostro elencho, qui inter progenitores Iosedec plures ignorat insignes pontifices. Credendus est in templo salomonico asservatus esse elenchus pontificum omnium, sed is cum aliis documentis pluribus creden-

dus est excidio urbis esse absorptus. Chronista, scriptor religiosus, non tradit nisi ea quae habet documenta probata; Iosephus, auctor longe minus religiosus, piscatus est documentum non satis probatum.

2. Documentum v. 1-15 idem est atque documentum 1 Esdr. 7,1 sqq., quod non est elenchus pontificum, cum Esdras non fuerit pontifex, sed est *genealogia* Esdrae. Quae genealogia ignorat septem nomina duobus Sadoc interiecta, cum inter Esdram et Sadoc Davidis aequalem certe intercesserint plures quam quatuor generationes : ergo illa septem nomina aut ab auctore illius genealogiae fuere omissa aut, quod veri similius videtur, ib. intercidere, scriba aliquo transiliente a primo Sadoc ad secundum Sadoc.

3. Textus v. 1-15 nihil habet, quod prodat tradi elenchum pontificum. Vox *genuit* dicit genealogiam tantum.

Redactor hoc primum de Levi documentum, qui eius est mos, orditur ab enumeratione filiorum Levi Gen. 46,11; Ex. 6,16; etenim Num. 26, cui alias presse adhaeret redactor, de Levi silet. *Cap. VI* v. 1 (5, 27) « *Filii Levi : Gersom, Caath et Merari* ». Sed ipsum etiam documentum, quod recitat redactor, ab iisdem ordiebatur, demonstrabat Iosedecum non solum esse aaronitam, sed levitam. Redactor certe non sentiebat, quod placuit recentioribus quibusdam, Levi et Aaron fuisse primitus duas stirpes distinctas, quae postea modo aliquo nobis ignoto coaluerint in unum. Omissis porro Gersom et Merari transit redactor ad Caath-Amram : v. 2 (5,28) « *Filii Caath: Amram, Isaar, Hebron et Oziel* ». Cf. Ex. 6,18; Num. 3,19; 1 Par. 23,12. v. 3 (5,29) « *Filii Amram : Aaron, Moyses et Maria* ». Cf. Ex. 6,20. « *Filii Aaron : Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar* ». Cf. Ex. 6,23; Num. 3,2; 1 Par. 24,1. Nihil adscribitur de interitu Nadab et Abiu, nihil de stirpe Ithamar, sed pergitur ad Eleazaridas : v. 4 (5,30) « *Eleazar genuit Phinees* », — Ex. 6,25; Num. 25,7; Iud. 20,28 — « *et Phinees genuit Abisue* », v. 5 (5,31) « *Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi* », v. 6 (5,32) « *Ozi genuit Zaraiam, et Zaraias genuit Meraioth* », v. 7 (5,33) « *porro Meraioth genuit Amariam, et Amarias genuit Achitob* » (18,16), diversum ab altero Achitob Ithamaride 1 Reg. 14, 3; 22,9 sqq., v. 8 (5,34) « *Achitob genuit Sadoc* », aequalem Davidis et Salomonis, « *et Sadoc genuit Achimaas* », eundem qui 2 Reg. 15,27. 36, et fortasse eundem qui 3 Reg. 4,15. v. 9 (5,35) « *Achimaas genuit Azariam* », qui 3 Reg. 4,2 filius Sadoc appellatur. « *Azarias genuit Iohanan* », v. 10 (5,36) « *Iohanan genuit Azariam. Ipse est, qui sacerdotio functus est in domo, quam aedificavit Salomon in Ierusalem* ». *Vulg.*, pro *sacerdos* vertens *qui sacerdotio functus est*, pro-

fitetur se *domum* intelligere *templum* : is sensus unus admitti debet; non palatium (*Net.*). Sententiae subiectum est *Azarias,* non *Iohanan*, quem *Malv.*, *Calm.* eundem esse pronuntiant cum Ioiada pontifice, aequali regis Ioas. Azarias hic non est *Azarias aequalis regis Oziae* 2 Par. 26,17. 20, sed est *Azarias filius seu nepos Sadoc* 3 Reg. 4,2. Etenim virum *sacerdotio functum esse in templo a Salomone aedificato*, alium sensum non habet nisi *primum* functum esse, functum esse in ipsa solemnitate dedicationis templi 3 Reg. 8. Sc. Sadoc utique pontifex erat, et novi sanctuarii pontifex specialiter est ordinatus 1 Par. 29,22 : sed non perseveravit superstes tot annis, qui usque ad templi dedicationem effluxere; ipso tum et filio Achimaas e vivis sublatis, pontificatu fungebatur Azarias. Verum, si hoc, concedendum erit *Ber.*, sententiam *ipse est, qui etc.* non referri ad *Azariam iuniorem* v. 10, sed ad *Azariam seniorem* v. 9 : in dedicatione templi pontificatu fungebatur Sadoci non nepotis nepos, sed nepos. Aut sententia illa e v. 9 delapsa est in v. 10, aut nomina v. 9 sq. Iohanan et Azarias errore in textum irrepserunt suntque expungenda.

v. 11 (5,37) « *Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Achitob* ». v. 12 (5,38) « *Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum* ». Cf. 1 Esdr. 7,2. v. 13 (5,39) « *Sellum genuit Helciam* », aequalem Iosiae regis 4 Reg. 22,8; 2 Par. 34,9, « *et Helcias genuit Azariam* ». v. 14 (5,40) « *Azarias genuit Saraiam* », qui interfectus est a Nabuchodonosor, « *et Saraias genuit Iosedec* » (cf. Agg. 1,1; 1 Esdr. 3,2; 2 Esdr. 12,26 etc.). v. 15 (5,41) « *Porro Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam et Ierusalem per manus Nabuchodonosor* ». Cui filius natus est in exsilio Iosua 1 Esdr. 3,2; 5,2, primus post reditum de exsilio pontifex.

2. *Conspectus cognationum Levi* 1 *Par.* 6,16-53.

Arg. — Inserit porro redactor documentum, quod *omnes Levitarum cognationes*, quales a Davide recensitae fuerant, primum secundum tres stirpes Gersom, Caath, Merari describebat, ac dein distribuebat in cantores, ministros sanctuariorum tam gabaonensis quam sionensis, ianitores. Sed hoc documentum in textu iam conspicitur initio et in fine *mutilatum*, habens solummodo maiorem partem tractatus de cantoribus et initium descriptionis ministrorum sacrorum Gabaone. — Igitur post generale exordium et lacunam aliquam recitatur ordo aliquis *cantorum*, qui fuit sub Davide, habens 18 choros Caathitarum, 6 choros Gersomitarum et 6 choros Meraritarum, choros levitarum

omnino 30. Hunc ordinem *reformavit* David ita, ut primum eiecerit 4 principes (Aminadab, Uriam, Ioah = Ioel, Asaiam), et Sauli substituerit Ioelem Samuelis filium; singulis classibus praefecerit cum suo choro prophetam (Heman, Asaph, Ethan seu Iduthun). Chororum Caathitarum ordinem invertit, ut primi essent novissimi et novissimi primi, utque chori cognationis Samuel et ordine et auctoritate essent primi. 5, qui supererant chororum Gersom-Lobni, ordinem item invertit, eisque praeter Asaph addidit et fere omnes anteposuit 6 choros, fortasse stirpis Gersom-Semei. 6 choros Merari-Moholi eiecit omnes, et Ethano attribuit choros 9 de Merari-Musi. — A cantoribus progressus ad *ministros sacros,* auctor primum agit de ministris sacris, qui erant apud sanctuarium in *Gabaon,* traditque genealogiam Sadoc, qui ib. sacris praeerat. Reliqua huius conspectus desunt.

Conspectus cognationum Levi orditur v.16 (1) iisdem atque v. 1 nominibus trium filiorum Levi : « *Filii* [*ergo*] *Levi : Gersom, Caath et Merari* ». Verba expungenda neque v. 1 neque v. 16 : leguntur nativo suo loco tam initio documenti v. 1-15 quam initio documenti v. 16 sqq. Repetita ea verba produnt haberi duo diversa de Levitis documenta. Adduntur porro verbotenus ea, quae Ex. 6,17-19 et Num. 3,18-20 habentur de *nepotibus* Levi : v. 17 (2) « *Et haec nomina filiorum Gersom : Lobni et Semei* ». v. 18 (3) « *Filii Caath : Amram et Isaar et Hebron et Oziel* ». v. 19 (4) « *Filii Merari : Moholi et Musi* ».

Sequens incisum « *Hae autem cognationes Levi secundum familias eorum* », idem habetur Ex. 6,19[b] ut *clausula* praecedentium, ergo eorum quae h. l. habentur v. 17-19[a]; sed h. l. *praefixam habens copulam* est *inscriptio* sequentium. *Scriptor profitetur, se deinceps descripturum esse omnes patroecias, quae spectant ad singulas stirpes v. 17-19[a] enumeratas.*

Sed longe pauciora promuntur v. 20-53 iis, quae v. 19[b] promiserat.

1. Agit v. 20-47 de solis *cantoribus*, v. 48-53 est initium tantum tractatus de *ministris sacris,* nihil habetur de *ianitoribus*, nihil de illa levitarum classe 23,4, de *scribis* et *iudicibus*. Habetur ergo v. 20-53 solum pars eorum, quae scriptor v. 19[b] annuntiabat et sine dubio post v. 19 describebat.

2. Sermo de *cantoribus* orditur *abrupte*. Debuit scriptor post v. 19 affirmare se primum agere de cantoribus, debuit scribere *inscriptionem* affinem inscriptionis, qua v. 48 orditur sermonem de ministris sacris. Cum v. 31 affirmet choros esse a Davide *reformatos,* debuit fere in inscriptione vel post inscriptionem agere de chororum prima institutione. In textu, qualis nunc est, ante v. 31 nihil prorsus est,

quod prodat agi de cantoribus. De iisdem agere etiam v. 20-30, diligens interpres perspicit tandem e comparatis nominibus propriis, quorum maior pars eadem est v. 20-30 et v. 31-47. Non ita scribit sapiens auctor : auctoris textus habetur mutilus.

3. Sermonem de *ministris sacris* orditur v. 48 scriptor generali sententia annuntians, se agere de ministris sacris *Gabaone* : ergo idem acturus erat de ministris sacris *Sione*. Id si non fecit, non stetit promissis v. 19ᵇ, se descripturum patroecias omnes. v. 49-53 tradit genealogiam *Sadoc*, traditurus item erat genealogiam *Abiathar* et *Achimelech*. Explicatis genealogiis pontificum, explicaturus erat familias *sacerdotum* tam Eleazaridarum quam Ithamaridarum, qui 24,5 reperiebantur tam Gabaone quam Sione, familias *simplicium levitarum*, qui in utroque sanctuario ministrabant. Haec omnia ut explicarentur, exigebat promissio v. 19ᵇ edita, et dispositio materiae quae e v. 48 sq. perspicitur.

Ergo documentum v. 20-53 est mancum initio et in fine. Rationem, ob quam mutilatum sit, v. p. 6 sqq.

a. Ordines cantorum duo 1 Par. 6,20-47.

Pericopae v. 20-30 et v. 31-47 sunt de eadem re: agitur primum v. 20-30 de stirpe Gersom-Lobni, de stirpe Caath-Isaar, de stirpe Merari-Moholi; deinde v. 31-47 de stirpe Caath-Isaar, de stirpe Gersom, de stirpe Merari-Musi. Neque dicas, v. 20-30 successione *genealogica* recitari eas stirpes, quae v. 31-47 *alia successione* a Davide conspiciuntur esse distributae : v. 31-47 non sola nominum successione differt a v. 20-30, apud Caathitas nomina aliqua omissa, apud Meraritas omnia, apud Gersomitas et Meraritas plura nomina recens addita. v. 20-30 describit *ordinem quemdam cantorum priorem*, et v. 31-47 describit eundem *ordinem a Davide reformatum*.

Virorum v. 20-47 nomina designant choros cantorum. Id docet comparatum cap. 25, quod ratione plane analoga explicat ordinem cantorum Nathinaeorum unum priorem, alterum a Davide reformatum, recitatque 24 choros duodenorum cantorum. Unde coniecerim, choros item levitarum v. 20-47, aut certe choros reformatos v. 31-47, fuisse item *duodenorum cantorum*. Habentur porro ex illa reformatione davidica chori 37 seu, additis Heman, Asaph et Ethan qui suos singuli censendi sunt habuisse choros, chori 40. Quibuscum si conferas 23,5 summam 4000 levitarum cantorum, habebis 40 *sectiones* centenorum virorum a triginta annis et supra, cum familiis suis; singulae sectiones efficiebant *chorum* unum. Neque tamen nobis affirmare in

animo est, sectiones illas, quo tempore choros reformabat David, fuisse aequales inter se.

Cum textus v. 20-47 sit difficilior, praemittimus summariam eiusdem expositionem, quam excipit expositio uberior. A certis procedimus ad minus certa, ad coniecturas, quibus in materia tam subtili nequaquam carere potest interpres : sunt eae quippe persaepe unica via veritatis, si non demonstrandae, at saltem divinandae.

α. Summaria textus v. 20-47 expositio.

Ordo cantorum anterior 1 Par. 6,20-30.

Communem indolem habent *tria articulorum initia :*

v. 20 לגרשום לבני בנו,
v. 22 בני קהת,
v. 29 בני מררי מחלי.

Clara secundum textum et contextum expressio v. 29 : *Filii Merari-Moholi.* Non de tota stirpe Merari agunt v. 29 sq., sed de solo ramo Moholi, in cuius locum v. 47 subintrat ramus Merari-Musi, mutatis nominibus chororum omnibus. Eodem porro sensu v. 20 interpretare expressionem *Quoad Gersom-Lobni, filium eius.* Facillime nomini *Gersom* accrescebat vox *filium eius,* quam nomina deinceps omnia adscriptam habent; potuit eadem etiam nomini *Lobni* a primis adscribi. v. 43 *Gersomo* non adscribitur *Lobni* : sc. accedunt v. 39-43 nomina nova omnino sex, quae non videntur aut non omnia videntur fuisse Lobnitarum, sed Semeitarum. Cur vero v. 22 nomen *Caath* non habet adscriptum *Isaar*, uti v. 38? Quia, qui v. 22-28 recensentur, sunt Isaaritae omnes praeter unum v. 22 Aminadab : ob quem unum v. 22 merito non scribitur *Caath-Isaar*, quod quidem habent *LXX L*, scribitur autem v. 38.

v. 20 (5) *Quoad « Gersom-Lobni (filius eius) : Iahath filius eius, Zamma filius eius »*, v. 21 (6) *« Ioah filius eius, Addo filius eius, Zara filius eius, Iethrai filius eius ». Iahath*, יחת, idem habetur v. 43, ubi Vulg. scribit Ieth; cf. 23,11. *Zamma*, זמה, habetur v. 42, et *Zara*, זרח, v. 41. Cum v. 33-47 plurima eorum nominum repetantur, quae v. 20-30 habentur, merito interpretes censent, *Addo*, עדו, eundem esse qui v. 41 adiecto nomine divino scribatur עדיה, Adaia, et *Iethrai*, יתרי, eundem esse atque v. 41 אתני, Athanai.

v. 22 (7) *« Filii Caath : Aminadab filius eius, Core filius eius, Asir filius eius »*, v. 23 (8) *« Elcana filius eius, Abiasaph filius eius, Asir filius eius »*. Nusquam in genealogiis inter Caath-Isaar et Core inter-

cedit *Aminadab* aliquis. Gratuito censet *Vat.* Aminadab esse cognomen Isaar, et *Ber.* nomen Isaar esse deformatum in Aminadab. Plura de Aminadab v. p. 138 sq. — Suggerit *Calm.* delendum esse alterutrum Asir. Reapse, cum v. 37, ubi eadem nomina repetuntur, desideretur prior Asir, hunc expungo. Qui videtur irrepsisse intuitu Ex. 6,24, ubi Asir *ante* Elcana I scribitur : at neutro loco demonstrari possunt filii Core describi ordine primogeniturae; ergo Ex. 6,24 non efficit priorem illum Asir h. l. esse scribendum, v. 37 potius suggerit esse delendum. Ex. 6,21 habet Isaar, praeter Core, etiam filios Nepheg et Zechri, quorum posteri non videntur cantoribus esse accensiti. De Isaaritis non cantoribus cf. 1 Par. 23,18; 24,22 sq.

v. 24 (9) « *Thahath filius eius, Uriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius* ». *Thahath*, תחת, habes etiam v. 37. Nomen *Ozias* cum nomine Azarias (v. 36) constanter commutatur. *Uriel* censeo esse principem Caathitarum, de quo 15,5. 11. De *Saul* v. p. 139 sq. — Habes v. 22- 25 *Coritas octo.*

Porro Elcanae I recensentur filii : v. 25 (10) *Et* (*Hebr. LXX*) « *filii Elcana : Amasai et Achimoth* ». עמשי, אחימות, iidem qui v. 35, ubi tamen pro altero מחת, Mahath, sed *LXX L* Ἀμιώθ. v. 26 (11) « [*et*] *Elcana. Filii Elcana* » : sensus planus : hic Elcana II est tertius filius Elcanae I, quae sequuntur nomina sunt nomina filiorum Elcanae II. Certe corrupta lectio *Kethib* : *Elcana filius eius, Elcana*, post quod alterum Elcana iterum scribendum fuit *filius eius*. Lectio *Keri* certe exigit eam copulam, quam Vulg. habet. *LXX R* ignorant alterum Elcana, habent solum *Elcana filius eius*. Sed cuius viri filius? utrum Amasai an Achimoth? Probabilius filius Core. Sed, supposita lectione LXX R, cur, quaeso, inseritur illa parenthesis : « filii Elcanae : Amasai et Achimoth »? et cur ea non inseritur v. 23, immediate post Elcanae I nomen? Nobis, cur filii Elcanae I non illico nomini Elcanae I adscribantur, ratio haec est, quia Elcana I cum viris v. 22-24 sunt *una sectio* cantorum coritarum, tres filii Elcanae I sunt *altera sectio*, filii Elcanae II v. 26 sq. sunt *tertia sectio*. — *LXX L* profitentur lectionem specie valde planam : *Filii Elcana* (*I*) : *Amasai filius eius, Achimoth filius eius, Elcana filius eius.* Omnes viri v. 25-27 sunt una sectio filiorum Elcanae I, habentur omnino sectiones non tres, sed duae. Verum non probatur critice illud *filius eius* adscriptum nominibus Amasai et Achimoth. — Habes v. 25. 26ª *tres filios Core per Elcanam I*; praeferenda lectio Vulg. (et Keri).

Sequitur tertia classis : « *Filii Elcana* » (*II*) : « *Sophai filius eius, Nahath filius eius* », v. 27 (12) « *Eliab filius eius, Ieroham filius eius, Elcana filius eius* », ubi omnino cum *LXX L* adscribendum *Samuel*

filius eius, quod incisum requiritur ad nexum cum v. 28 efficiendum, atque facile excidebat cum ob similitudinem primarum v. 28 vocum, tum ob gravem textus v. 28 deformationem. *Sophai*, צופי, v. 35 et 1 Reg. 1,1 צוף, Suph. *Nahath*, נחת, v. 35 תוח et 1 Reg. 1,1 תחו, Thohu. *Eliab*, v. 34 Eliel et 1 Reg. 1,1 Eliu אליהוא. *Ieròham*, ירחם, item v. 34 et 1 Reg. 1,1. Habes v. 26 sq. verbotenus *genealogiam Samuelis* eandem atque 1 Reg. 1,1, quae desinit in « Suph Ephrathaeum ».

v. 28 (13) « *Filii Samuel : primogenitus Vasseni et Abia* ». Textus evidenter mancus. Pro ושני ואביה scribendum cum *Keri LXX L* יואל ושני אביה, *primogenitus Ioel et secundus Abia*, verbotenus uti 1 Reg. 8,2. Ceterum textus eo, quod *primogenitum* et *secundum* efferat, neque adscriptum habeat *filius eius*, differt a v. 20-27. Filii Samuelis non adscribuntur tamquam quarta aliqua sectio cantorum, neque ut membra tertiae classis, cum minime constet Abiam accensitum esse cantoribus, sed ideo quia de Ioele porro habendus est sermo : quo confirmatur, Ioelem v. 36 non alium esse quam Samuelis primogenitum.

Veniunt tandem Meraritae cantores : v. 29 (14) « *Filii autem Merari-Moholi : Lobni filius eius* », homonymus Gersomitae v. 17, « *Semei filius eius, Oza filius eius* », v. 30 (15) « *Sammaa filius eius, Haggia filius eius, Asaia filius eius* ». עשיה, quem coniicio eundem esse atque 15,6. 11 *Asaiam*, principem meraritam.

Ordo cantorum a Davide reformatus 1 *Par.* 6,31-47.

Quo loco nos primum examinare oportet, quem sensum v. 20-47 habeat vox *filius*. Porro habentur etiam cap. 25 *filii* Asaph, Iduthun et Heman, Nathinaei tribui Beniamin accensiti, origine Gabaonitae : qui evidenter non erant eorum virorum filii *sensu originis* seu *sensu genealogico*. Unde colligo, *in elenchis cantorum vocem filius certe habere sensum hierarchicum* ; quo sensu v. g. erat filius Asaph, quicunque in choris Gersomitarum reformatis Asapho archimusico suberat. Id efficit perfecta analogia inter 6,20-30.31-47 et inter cap. 25.

Num ideo, uti cap. 25, ita etiam 6,20-47 excluditur *sensus originis?* Id pro v. 20-30 negandum. Nomina Core, Elcana I, Abiasaph, Asir secundum Ex. 6,24 habent nexum genealogicum, uti secundum 1 Reg. 1,1 nomina v. 26-28; v. 25.26ᵃ obvium sensum habent genealogicum, distinguunt filios Elcanae I a reliquis filiis Core et a filiis Elcana II. Haec sufficiunt, ut voci *filius* v. 20-30 tribuamus sensum *simul hierarchicum et genealogicum*; sed sensus hierarchicus praevalet, quia ordo cantorum v. 20-30 opponitur alteri ordini v. 31-47.

Sed vox בנו, *filius eius*, sensu etiam genealogico accepta, non eandem semper habet constructionem, non exigit ut, quicunque filius

scribitur, fuerit filius eius viri, qui immediate ante illum scribitur. Constructio aeque facilis est ea, quae vocem בני refert ad eum unum virum (cf. 7,20 sq.), qui eius seriei est *primus* : v. 20 sq. ad solum Gersom-Lobni, v. 22-24 ad solum Caath, v. 29 sq. ad solum Merari-Moholi. Ergo : Filii Gersom-Lobni Ieth, Zamma, Ioah, Addo, Zara, Iethrai; et similiter quoad alios. Quo minime excluditur aliqua, imo fortasse plura seriei nomina etiam successivarum generationum esse; sed id h. l. non *exprimitur* voce בני, sed ex aliis textibus comparatis eruitur. Multo minus excluditur, unum alterumve eorum virorum fuisse filium Gersom-Lobni, Caath, Merari-Moholi *hierarchice tantum*, accensitum esse illis choris quin illis necteretur genealogice.

Dicendum porro de voce בן, *filius*, v. 31-47. Ubi aliqui post *LXX* perperam sibi deprehendere visi sunt *genealogias Heman, Asaph et Ethan*. At rationem, quaeso, mihi demonstres, cur horum trium archimusicorum genealogiae tam enucleate explicentur, imo per plura membra quam ipsae genealogiae Saul et David. Praeterea est haec interpretatio plane intolerabilis : distinguebantur v. 22-27 *tres sectiones* cantorum caathitarum; quomodo potuit Asaph esse filius omnium earum trium sectionum, filius simul Amasai, Achimoth et Elcanae II, qui sibi ib. ut *fratres* coordinantur? Quidquid obieceris de Iudaeorum more confundendae generationis mediatae et immediatae, non potuit neque apud Iudaeos unus idemque vir scribi *trium ex aequo sectionum filius*, quae diserte ab invicem ratione *originis* secernebantur.

Construe igitur v. g. v. 39 sqq. : *Asaph filius Barachiae : filius Samaa, filius Michael, filius Basaia, filius Melchia, filius Iethrai, filius Zara, filius Addo etc.* Hi singuli viri fuere *ex aequo filii Asaph*. Quem eundem sensum in *Vulg.* reperies, si vocem *filii* interpreteris non gen. sing., sed nom. plur. suffectum iure merito in locum nom. sing. *filius*. Ita vertere oportet, quia aliter verti nequit. Neque ullam grammatica movet difficultatem, dummodo adstruas *oppositionem* non inter singula *virorum nomina*, ut v. g. *Zara* dicatur filius *Iethrai*, sed inter voces v. 33 *praesides* et *filii*, quae toti elencho inscribuntur, ut *singuli viri* dicantur *filius* in oppositione ad *Asaph*, qui dicitur praeses. Ergo praeses Asaph, filius Zara — sensus omnino facilis.

Sensum pure genealogicum habent articulorum capita et v. 31-47 etiam extrema. Gersom-Lobni, Caath, Merari-Moholi non sunt chori ab aliis choris distincti, sed exprimunt communem originem eorum qui adscribuntur. Heman est vere filius Ioel, Asaph filius Barachiae, Ethan filius Cusi (cf. 15,17) : non erant aliqui chori Barachiae et Cusi. Extremo choro Hemanitarum, qui est Core, adscribitur « filius Isaar filii Caath filii Levi filii Israel ». Similiter « Ieth filius Gersom filii Levi », et « Moholi filius Musi filii Merari filii Levi ». Non fuere chori Israel, Levi etc.

v. 31-33 sunt *inscriptio* eorum, quae sequuntur. v. 31 (16) « *Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini* ». Sed *Hebr.* non agit de constitutis *praefectis* cantorum, sed de constitutis *ad manum cantus*, i. e. *pro cantu*. Recensentur ii, quos David aliquando instituit *cantores*, quorum plures ipse in officio confirmavit, alios expunxit, alios novos adscivit. *Domus Iahve* eadem intelligitur, quae v. 48; quae describitur habuisse tabernaculum, altare holocaustorum, altare thymiamatis, sancta sanctorum (cf. h. l. v. 32) a Moyse instituta; est ergo *sanctuarium in Gabaon*, ubi haec omnia erant. Cui sensui minime obstat sequens incisum « *ex quo collocata est arca* », seu *Hebr.* : *ex quo requiem habuit arca*, e quo translata est in Ierusalem. Ierusalem futura erat permanens arcae requies, licet intra Ierusalem arca aliquando foret transferenda de Sion in Moria. Quod incisum non est *locale*, sed *temporale* : post translatam arcam instituit David cantores Gabaone. Sensus omnino planus.

v. 32 (17) « *Et ministrabant coram tabernaculo testimonii* », — *Hebr.* : *coram habitaculo tabernaculi testimonii*, coram habitaculo e lignis setim constructo, quod Moyses operuerat tabernaculo — « *canentes, donec aedificaret Salomon domum Domini in Ierusalem* », i. e. templum. Tempus, quo floruit Gabaone institutum illud cantorum, circumscribitur : post translatam Sionem arcam et usque ad aedificatum templum. Licet tamen David post translatam arcam « nihil antiquius habuerit » (*Calm.*), quam ut decori cultus prospiceret, tamen textus non affirmat, eum *illico* post translatam arcam reformationem v. 31-47 exsecutum esse. Textus non agit de quibuslibet Gabaone ministris sacris, sed de iis, qui *ministrabant in cantico*, de cantoribus. שרת in libris antiquioribus, qui de musica sacra silent, universim designat ministerium levitarum; nunc illud verbum ad significandum *ministerium musicum* contrahitur, adscripto בשיר, *in cantico*, vel simili expressione (cf. 16,4; 2 Par. 31,2). Cf. *A. Büchler* ZATW 1899 p. 110 sqq. « *Stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio* », ministeria sua *statutis vicibus* obibant, certe non semper omnes una.

v. 31 sq. indicabant unum eorum, quae habent v. 33^b-47, ordinem cantorum a Davide institutum; v. 33^a indicat alterum, *praesides* singulis cantorum classibus a Davide praefectos. Etenim עמדים (*stantes*), uti Num. 7,2; 1 Esdr. 10,15; Ez. 44,24 verte *praesides*. v. 33 (18) « *Hi vero sunt, qui assistebant, cum filiis suis* ». Verte : *Hi sunt praesides et filii eorum*, et vocem *filii* accipe sensu hierarchico, ut designet eos qui praesidibus suberant.

Ordine originis 25,1 scribuntur *Asaph, Heman, Iduthun* : Gersomitae cantores, quibus praeerat Asaph, erant primogenita stirps levitarum. Hoc ordine 16,5.41

David Asaphum attribuit sanctuario suo in Sion, Heman et Iduthun sanctuario in Gabaon. ***Ordine auctoritatis*** scribuntur *Heman, Asaph, Iduthun* 15,17.19, ubi principes levitarum ***primum*** designant Heman ante Asaph. Sc. Caathitae, e quorum numero erant levitae hemanitae, Gabaone omnino praevalebant numero et auctoritate. Igitur David 6,33.39.44 Hemanum constituit « in medio » seu auctoritate primum, Asaph « a dexteris » et Iduthun « a sinistris ». Sed 25,2-7.8-31 scribuntur *Asaph, Iduthun, Heman* : sc. in novissima sua reformatione hunc ordinem instituit David. In posterioribus documentis semper anteponitur Asaph : 2 Par. 5,12; 29,13 sq.; 35,15; 2 Esdr. 12,45.

Recensentur primum Caathitae : « *de filiis Caath : Heman cantor filius Ioel* » (cf. 15,17) : — המשורר, ὁ ψαλτῳδός, ὁ ψαλμῳδός. Vox utique uti שר universim designat *cantorem*. Hic uni Heman adscribitur tamquam epitheton ornans : licetne forte vertere *praecentor*? — « *filii Samuel* ». Ioel v. 28 utique fuit Samuelis filius. Tamen, quia v. 27, secundum necessariam ib. emendationem, Samuel est nomen chori unius, quem chorum vel ob reverentiam nominis Samuelis nequaquam expunxit David, secundum ea quae dicebamus p. 132 verte *filius Samuel*, et interpretare sensu *hierarchico* : chorus Samuel primus fuit eorum, qui subfuere Hemano, Samuelis nepoti. — v. 34 (19) « *filii Elcana, filii Ieroham, filii Eliel* » (v. 27 Eliab), « *filii Thohu* » (v. 26 Nahath), v. 35 (20) « *filii Suph, filii Elcana, filii Mahath* » (v. 25 Achimoth), « *filii Amasai* », v. 36 (21) « *filii Elcana, filii Iohel* » seu verius *Ioel*, « *filii Azariae* » (v. 24 Oziae), « *filii Sophoniae*», v. 37 (22) « *filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core* ». In omnibus hisce pro *filii* scribe *filius* (v. s.). Perperam *LXX L* post *Abiasaph* habent : *filii Elcana, filii Asir, filii Core, filii Aminadab*. Sc. textum conformantes v. 22 sq., repetunt *Elcanam*, qui h. l. habetur v. 36, et supplent priorem *Asir* (v. 22 probabilius eliminandum) et *Aminadab*. Pro *subscriptione* adscribitur genealogia eius, qui ultimus scribitur v. 37, *Core* : v. 38 (23) « *filii* », seu verius *filius*, « *Isaar filii Caath filii Levi filii Israel* ». Hoc solo loco, non v. 43.47, adscribitur *Israel*.

Cum vox *filius* in his documentis habeat sensum potissimum hierarchicum, secundario neque semper genealogicum, non est cur inquiras, quomodo Samuel, cui constanter attribuuntur duo filii tantum, imo Ioel et Heman, Samuelis filius et nepos, genuerint tot *filios*, quot ad chorum efficiendum sufficerent. *Filii* hi seu *fratres* (25,9 sqq.) dicuntur hierarchice, licet credendi sint ut plurimum fuisse e cognatorum numero.

Sequuntur Gersomitae. v. 39 (24) « *Et frater eius* », sc. Hemani v. 33, « *Asaph, qui stabat a dextris eius* » (cf. v. 44), « *Asaph filius Barachiae* ». — In iis, quae sequuntur, rursum pro *filii* scribe *filius* : « *filii Samaa* », v. 40 (25) « *filii Michael, filii Basaiae, filii Melchiae* »,

v. 41 (26) « *filii Athanai* » (v. 21 Iethrai), « *filii Zara* » (v. 21), « *filii Adaia* » (v. 21 Addo), v. 42 (27) « *filii Ethan, filii Zamma* » (v. 20), « *filii Semei* », v. 43 (28) « *filii Ieth* » (qui v. 20 Iahath scribitur) — non scribitur porro uti v. 20 *Lobni*, quia, uti suggeremus, viri v. 39-43 non sunt Lobnitae omnes, sed aliqui Semeitae (v. 17). Tandem pro *clausula* adscribitur genealogia Ieth seu Iahath : « *filii* », seu verius *filius*, « *Gersom filii Levi* ».

Agmen claudunt Meraritae. v. 44 (29) « *Filii autem Merari, fratres eorum* », sc. Gersomitarum et Caathitarum, « *ad sinistram* » (cf. v. 33. 39) : « *Ethan filius Cusi* » seu 15,17 Casaia. קיש, קושיהו. *Ethan* h. l. et 15,17. 19 hoc nomine scribitur, איתן; sed 16,38 (Kethib), 41 sq.; 25, 1 sqq.; 2 Par. 5,12; 29, 14; 35,15; 2 Esdr. 11,17 (Kethib), itemque Ps. 38 (39), 1 (Kethib); 61 (62), 1 appellatur *Iduthun* ידותון, cuius mutati nominis rationem v. i. Cum is 15,17 diserte statuatur fuisse *Merarita*, non est confundendus cum *Ethan Zaraita*, Iudaeo 3 Reg. 4,31 (5, 11); 1 Par. 2,6. 8; Ps. 88 (89), 1; — v. ad 3 Reg. 4,31. In iis, quae sequuntur, rursus pro *filii* scribe *filius* : « *filii Abdi, filii Maloch* », v. 45 (30) « *filii Hasabiae, filii Amasiae, filii Helciae* », v. 46 (31) « *filii Amasai, filii Boni, filii Somer* », v. 47 (32) « *filii Moholi* ». *LXX B* post *Amasiam* ignorant *Helciam* et *Amasai* : omissio facile explicatur similitudine nominum אמציה et אמצי : ab uno ad alterum transiliit scriba. Pro *clausula* (cf. v. 38. 43) adscribitur genealogia Moholi II : « *filii* », seu verius *filius*, « *Musi filii Merari filii Levi* ». Moholi filius Merari (v. 19) diversus est a Moholi fratre Musi (ib.). Elenchus v. 29 sq. totus est Moholitarum, elenchus v. 44-47 totus est Musitarum : nullum hi duo elenchi nomen commune habent.

Nota v. 39 suffixum in *frater eius*, quod evidenter refertur non ad nomen immediate praecedens *Core*, sed ad *Heman* v. 33; item v. 39 repetitionem nominis *Asaph*. Sicut v. 31-33ᵃ habes duas *inscriptiones* veluti in unam compactas, unam de *cantoribus*, alteram de *praefectis* cantorum, ita v. 33ᵇ-47 habes, si non duos diversos elenchos, at elenchum praefectorum, qui continuationem nactus est elenchum chororum. Rem oculis subiicio :

v. 33 De filiis Caath : Heman cantor, filius Ioel :
filius Samuel, filius Elcana etc.;
v. 39 et frater eius Asaph stans a dextris :
Asaph filius Barachiae,
filius Samaa, filius Michael etc.;
v. 44 et filii Merari fratres eorum ad sinistram :
Ethan filius Cusi,
filius Abdi, filius Maloch etc.

Elenchus est inaequaliter scriptus. Distinguuntur *filii Caath, filii Merari*, et sane v. 39 item supplendi *filii Gersom*. Repetitum nomen *Asaph* prodit, *Asaph* (itemque *Heman* et *Ethan*) non solum scribi ad designandum *virum* classis praefectum, sed scribi etiam tamquam nomen *chori*. Fuere chori Heman, Asaph, Ethan, uti fuere chori Samuel, Samaa, Abdi.

β. Uberior textus v. 20-47 expositio.

Chori Caathitarum.

Ordo anterior v. 20-28.	*Ordo reformatus* v. 33-38.	
v. 22 (7) 1 Aminadab	v. 33 (18) I Heman filius Iocl.	(1)
Filii Core :		
2 Core	II Samuel	(18)
v. 23 (8) 3 Elcana I	v. 34 (19) III Elcana III	(17)
4 Abiasaph	IV Ieroham	(16)
5 Asir	V Eliab	(15)
v. 24 (9) 6 Thahath	VI Thohu	(14)
7 Uriel	v. 35 (20 VII Suph	(13)
8 Ozias	VIII Elcana II	(12)
9 Saul	IX Achimoth	(11)
Filii Elcana I :	X Amasai	(10)
v. 25 (10) 10 Amasai	v. 36 (21) XI Elcana I	(3)
11 Achimoth	XII Iocl	(9)
v. 26 (11) 12 Elcana II	XIII Ozias	(8)
Filii Elcana II :	XIV Sophonias	(7)
13 Suph	v. 37 (22) XV Thahath	(6)
14 Thohu	XVI Asir	(5)
v. 27 (12) 15 Eliab	XVII Abiasaph	(4)
16 Ieroham	XVIII Core	(2)
17 Elcana III		
18 Samuel		

Chori Gersomitarum.

Ordo anterior v. 20 sq. (*Gersom-Lobni*)	*Ordo reformatus* v. 39-43. (*Gersom*)	
	v. 39 (24) I Asaph filius Barachiae	
	II Samaa	
	v. 40 (25) III Michael	
	IV Basaia	
	V Melchia	
v. 20 (5) 1 Iahath	v. 41 (26) VI Iethrai	(6)
2 Zamma	VII Zara	(5)

v. 21 (6) 3 Ioel		VIII Addo	(4)
4 Addo	v. 42 (27)	IX Ethan	(3)
5 Zara		X Zamma	(2)
6 Iethrai		XI Semei	
	v. 43 (28)	XII Iahath	(1)

Chori Meraritarum.

Ordo anterior v. 29 sq. (*Merari-Moholi*)	*Ordo reformatus* v. 44-47. (*Merari-Musi*)
v. 29 (14) 1 Lobni II[1]	v. 44 (29) I Ethan filius Cusi
2 Semei	II Abdi
3 Oza	III Maloch
4 Sammaa	v. 45 (30) IV Hasabias
5 Haggias	V Amasias
6 Asaia	VI Helcias
	v. 46 (31) VII Amasai
	VIII Boni
	IX Somer
	X Moholi II[2]

Porro comparatis inter se ordinibus anterioribus ordinibusque reformatis, deprehenduntur haec.

1) Ordines anteriores nulla distinguunt capita, sed cognationes seu choros ex ordine recitant. Ordines reformati singulis classibus praeficiunt *moderatorem* : sub uno moderatore maior futura erat *efficacia* et *ordo*. Sunt vero moderatores tres *prophetae* Heman, Asaph et Ethan.

2) Nomina ordinis anterioris ea, quae in ordine etiam reformato habentur, recitantur *ordine inverso* : Caathitae 1-18 = XVIII-I, perpaucis mutatis; Gersomitae 1 2 3 4 5 6 = XII X (IX) VIII VII VI; Meraritae mutantur omnes. Ipsa ordinis inversio demonstrat, ordinem nequaquam esse fortuitum. Nomina cognationum habet ordo anterior ordine originis, qui idem ordo est auctoritatis. Sed nomina cognationum eadem sunt nomina chororum. Censendum igitur est nomina etiam chororum in ordine anteriore recenseri *ordine auctoritatis*. Sed inverso ordine fiunt primi novissimi et novissimi primi. Apud Caathitas primi fiunt filii Elcana II, *chori Samuelis affines*; at Caathitae numerosiores tandem Gersomitis et Meraritis una sumptis : ergo gravis in ordine reformato auctoritas chororum Samuelis affinium. Ipse Heman fuit Samuelis nepos : ita, quoad perseveravit V. T., Samuelis prophetae fidelis vox personabat in canticis Israel, per fratres et filios Samuelis in choros Hemanitarum collectos.

---

1. Diversus a Lobni I filio Gersom v. 20.
2. Diversus a Moholi I filio Merari v. 29. Moholi II v. 47 est filius Musi fratris Moholi I.

3) Chori gersomitae e 6 fiunt 12, novis additis : qui v. 20 derivabantur a *Gersom-Lobni*, v. 43 derivantur simpliciter a *Gersom*. Sc. chori recens additi omnes aut aliqui fuere oriundi e Gersom-Semei. Plurimum mutavit David huius classis indolem. Chori meraritae v. 29 derivabantur a *Merari-Moholi*, v. 47 nominibus universis mutatis derivantur a *Merari-Musi* : sc. eiectis Moholitis adscivit David Musitas.

4) Apud *Caathitas* paucae, praeter ordinis inversionem, notandae sunt mutationes. In locum *Aminadab* succedit *Heman*, in locum *Saul Ioel*, in locum *Uriel Sophonias*. Locum mutat *Elcana I* : e 3 migrat in XI, qui locus correspondet intervallo inter 9 et 10.

a. *Aminadab*, *Uriel*, ubi etiam de *Ioah* v. 21 et de *Asaia* v. 30. — Habes 15,5-10 principes sex :

Uriel, Asaia, Iocl, Semeias, Eliel, Aminadab.

Habes h. l. :

v. 24 Uriel, v. 30 Asaia, v. 21 Ioah, v. 22 Aminadab.

Haberi in elencho multorum nominum tria *nomina* eadem, atque tria nomina principum 15,5-10, non est argumentum de iisdem utrobique agi *viris*. Sed accedit illud, ea tria nomina haberi in ordine anteriore, sed in ordine reformato *desiderari*. Deprehenduntur hi tres viri in eadem veluti fuisse damnatione, regi fuisse minus accepti tamquam *choragi* : si regi accepti erant, eos non fuerat rex eliminaturus. Tres vero illi principes non erant a re chororum alieni, consulebantur ea in re a Davide, cantores 15,17 sq. designaverant. Annon veri simile est regem, quibus annis distinebatur pluribus et gravibus bellis, curam chororum demandasse illis sex principibus? eorum aliquos choragorum partes suscepisse?

Coniicimus igitur *Aminadab*, *Uriel*, *Asaiam choragos* eosdem illos esse *principes* 15,5. 6. 10. Imo coniicimus *Ioah*, יואה, v. 21 eundem esse atque *Ioel*, יואל, 15,17 : unica litera ea duo nomina differunt. Si duo principes caathitae (Aminadab, Uriel) unusque princeps merarita (Asaia) choragorum partes suscepere, credendum est principem etiam gersomitam Ioah vel Ioel idipsum egisse. Erant Gersomitae primogenita stirps levitarum, haud facile sponte permissuri solis non-Gersomitis negotium aliquod grave. Alia plane ratio est *Semeiae* et *Elielis* : cum enim iam Caathitae duo choros agerent, non erat cur idipsum agerent Caathitae alii duo. Praeterea chori v. 20-30 Gabaone versabantur (v. i.) : potuere vero Semeias et Eliel curam impendere choris Sione, sive tamquam choragi sive alio modo.

Unus *Aminadab* v. 22-28 videtur fuisse Caathita non-Corita, quare

eius nomen ante omnium Coritarum nomina nomini Caath adscribitur. Profecto non erat Aminadab a Caath immediate genitus, neque ante Core neque cum illo. Expuncto Aminadab tota illa classis Coritarum fuit, fuitque magis una quam classis reformata Gersomitarum, quae fuit tam Lobnitarum quam Semeitarum. At cum inverso chororum ordine summa rerum apud Coritas esset penes choros Samueli affines, maior illa unitas consilia regis non erat impeditura, sed adiutura.

Virorum *principum* ante reformationem magna sane apud choros fuit auctoritas. Videntur illi in re chororum omnia revocasse ad stirpes, nimium concessisse cognationibus. Quorum agendi rationem improbaverit tandem rex : *principes eliminavit, summam auctoritatem contulit prophetis*. Verum, eliminatis principibus *choragis*, non necessario eliminabantur eorum *chori*. Quare suggero *Sophoniam*, qui successit in locum *Urielis* (XIV = 7) fuisse ipsum etiam Coritam, fortasse eiusdem chori antea sub Uriele cantorem; item *Ethan* v. 42, qui successit in locum *Ioelis* v. 21 (IX = 3), fuisse Gersomitam-Lobnitam.

b. *Saul* v. 24. Haud infrequens in V. T. nomen Saul. Quod vero hic Saul in ordine reformato *eliminetur* etiam ipse, *Ioele* filio Samuelis succedente in eius locum (XII = 9), iuvabit examinare, annon eo nomine h. l. dici possit designari ille vir, cuius aevo Davidis nomen in omnium ore erat, *Saul rex*.

Nonne Saul actus divino instinctu iunctus est aliquando prophetarum choris 1 Reg. 10,10 sqq.; 19,20 sqq.? Cur non potuerit ad sacros choros admitti, quem Deus ipse adscivisset? Erat Hebraeis (v. ad 25,1) musica sacra genus quoddam *prophetiae*, divinae cuiusdam inspirationis magis quam humanae artis fructus. Nonne ipse David inter sacros choros locum habebat suum? Nonne medio etiam aevo imperatores romani ordini subdiaconorum accensebantur?

Attributus ergo fuerit Sauli unus inter Coritas chorus, licet ipse (13,3) raro aut nunquam inter cantores adstaret. Ceterum tempore Davidis erat domus Saul a Deo reprobata et vix non exstincta : sed erant *Gabaonitae*, nativa Saulis stirps. Fuerit chorus Saul *chorus Gabaonitarum*, tenue initium chororum nathinaeorum, quos 24 numero David cap. 25 instituit. Ipse igitur Saul Gabaonitis, qui dudum sanctuario in humilioribus ministeriis serviebant (Ios. 9,27), id privilegii procuraverit, ut chorum haberent unum. Quos David a Coritarum choris separatos fecit aliquando choros omnino 24. In locum *chori Saul* suffecit chorum recens e choro Samuel natum, *chorum Ioel* filii Samuelis, filiis Core XIII-XVIII praeficiens chorum samuelitam XII.

Illud dubitabis, quomodo potuerint Saul et Gabaonitae, cum natalibus non essent levitae, levitis accenseri.

Verum de cantoribus nihil plane legibus sanxerat Moyses. Ubi cantorum institutum increvit, videtur insufficiens visus esse is levitarum numerus, qui officia cantus subirent lubentes. Neque enim ad eam angariam subigendam lege tum adigebantur levitae : sua illis vel sine cantu constabant privilegia. Neque, quicunque essent lubentes, iidem erant etiam ad illa officia apti : erant alii multi non-levitae, illis aptiores. Ergo ad officia cantus sacri admissi sunt etiam alii, qui ad ea officia sibi honorifica essent tanto alacriores, quod sibi inde auctoritatem et lucra accretura esse imaginarentur. Nonne apud nos est unus ordinum minorum, ordo acolytarum, ad eum ipsum finem institutus ut iis, qui in ordinibus maioribus sunt constituti, de ministris sacrarum functionum provideatur? Cum vero eorum, qui velint ordines minores suscipere, non sit ad eum finem sufficiens numerus, iam ubique terrarum pueri in ordinibus minoribus nequaquam constituti ministrant ad altaria. Num id grave scandalum esse proclamabis? Noli pro certo supponere, legem V. T. a piis hominibus semper servatam esse non solum ad literam, sed etiam serviliter, dum leges ecclesiae saepe, et merito quidem, observantur magis secundum spiritum, quam secundum literam.

Illud dudum consuetudine vel etiam decreto erat sancitum, ut Gabaonitae aliqui atrium interius ingrederentur portantes aquam et ligna. Quod licet esset officium specie humilius, sacrificia tamen propius attingebat cantionibus sacris : ligna quippe super altare incendebantur, aquis lavabantur carnes victimarum. Postmodum solemni Davidis et principum decreto Gabaonitae illi cantui sacro sunt attributi factique Nathinaei. Quodsi in hac re aliquid contra mentem legis mosaicae factum est, quod sc. ministerium *quodlibet* sanctuarii oporteret praestari a solis *levitis*, primi utique praevaricati sunt ii, qui Gabaonitas fecere aquae et lignorum in sanctuario portatores.

Obiicies Iudaeorum post exsilium horrorem, ubi aliquos deprehenderent ad levitarum statum aspirare, qui leviticam originem demonstrare haud valerent. Fuit horror ille sincerus : fuitne idem per omnia aequus? Etenim Iudaeos post exsilium fuisse ad exaggerandas antiquas leges pronos, quis negaverit? An forte confodiebant integras aliquas stirpes, quae origine certe essent non levitae, sed a Samuele, Davide aliisve ante exsilium veri levitae habitae essent? Qua in re Iudaei illi exsilio posteriores sibi videbantur fortasse deprehendere neglectum quemdam legis, ab antiquis viris commissum ac sibi religiose luendum. Nathinaeos severe affirmavere (8,40) esse « filios Beniamin » tantum, non levitas; an eos passi sint musicam sacram exercere, ignoramus. Mox de Nathinaeis alte silent sacri textus.

Aliud tandem suggero. Potuit vir origine non hebraeus, susceptis sacris Hebraeorum, fieri Hebraeus et accenseri uni cuidam tribui et familiae : id factum est in Gabaonitis, Cenezaeis aliisque. Cur non potuerit vir origine non levita accenseri familiae cuidam levitarum? Non defendo rem factam esse, sed rationem a te exquiro, cur rem fieri non potuisse affirmes. Id si factum est, factum est utique rarius : cauturi erant ipsi levitae, ne alii plures in suorum privilegiorum communionem se insinuarent.

Interrogationes hac in re plures non solvimus, sed proposuimus tantum. Quodsi tu quoque verearis de illis certi quid statuere, defendas chorum illum 8um cantorum caathitarum *nomen* habuisse a Saul rege, cantores ipsos fuisse origine levitas : nobis praeplacet in eo choro videre rudimentum rerum nathinaearum.

c) *Elcana I* in ordine chororum inverso habiturus erat locum inter Abiasaph XVII et Core XVIII : hunc locum non habet, sed locum XI. Quae mutatio primum efficit maiorem aequalitatem distributionis chororum 7 + 4 + 7; sunt filii Elcanae II 7, Elcana I cum filiis 4, Core cum filiis 7. Etiam in choris reformatis videtur David praeservasse illud trium stratorum discrimen. Non est passus, ut numerus chororum tertii strati excederet numerum chororum primi strati : si enim Elcana I nativum ante Core locum retinebat, erant tertii strati chori 8, primi strati chori 7 tantum. Praeterea erat quidem Ioel chorus recens formatus, sed cuius nativus locus esset inter choros Samuelis affines : ubi ei assignabatur primus tertii strati locus, detrahebatur veluti aliquid primo strato : pro aliqua veluti compensatione Elcana I e tertio translatus est in secundum stratum, ab iis, qui latiori sensu eius fratres erant, translatus est ad filios. In his omnibus deprehendo Davidis studium firmandae inter Caathitas auctoritatis Samuelitarum : habebant choros primos 7, habebant Ioel tertii strati chorum primum, habebant stratum alterum sibi fortasse magis affine quam strato tertio.

5) *Gersomitas* quod attinet, in locum *Ioel principis* (3) succedit *Ethan* (IX), uti coniecerim, etiam ipse Lobnita. *Semei* (XI), chorus recens creatus, ideo fortasse Lobnitis paenultimo loco inscribitur, quod fuerit item Lobnita. Asaph fueritne Lobnita an Semeita, ignoramus. Sed reliquos choros recens additos II-V fuisse *Semeitas*, infero ex omisso v. 43 nomine Lobni (cf. v. 20) : nomen omittebatur, quia chori v. 39-43 non iam erant omnes Lobnitae. Erant autem omnes Gersomitae.

Igitur Lobnitae ad calcem reiiciuntur. Eis recens adscribuntur chori 6, quorum plerique non erant Lobnitae. Numerus chororum duplicatur. Praeponitur moderator Asaph.

6) Moholitis eiectis sufficiuntur in *Meraritis* Musitae sub Ethan moderatore. Chori 10 loco 6.

7) *Reformationis summa* haec :

a. Procurata est maior *unitas* et *efficacia,* constitutis moderatoribus tribus sub rege supremo moderatore (25,2). Principibus suffecti prophetae.

b. Auctus *numerus chororum* a 18 + 6 + 6 ad 18 + 12 + 10. Caathitis adempta « absoluta maioritas » prae Gersomitis iunctis Meraritis.

c. E *Caathitis* exclusi non-Coritae, chori paucis exceptis retenti, sed inverso ordine imminuta singulorum auctoritas, relaxatae cognationum affinitates, summa auctoritatis omnino collata choris Samuelitarum.

d. In *Gersomitis* effectum aequilibrium Lobnitarum et Semeitarum. *Meraritarum* classis funditus renovata.

e. Fundamentum chororum *stirpes*, sed aliqua adhibita temperatio : classes secundum stirpes distinguebantur, sed chororum ordo effectus is, in quo placita regis semper praevalerent studiis cognationum.

b. Levitae, sacrorum ministri Gabaone 1 Par. 6,48-53.

v. 48 (33) « *Fratres quoque eorum levitae,* [*qui*] *ordinati* [*sunt*] *in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini* ». *Fratres eorum*, sc. cantorum levitarum. Fons, e quo profecta sunt v. 20-53, tractabat de cantoribus *ante* reliquos levitas, vel certe ante levitas sacrorum ministros. Sc. illius fontis auctor agebat de rebus aevi davidici, quod inde etiam patet, quod genealogiam pontificum v. 53 producat usque ad Sadoc et Achimaas tantum; hinc praemittebat sermonem de cantoribus, quod nulli levitarum ordini reformando maiorem curam impendisset David, quam ordini cantorum.

Agit auctor v. 48 de levitis sacrorum ministris, quos vocat *datos ad omne ministerium habitaculi domus Dei*. Etiam *LXX* legunt *Dei*, et addunt *secundum patroecias suas*. Porro 24,5 distinguuntur sacerdotes *principes sanctuarii* et sacerdotes *principes Dei*; 26,20 sqq. distinguuntur *thesaurus sanctuarii* et *thesaurus domus Dei* ; quae distinctio (v. ib.) respicit duo sanctuaria, unum Gabaone, alterum Sione. Eandem distinctionem videtur respicere h. l. expressio *ministerium tabernaculi* seu *habitaculi domus Dei*; atque ex ea perspicimus *domum Dei* esse sanctuarium Gabaone, ubi ministrabat *Sadoc* pontifex (v. 53), *sanctuarium* esse sanctuarium Sione. Hinc clarescit contextus v. 48-53. Exposito v. 20-47 ordine cantorum, auctor primum agebat de sacrorum

ministris *Gabaone*, tradit genealogiam pontificis gabaonensis. Credendus est posthaec tractasse de sacerdotibus gabaonensibus seu *principibus domus Dei* (24,5), de levitis sacrorum ministris (v. 48) gabaonensibus, item de sacerdotibus sionicis seu *principibus Dei* et de sacrorum ib. ministris. Hic est obvius sensus verborum v. 48[b]. Unde sequitur inania esse, quae moderni plures intulere, auctorem v. 49-53 ignorare pontifices ithamaridas (Abiathar). Non erat hic locus tractandi de his, qui non ministrabant Gabaone sed Sione; de ipsis utique tractabat documenti auctor postea, in ea documenti parte, quam noster textus non habet.

Dicuntur vero levitae *dati*, quae vox alludit ad solemnes textus Num. 3,9 : « Et dedi levitas Aaroni et filiis eius : *dati, dati sunt* ipsi ei de filiis Israel »; et 8,19 : « Et dedi levitas, *datos* Aaron et filiis eius de filiis Israel ad ministrandum ministerium filiorum Israel in tabernaculo testimonii etc. ».

Verum illud participium *dati*, נתונים, δεδομένοι, una eademque vox est atque nomen *Nathinaeorum*, נתונים seu נתינים, qui 25,1; 1 Esdr. 8, 20 a Davide et principibus exercitus *dati* sunt ad ministerium levitarum. Haud inanis coniectura (v. s. p. 6 sqq.), auctorem documenti v. 20-53 Nathinaeos habuisse pro *veris levitis* : quam opinionem utique abhorruere Iudaei post exsilium. Sed non ideo falsa ea est.

Tandem, quia illud participium *dati* Num. 3,9; 8,19 refertur ad solos simplices levitas, non ad sacerdotes (dati Aaroni), patet etiam h. l. sermonem esse de solis simplicibus levitis, qui Gabaone erant sacrorum ministri; ad hos sòlos vox *levitae* v. 48 refertur; sed antequam horum levitarum res documentum explicaret, inseruit v. 49-53 genealogiam *pontificis* et fortasse alia aliqua de *sacerdotibus* gabaonensibus.

v. 49 (34) « *Aaron vero et filii eius adolebant* [*incensum*] *super altare holocausti et super altare thymiamatis* » Gabaone (v. s.). Merito *Hebr. LXX* non adscribunt *incensum*, quod non adolebatur super altare holocausti (*Calm.*), adolebatur autem super altare thymiamatis. Bene *Tost.* ea quae sequuntur separat a praecedentibus, altaria enim illa non erant in sancto sanctorum, neque in omne opus sancti sanctorum adolebatur aut incensum aut victimae. Perquam varia et incerta apud chronistam est significatio particulae ל; explica : et destinati sunt « *in omne opus sancti sanctorum et ut precarentur* », propitiaitem facerent « *pro Israel* ». Incendere holocausta et thymiama spectabat etiam ad pontificem, non vero ad solum pontificem, sed etiam ad *filios eius* sacerdotes. Igitur post officium incendendi oblata, quod competebat pontifici prae aliis sacerdotibus, *non tamen soli pontifici*, enuntiantur officia *pontifici exclusive propria*, sc. quaecunque

spectabant *sanctum sanctorum*, quod ipse unus ingrediebatur, et semel quidem in anno in festo *propitiationis* Lev. 16,29-34. Tandem quaelibet officia brevi formula complectitur auctor (*Tost.*) : « *iuxta omnia, quae praeceperat Moyses servus Dei* ».

Expressio *Aaron et filii eius* v. 49 opponitur expressioni *fratres eorum levitae* : filii sunt, non soli *pontifices* Aaronis successores, sed *sacerdotes*, quod etiam patet ex officiis sacris, quae iisdem v. 49 attribuuntur; quae non omnia erant implenda a pontificibus. E contra expressio *filii Aaron* v. 50 viros v. 50-53 neque describit ut simplices sacerdotes, cum aliqui eorum certe fuerint pontifices, neque ut pontifices, cum non constet eos omnes fuisse pontifices, sed sumenda est *genealogice* : auctor inserit documentum aliquod, quod (cf. illud v. 3-15) verius affirmabis esse *genealogiam Sadoc,* quam elenchum pontificum. Neque recensentur filii Aaron omnes, sed ii soli e quibus successivis generationibus originem traxit Sadoc.

v. 50 (35) « *Hi sunt autem filii Aaron : Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abisue filius eius* », v. 51 (36) « *Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zarahia filius eius* », v. 52 (37) « *Meraioth filius eius, Amarias filius eius, Achitob filius eius* », v. 53 (38) « *Sadoc filius eius, Achimaas filius eius* ».

3. *Civitates a Iosue Levitis concessae* 1 *Par.* 6,54-81.

Arg. — *Nominibus* hoc documentum v. 54-60 recenset civitates *sacerdotibus* concessas, civitatum simplicibus levitis concessarum v. 61-63, solas adscribit *summas*. Adscripta habet duo : v. 64 sq. fragmentum correspondens Ios. 21,8 sq., quod utique legitur loco non suo, et v. 66-81 eundem atque Ios. 21,21-37 textum, civitates simplicibus levitis concessas recensentem *nominibus* suis.

Igitur textus v. 54-60 re idem est cum Ios. 21,10-19, dum v. 61-63 est summarium Ios. 21,20-38, urbium summas tradens, sed nomina reticens. Non erat profecto e re *post exsilium*, adscribere omnia haec urbium nomina, per totam Palaestinam sparsarum, quae vix sperarentur a Iudaeis esse recuperandae. Elenchus v. 54-60 e contra erat documentum etiam *post exsilium* utile : erant eae urbes in finibus Iuda, Simeon et Beniamin sitae, erant tum aut brevi sperabantur futurae in manibus Iudaeorum. Scribebat auctor harum urbium summam totalem 13, non scribebat summas partiales 9 et 4 (Ios. 21,16.18 sq.), non enim aeque distincti erant post exsilium earum tribuum fines, atque a Iosue fuerant descripti. Aliquis deinde existimavit, quae e Ios. 21 e compendio recitabantur, sibi indidem esse complenda. Additamenta

reverenter adscripsit ad calcem v. 54-63; primum v. 64 sq., quod proprie erat adscribendum post v. 54[a], dein v. 66-81 nomina urbium sine summis, summas quippe iam reperiebat descriptas v. 61-63.

a. Elenchus urbium Levitis concessarum 1 Par. 6,54-63.

v. 54 (39) « *Et haec habitacula eorum per vicos atque confinia* ». *Hebr.* : *secundum sepimenta eorum in finibus eorum*, ἐν ταῖς κώμαις αὐτῶν, ἐν ταῖς επαύλεσιν αὐτῶν. Scriptor *pascua* potius in mente habet quam *urbes*. Documentum natum esse videtur non post exsilium, sed verius circa tempus Davidis, qui ipse pastor fuerat, cuius tempore Levitae credendi sunt in urbibus suis potius gregibus alendis, quam agris colendis operam navasse. Pronomen *eorum* non referri ad solos pontifices, sed ad filios Aaron v. 50, patet cum per se tum ex adscriptis verbis « *filiorum scilicet Aaron iuxta cognationes* », — *cognationem* « *Caathitarum* », non quasi fuerint etiam Aaronitae aliqui qui non essent Caathitae, sed quia ab Aaronitis strictissime sumptis v. 49-53 seu pontificibus transit auctor ad Aaronitas late sumptos seu sacerdotes omnes. « *Ipsis* [*enim*] *sorte contigerant* ». Verbotenus uti Ios. 21,10 (cf. etiam v. 61.63.65), licet in hoc contextu nihil habeatur de iactis sortibus, neque enim tradenda erat h. l. narratio quomodo res sub Iosue facta esset, sed merus elenchus.

v. 55 (40) « *Dederunt igitur eis Hebron in terra Iuda* », in finibus tribus Iuda, « *et suburbana eius per circuitum* »; v. 56 (41) « *agros autem civitatis et villas Caleb filio Iephone* ». v. 57 (42) « *Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum* » — *civitatem refugii* (sing.) — « *Hebron, et Lobna et suburbana eius* »; v. 58 (43) « *Iether quoque et Estemo cum suburbanis suis, sed et Helon et Dabir cum suburbanis suis* », v. 59 (44) « *Asan quoque* » — עשן, Ἀσαν, quae Ios. 21,16 עין. Post quam h. l. perperam ignoratur יטה (v. ib.), et omittuntur summae minores Ios. 21,16. 18, servata summa maiori Ios. 21,19 — « *et Bethsemes et suburbana earum* ». v. 60 (45) « *De tribu autem Beniamin* » : — scribitur מטה uti Ios. 21 (CJ[1] p. 460), et ignoratur Gabaon : perperam, quod demonstrat summa 13 extremo versu (cf. Ios. 21,16. 18) — « *Gabee et suburbana eius, et Almath cum suburbanis suis* », — עלמת, Γαλεμαθ, Ἀλλαμωθ. eadem quae Ios. 21, 18 Almon — « *Anathoth quoque cum suburbanis suis; omnes civitates tredecim, per cognationes suas* ». במשפחותיהם : Ios. 21,19 ומגרשיהן.

v. 61 (46) « *Filiis autem Caath residuis de cognatione sua* [*dederunt*] *ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem* ». Textum mancum esse patet cum per se tum comparatis Keri et Ios. 21,20-24.

Verba ולבני קהת הנותרים ממשפחת evidenter parallela sunt verborum v. 54 : לבני אהרן למשפחת הקהתי. Adscripto ergo etiam h. l. הקהתי verto : *et filiis Caath, reliquis de cognatione Caath.* Altera pars *Keri* ממטה דן evincit, in priore item parte pro המטה scribendum esse ממטה, ergo : (dederunt) *de tribu Ephraim et de tribu Dan et de dimidia tribu Manasse per sortem civitates decem* (Ios. 21,26). v. 62 (47) « *Porro filiis Gersom per cognationes suas de tribu Issachar et de tribu Aser et de tribu Nephthali et de tribu Manasse in Basan* » transiordanicae « *urbes tredecim* ». Cf. Ios. 21,27-33. v. 63 (48) « *Filiis autem Merari per cognationes suas de tribu Ruben et de tribu Gad et de tribu Zabulon* [*dederunt*] *sorte civitates duodecim* ». Cf. Ios. 21,34-38.

b. Additamenta 1 Par. 6,64 sq. 66-81.

v. 64 sq. sunt de urbibus sacerdotum, de quibus sermo absolvebatur v. 60 ; certe non scribuntur loco suo; scribenda fuere fere ante v. 55.

v. 64 (49) « *Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates* » *has* « *et suburbana earum* ». Verbotenus uti Ios. 21,8[a]. Quam vocem h. l. adscribit *Hebr.* אלה, *has*, ignorant h. l. *LXX Vulg.* eaque, cum etiam Ios. 21,8 desideretur, melius h. l. omittitur. v. 65 (50) « *Dederuntque per sortem ex tribu filiorum Iuda et ex tribu filiorum Simeon et ex tribu filiorum Beniamin urbes has, quas vocaverunt nominibus suis* », seu verius uti Ios. 21,9 : *quas* (*aliquis*) *nominatim proclamabat.* Urbes solemni proclamatione illis attributae sunt. Versus verbotenus idem est atque Ios. 21,9. Additur h. l. *per sortem.* Additur *et ex tribu filiorum Beniamin,* sed istud Ios. 21,9 habent *LXX*, et merito quidem, agitur enim ibi de urbibus *sacerdotum,* quae reperiebantur non in Iuda et Simeon solum, sed item in Beniamin. Igitur hi duo versus h. l. interrumpunt contextum : non erat hic agendum de civitatibus Aaronitarum, de quibus agebatur v. 54-60. Versus Ios. 21, in textu substantialiter eodem, reperiuntur aptissimo loco initio elenchi urbium. Noster textus v. 54-63 deprehenditur esse negligenter descriptus, cum omissis nominibus Ieta v. 59 et Gabaon v. 60, tum textu v. 61 evidentur truncato. *Ergo hos versus transfer post v. 54*[a], eodem atque Ios. 21 contextu. Hac admissa emendatione, ipso initio elenchi affirmatur res acta esse *per sortem* (cf. Ios. 21,4.6), quod reapse factum esse testantur v. 54.61.63.

Alterum additamentum est elenchus urbium simplicium levitarum.

v. 66 (51) « *Et his, qui erant de cognatione filiorum Caath, fueruntque civitates in terminis eorum : de tribu Ephraim* » v. 67 (52) « *dederunt ergo eis urbes ad confugiendum* » — corrige : civitatem refugii —

« *Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis* ». Textus est ipse textus Ios. 21,20 sq. in quibusdam deformatus. Pro גבוליהם h. l., *in terminis eorum*, certe praeferendum גורלם, *sortis eorum* Ios. 21,20 : Levitae non habebant *terminos* proprios in Israel, sed *sortibus* eis attribuebantur habitacula et pascua. Verba Ios. 21,20 *levitis, reliquis de cognatione Caath* h. l. relegantur ad extremam de Caathitis paragraphum v. 70. v. 68 (53) « *Iecmaan quoque cum suburbanis suis, et Bethhoron similiter* ». Pro *Iecmaan* Ios. 21,22 nomen ignotum idemque probabilius deformatum *Cibsaim*. v. 69 (54) ignoratur inscriptio *de tribu Dan*, ignorantur urbes *Eltheco* et *Gabathon* Ios. 21,23 : « *Necnon et Helon* » — *Aialon* — « *cum suburbanis suis, et Gethremmon in eundem modum* ». v. 70 (55) « *Porro ex dimidia tribu Manasse : Aner* » — ענר corruptum e תענך, *Thanach* Ios. 21,25 — « *et suburbana eius, Balaam et suburbana eius* »; Ios. 21,25 per errorem repetitur Gethremmon. בלעם h. l. decurtatum e יבלעם, Ἰεβλααν, Ἰεβλαάμ Ios. 17,11; Iud. 1,27 — « *his* [*videlicet*], *qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant* » (v. s.).

v. 71 (56) « *Filiis autem Gersom de cognatione* » — qui textus fere erit complendus e Ios. 21,27 : *de cognatione Levitarum*, nihil quippe adimebatur aliarum tribuum *cognationibus*, sed in earum urbibus habitacula et pascua concedebantur levitis — « *dimidiae tribus Manasse : Gaulon in Basan et suburbana eius, et Astharoth cum suburbanis suis* ». Hoc nomen praeferendum nomini *Bostrae* ib. — v. 72 (57) « *De tribu Issachar : Cedes et suburbana eius* », Ios. 21,28 *Cesion*, i. e. *Cedes* ad flumen Cison, « *et Dabereth cum suburbanis suis* », v. 73 (58) « *Ramoth quoque et suburbana eius, et Anem cum suburbanis suis* ». Ios. 21,29 *Iaramoth* (?) et *Engannim* : ענם = גנים (עין). v. 74 (59) « *De tribu vero Aser : Masal cum suburbanis suis, et Abdon similiter* », v. 75 (60) « *Hucac quoque et suburbana eius, et Rohob cum suburbanis suis* ». Cf. Ios. 21,30 sq. Pro Hucac : *Helcath*. v. 76 (61). « *Porro de tribu Nephthali : Cedes in Galilaea et suburbana eius, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim et suburbana eius* ». Ios. 21, 32 : *Hammoth Dor* (cf. CJ[1] p. 431) et *Carthan* (?). v. 77 (62) « *Filiis autem Merari residuis* », qui uni supersunt in hoc elencho tractandi, reliquis de stirpe Levi (cf. 61 « reliquis de cognatione Caath ») ; « *de tribu Zabulon : Remmono et suburbana eius, et Thabor cum suburbanis suis* ». Ios. 21, 34 sq. *Damna et Cartha*. Omittuntur *Iecnam et Naalol*. v. 78 (63) « *Trans Iordanem quoque ex adverso Iericho, contra orientem Iordanis, de tribu Ruben* » : — articulatior descriptio quam Ios. 21,36 — « *Bosor in solitudine* », quae ab Arnone extenditur Hesebonem, « *cum suburbanis suis, et Iassa cum suburbanis suis* ». Descriptio illa vera est, sed minus

distincta : scriptor antiquior regionem *ex adverso Iericho* intellexisset Rubenitidis tractum Iordani adiacentem, et ab ea distinxisset solitudinem illam seu planitiem. v. 79 (64) « *Cademoth quoque et suburbana eius, et Mephaat cum suburbanis suis* ». Pro Cademoth Ios. 21,36 *Iethson*. v. 80 (65) « *Necnon et de tribu Gad : Ramoth in Galaad et suburbana eius, et Manaim cum suburbanis suis* »,. v. 81 (66) « *sed et Hesebon cum suburbanis suis, et Iezer cum suburbanis suis* ».

V. GENEALOGIA ISSACHAR 1 PAR. 7,1-5.

Arg. — Describitur genealogia primogenitae stirpis Issachar, et traduntur e censu Davidis numeri bellatorum omnium.

Cap. VII v. 1 « *Porro filii Issachar : Thola et Phua, Iasub et Simeron, quatuor* ». Cf. Gen. 46,13 ; Num. 26,23 sqq.

Explicatur primogeniti genealogia v. 2 : « *Filii Thola : Ozi et Raphaia et Ieriel et Iemai et Iebsem et Samuel, principes per domos cognationum suarum de* [*stirpe*] *Thola* », — *Hebr.* : *capita patroeciarum suarum quoad Thola*. Nominibus non adscribitur numerale « sex », uti v. 1 « quatuor », v. 3 « quinque » ; fortasse excidit numerale, vel deformatum latet in *sexcenti* : mirum quippe est v. 2 recitari centurias, cum v. 4 sq. solae chiliades recenseantur — « *viri fortissimi* » *in generationibus suis* « *numerati sunt in diebus David viginti duo millia sexcenti* ».

Explicatur genealogia primogeniti Tholae v. 3 : « *Filii Ozi : Izrahia, de quo nati sunt Michael et Obadia et Ioel* [*et*] *Iesia, quinque, omnes principes* », omnes procreavere patroeciâs. v. 4 » *Cumque illis per familias et populos suos* », *Hebr.* : *secundum generationes eorum, secundum patroecias eorum*, « *accincti ad proelium viri fortissimi triginta sex millia; multas enim habuerunt uxores et filios* ». Merito haec adscribuntur, nam (v. 2) 22,600 : 6 = 3766, (v. 4) 36,000 : 5 = 7200 : est ea cognatio numerosissima.

v. 5 « *Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt* », uti patet item in censu Davidis v. 2. Quinam sunt *fratres eorum*, sc. virorum v. 2-4, quorum numeri adscribuntur? nonne *Phua, Iasub, Simeron* v. 1? In quot cognationes hi effloruerint, non edocemur. Si hi habuere 87,000 bellatorum, ergo summa bellatorum Issachar fuit 22,600 + 36,000 + 87,000 = 145,600, numerus ingens tribus non habentis fines latiores; quibuscum conferas v. 7.9.11 summam Beniaminitarum 59,434 ex eodem, uti videtur, censu derivatam. Sed expressio *fratres eorum quoad universas cognationes Issachar* potest accipi ut summa totalis Issacharitarum : unde pro Phua, Iasub et Si-

meron relinquuntur 87,000 — 22,600 — 36,000 = 28,400 (*Net.*). Reapse extremo v. 5 habetur vox לכל, *summatim*, traditur summa totalis omnium Issacharitarum.

Filii utique sunt filii, at simul *cognationes* : id inde etiam infero, quod v. 3 Izrahia cum 4 filiis efficiat summam 5; non est ea summa filiorum, sed cognationum. Tamen non intendit auctor tradere *elenchum completum cognationum*, cum Phua, Iasub, Simeron, quibus tribuit viros armatos certe 28,400, credendi sint in plures effloruisse cognationes. Genealogia primogeniti Thola desinit in primogenitum *Michael*, cuius filium coniicio esse *Amri filium Michael* (27,18), qui sub Davide exstitit princeps tribus Issachar. Unde coniicio, auctorem duobus usum esse fontibus : censu Davidis, qui habebat cognationes et numeros bellatorum, et genealogia viri insignis Amri. Non videtur usus esse documento Davide antiquiore.

P. 14 suggerebamus, post genealogiam Issachar excidisse GENEALOGIAM ZABULON Gen. 46,14 : « Filii Zabulon : Sared et Elon et Iahelel. Filii Liae » (v. i. v. 13).

VI. GENEALOGIA BENIAMIN 1 PAR. 7,6-11.

Arg. — E censu Davidis recensentur cognationes, quae e duobus filiis Beniamin, Bela et Bechor, itemque quae ex Iadihel patre Gabaon natae Davidis tempore florebant. Bellatorum fere tertia pars Gabaonitae erant, qui sacra Hebraeorum susceperant.

Etiam haec e *censu* aliquo esse derivata, prodit v. 9 vox והתיחשם; derivata esse ex eodem *censu Davidis* prodit conformitas stili et structurae cum genealogia Issachar : adscripta numeralia v. 6 sq. uti v. 1.3, adscriptae summae bellatorum, laudes virorum iisdem expressionibus v. 7. 9.11 atque v. 2:3.4.5.

v. 6 « [*Filii*] *Beniamin* » : — vocem *filii* solus ignorat *Hebr.*, quae excidit ob nomen Beniamin habens initio easdem quatuor literas בני; facilius excidebat, si una ante illam excidebat genealogia Zabulon (v. s.). — « *Bela et Bechor et Iadiel, tres* ». Alii praeterea Gen. 46,21; Num. 26,38 sqq. filii Beniamin recensentur, de quibus v. p. 164 sqq. Adscribitur vero h. l. tertius filius Beniamin *Iadiel* ידיעאל, qui alibi desideratur, sed idem sit oportet cum eo, cuius nomen 8,29 quidem excidit, sed 9,35 legitur *Iahiel*, יעיאל, et ornatur titulo « pater Gabaon ». *Gabaonitae* ad fidem conversi et intra fines Beniamin incolentes necessario recensendi erant in genealogia Beniamin (cf. Hariph 2, 51). Explicatur porro posteritas *Bela* v. 7, posteritas *Bechor* v. 8 sq., posteritas *Iadiel* v. 10 sq.

v. 7 « *Filii Bela : Esbon et Ozi et Oziel et Ierimoth et Urai, quinque, principes familiarum et ad pugnandum robustissimi, numerus autem eorum viginti duo millia et triginta quatuor* ». Admirationem faciunt isti *quatuor*, cum hae summae infra decades, imo ut plurimum infra centurias non descendant. Nomina plane differunt a nominibus filiorum Bela 8,3 sqq.; Num. 26,40 : sc. non sunt nomina filiorum a Bela immediate genitorum, sed mediate (*Calm.*); sunt nomina *cognationum* (*Oe.*), quae tempore Davidis florebant. Quam opinionem confirmat numerus 22,034, qui certe non est filiorum a Bela immediate genitorum.

v. 8 « *Porro filii Bechor : Zamira et Joas et Eliezer et Elioenai et Amri et Ierimoth et Abia et Anathoth et Almath, omnes hi filii Bechor* ». *Anathoth* et *Almath* sunt nomina urbium, et *sacerdotibus* quidem attributarum 6,60. Cum eae urbes haberent duarum tribuum incolas, incolae beniaminaei in elencho Beniaminitarum vocantur nominibus suarum urbium. Explica : Anathothitae et Almathitae ii, qui Beniaminitae erant. Quod rursum est argumentum, recenseri *cognationes*, non individuos viros. Quaeres, cur non item v. 8 habeat tertiam urbem sacerdotum *Gabee*? Eratne Gabee Bechoritarum? Praeterea, quod incolae beniaminaei Anathoth et Almath harum urbium nominibus vocentur, non ideo incolae beniaminaei Gabee nomine Gabee vocandi fuere. v. 9 « *Numerati* » — *relati in elenchum* Davidis — « *sunt autem per familias suas, principes cognationum suarum ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti* ».

v. 10 « *Porro filii Iadihel : Balan. Filii autem Balan : Iehus et Beniamin et Aod et Chanana et Zethan et Tharsis et Ahisahar* ». Non confundenda cognatio *Aod* cum viro Aod Iud. 3,15, qui fuit de stirpe Gera. Sed quis *Balan,* cuius nomen non habetur 8,30; 9,36 inter filios Iadihel? An filius a Iadihel *immediate* genitus? Sed cur unicus hic filius immediate genitus recenseatur, cum alia nomina omnia non sint filiorum immediate genitorum, sed cognationum aevi davidici? Sc. *Gabaonitae Nathinaei* non fuere recensendi in elencho virorum armatorum, quia uti Levitae eximebantur a militia. Neque *omnes* Gabaonitae, i. e. tetrapoleos gabaonitae incolae, facti sunt Nathinaei. Qui non adscripti sunt Nathinaeis, erant cognationes v. 10[b]; hi omnes ex una communi stirpe *Balan* prodierant, quae *quando* e posteris Iadihel effloruerit nescimus. Eratne una item communis stirps Nathinaeorum? Hi fortasse appellabantur nomine Abdon, qui 8,30; 9,36 vocatur « primogenitus » Iadihel. v. 11 « *Omnes hi filii Iadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem et septem millia et ducenti ad proelium procedentes* ».

v. 12 « *Sepham quoque et Hapham filii Hir* ». Perperam *LXX* ante *filii Hir* inserunt copulam. Sensu obvio verba utique spectant ad genealogiam Beniamin. Id confirmant nomina שפם et חפם, quae eadem habes v. 15 שפים et חפים; *LXX R* utrobique Σαπφιν et Ἀπφιν. Eadem habes Num. 26,39 שפופם et חופם, ubi a שפופם derivatur familia שופם, quare conieceris illud שפופם emendandum esse in שופם. Quod idem nomen Gen. 46,21 errore scribitur מפים (cf. CG p. 571), adiunctum habens חפים. Quibus omnibus locis cum designentur Beniaminitae, ergo *Sepham et Hapham h. l. indubie sunt Beniaminitae*.

Porro secundum Gen. 46,21 Sepham et Hapham sunt *fratres* Bela et Bechor, secundum Num. 26,39 sunt *filii* a Bela mediate geniti; quae duo minime pugnant inter se, cum filius possit esse frater latiore sensu. Verum haec immediate illud consequitur, in textu, qualis nunc est, v. 12ª accipiendum esse ut genealogiae v. 6-11 *appendicem*. Quae genealogia v. 6 annuntiat sermonem haberi de Bela, Bechor, Iadihel; v. 7 agit de Bela, v. 8 sq. de Bechor, v.10 sq. de Iadihel. Sepham et Hapham certe non sunt filii Iadihel ideoque neque post v. 11 expediendi; de filiis Belae agebatur v. 7. At neque in v. 7 relegandi sunt Sepham et Hapham, cum filii Belae v. 7 sint *cognationes* aevi davidici, Sepham et Hapham sint *viri* aevo davidico longe anteriores (cf. v. 15). Erit igitur v. 12ª *appendix* leviore contextu genealogiae adscripta. Cur ea adscribatur, collige e v. 15 : explicat ea virorum v. 15 originem.

At quis *Hir*, עיר, cuius *filii* iidem scribuntur v. 12ª? Vix credi potest Hir ortum esse corruptione nominis Beniamin : nimis dissimilia sunt ea duo nomina. Initio cap. 8 demonstrabimus, Sepham et Hapham esse filios Ahod v. 6, אחוד, quod nomen v. 4 corruptum legitur Ahoe, אחוח. Cum igitur tam 7,12 quam 8,6 exprimatur *pater* Sepham et Hapham, et formae אחד et אחר (Aher 7,12ᵇ) literis ד et ר simillimis dicendae sint esse unum idemque nomen, ergo verba v. 12ᵇ *filii Aher* transferenda sunt in v. 12ª : *Sepham et Hapham filii Aher*.

Ceterum non consuevit collector uni genealogiae aliqua inscribere ad explicandam alteram genealogiam. Quare mihi probabilius videtur, v. 15 primitus habuisse haec : Machir vero sumpsit uxorem sororem Hapham et Sepham, Sepham vero et Hapham fuere filii Aher. Cuius sententiae altera pars ex aliquo apographo forte excidit, dein margini ab aliquo est restituta, ac tandem e margine in textum translata est loco non suo. Plura de ea sententiae parte mox dicemus.

VII. GENEALOGIA DAN 1 PAR. 7,12ᵇ.

v. 12ᵇ « [*Et*] *Hasim filii Aher* », חשם בני אחר. Ignorant copulam

Hebr. LXX : novum veluti sermonis caput incipit. Quodsi Hasim affirmetur esse *filius,* pro בני, *filii*, scribendum erat בן, *filius*. Inscriptionem *Filii Aher* excipere potest singularis *Hasim* : sed in sententia *Hasim fuit filius Aher* oportet tam praedicatum quam subiectum scribi numero singulari. Certe non scribendum cum *LXX* בנו : *Hasim filius eius*, sc. *filius Hir*. In qua constructione non habet extremum nomen *Aher*, quo referatur.

Ceterum secundum ea, quae modo disputabamus, voces *filii Aher* transferendae sunt in v. 12ª : Sepham et Hapham filii Aher. Unde fere consequitur voces *filii Hir* e v. 12ª transferendas esse in v. 12ᵇ : Hasim filii Hir. Quis igitur *Hir*, עיר, inauditum nomen? et quis *Hasim*?

Unicus, quem sacri libri norunt, filius *Dan* scribitur Num. 26,42 שוחם, *Suham*, sed Gen. 46,23 transpositis literis חשים, *Husim*, idem nomen quod h. l. חשם, *Hasim*. Noster textus cap. 2-7 non habet genealogiam Dan, cuius tamen praetermittendae nulla apparet ratio. Dan et Nephthali erant *filii Balae*, concubinae Iacob, extremae vero genealogiae Nephthali v. 13 adscribitur *pluralis* « filii Balae ». Ergo cum *Calm.* iudico, v. 12ᵇ habere genealogiam Dan : uti v. 13 pro Nephthali describitur textus Gen. 46, 24 cum annexo « filii Balae », ita in v. 12ᵇ deformatus latet textus Gen. 24,23 : *Filii Dan* : *Hasim*, בני דן חשם.

Perspicis iam, quomodo natus sit noster v. 12. Is primitus habebat solam genealogiam Dan : *Filii Dan* : *Hasim*; ubi *Dan* corruptum in *Hir*, עיר. Conspiciebatur praeterea in margine incisum elapsum e v. 15 : *Sepham et Hapham filii Aher*. Hoc incisum ita e margine in v. 12 translatum est, ut illum utrimque circumplecteretur :

Sepham et Hapham — Filii Hir : — Hasim — *filii Aher*.

Vel dicas duo incisa deinceps scripta esse, sed corruptum *Aher* in *Hir*, et *Dan* in *Aher*. Ita habebis quidem duas pro una textus deformationes, sed praeservatum nativum in utroque inciso verborum ordinem.

VIII. GENEALOGIA NEPHTHALI I PAR. 7,13.

v. 13 « *Filii autem Nephthali : Iasiel et Guni et Ieser et Sellum, filii Bala* ». Recitantur filii plane uti Gen. 46,24; Num. 26,48-50. Sed additum *filii Bala* habetur *tantummodo* Gen. 46,25 : ergo e *Genesi* hauriebat suum v. 13 collector. Unde confirmatur eum indidem hausisse suum v. 12ᵇ.

IX. GENEALOGIA IOSEPH 1 PAR. 7,14-29.

1. *Genealogia Manasse* 1 *Par*. 7,14-19.

Arg. — Manasse genuit ex uxore Esriel, de quo porro silet genealogia, e concubina Machir, cui iura primogeniti obvenere. Hic duxit uxorem primam et tertiam, beniaminaeas sorores Maacham èt Meleketh, quae edidere prolem minus famosam. At secunda uxor, cuius nomen et origo in textu non iam habetur, genuit Galaad, qui factus est Manassaeorum omnium trans flumen princeps ac sensu politico pater. Distinguuntur Galaaditae, seu familiae quae trans flumen, a familiis quae cis flumen possessionem nactae sunt.

Documentum aliquas habet evidentes lacunas. Genealogia est ex antiquissimis, antiquas tradit historias et coniugia. Nomina igitur sunt *individuorum* hominum, at plura certe, fortasse omnia nomina, sunt etiam nomina cognationum. Cognationes Manassaeorum Num. 26, 29 sqq. enumerantur hae : Machir, Galaad, Iezer, Helec, Esriel, Sechem, Semida, Hepher. Habet genealogia haec Machir, Galaad, Esriel, Sechem, Semida, Hepher; Abiezer idem est qui Iezer; Helec, חלק, transpositis literis idem esse deprehenditur atque Leci, לחקי : habet ergo genealogia nomina illa cognationum omnia. Ex quo facto merito inferas, *voluisse* genealogiae auctorem simul demonstrare, quomodo e Manasse et Machir originem duxerint cognationes omnes. An porro ea nomina, quae Num. 26 non habentur (Phares, Sares etc.), postea ipsa quoque in distinctas effloruerint cognationes, non liquet.

Cum igitur genealogia a viris *individuis* procedat ad *cognationes*, patet quomodo v. 17 viri etiam, qui non generatione prodiere e Galaad, vocentur *filii* Galaad. Vocantur ita *politice* : Galaado obsequebantur tamquam stirpis capiti, qui iidem ob eandem rationem Num. 26,29 sqq. simpliciter scribuntur filii Galaad. Imo Galaadi filiis ib. etiam accensetur Iezer seu Abiezer, qui h. l. cum suis fratribus Ishchud et Mohola videtur a filiis Galaad eximi. Rem explico ita. Cognatio Abiezer, e qua Gedeon, sortem nacta est cis flumen; item cognationes Ishchud et Mohola et filii Semida (v. i.). Tempore igitur Moysis (Num. 26) Machiritae omnes uni trans Iordanem parebant Galaado, erant filii Galaad omnes : at quando filii Meleketh et Semidae sedes cis flumen nacti sunt, ei cognationi non iam obtemperabant, facti sunt sui iuris, non iam habebantur filii Galaad. Vides, nostram genealogiam per tres generationes pertingere certe usque ad tempora Iosue.

Adverte, *Iairitas* non reperiri in genealogia Manasse, qui certe semper habiti sunt

filii Galaad. Quo confirmantur ea, quae 2,21 sqq. narrantur de eorum origine e patre iudaeo, atque legali in tribum Manasse cooptatione.

v. 14 « *Porro filius* » — *Hebr. LXX filii* — « *Manasse* : *Esriel, concubinaque eius syra peperit Machir patrem Galaad* ». Cum Machir (v. i.) revera habuerit *filium* Galaad, ergo ab hoc illustri filio vocatur *pater Galaad*, non immediate a *Galaaditide*, quam non potest demonstrari ipse subegisse, cuius *pater* appelletur Machir ita, uti Hur appellatur pater Bethlehem. Quod appellationis genus secus quoad solas urbes usuvenit : Galaaditis vero non erat *urbs*. Neque tota Galaaditis Machiritarum erat, sed sola eius dimidia pars. Verum p. 50 monebamus, bene potuisse eius viri stirpem, quando dimidiam Galaaditiden obtinuit, ab hac nomine appellari Galaad, similiter atque v. 8 duae cognationes beniaminaeae ab urbibus Anathoth et Almath nactae sint nomina; dein ipsum progenitorem nomine posteritatis suae a provincia vocari Galaad : stirps a regione subacta nacta sit nomen Galaad, idem nomen a stirpe in stirpis progenitorem fuerit translatum. Quo admisso, fateamur oportet nativum progenitoris nomen nos ignorare.

Hebr. post nomen *Esriel* habet verba אשר ילדה, *quem peperit*, post quae *Masor.* notant *lacunam*. Quae evidenter est in textu. Nam verbum ילדה *formae femininae* exigit *subiectum femininum*, quod subiectum cum opponatur *concubinae syrae*, necessario sit oportet *uxor non syra*. Textum restituo ita : *Filii Manasse* : *Esriel, quem peperit x*; *concubina vero syra etc.* Perperam *Net.* : Esriel, quem peperit concubina; aramaea vero etc. Masor. lacunam indicant non post sed ante *concubina*, post quam vocem Netelero supplenda erit *copula*. Si mulier prior scribebatur *concubina*, altera omnino scribenda erat *uxor aramaea*, non *aramaea* tantum. Ut concubina, quae filium ediderit famosissimum, scribatur *ante* uxorem, ferri potest : nequaquam vero, ut ante scribatur concubina, de cuius filio (Esriel) nihil penitus traditum habetur. Argumentum peremptorium Netelero videtur hoc : filio concubinae non obveniunt iura primogeniturae : atqui Ios. 17,1 Machir scribitur primogenitus : ergo non fuit filius concubinae. Respondeo, argumentum hoc a priori non eliminare sensum obvium textus, quem etiam professi sunt Masor. LXX Vulg. Manasse habuit filios, quantum novimus, duos tantum : quodsi eorum prior ob certam aliquam rationem iure primogeniturae excideret, filius alter, sive ab uxore sive a concubina esset prognatus, certissime accepturus erat primogeniturae iura. Textus confirmat quod alibi fuse exponebamus, Esriel ob aliquod delictum iure primogeniturae excidisse.

Omisso *Esriel*, cuius nulla posteritas recitatur, imo cuius frater Machir Ios. 17,1 « primogenitus » salutatur, explicatur genealogia Machir.

v. 15 « *Machir autem accepit uxores [filiis suis] Happhim et Saphan, et habuit sororem, nomine Maacha* ». Asperitates textus dissimulat Vulg. : dele *filiis suis*, Hapham et Sapham (v. 12) non fuere Machiri filii, sed Beniamini; pro *uxores* reliqui textus *uxorem*. Cur Machir ita movebatur paterno in eos, qui filii sui non essent, affectu ut illis uxorem sumpserit? Cur *duobus* sumpsit uxorem *unam*, non duas? Cur porro, suppresso eius *uxoris* nomine, docemur nomen cuiusdam *sororis* Machir? Factane est haec ipsa soror Maacha etiam v. 16 eiusdem *uxor*? *Syr.* post אשה additam habet unam vocem similis formae אחת : *uxorem unam,* cuius vocis mutata punctatione habebis hunc sensum omnino planum : *Et Machir sumpsit uxorem sororem Hapham et Sepham.* Deinde pro אחתו, *sororis eius*, corrige אחתם, *sororis eorum* : cuius vocis ם finale facile excidebat, sequente nomine מעכה incipiente litera מ. Ergo : *et nomen sororis eorum Maacha.* Iam plana sunt omnia. Machir uxorem duxit non aliis, sed *sibi.* Duxit uxorem primum *unam*, postea v. 18 etiam alteram. Haec unius viri uxor habuit *fratres duos* Beniaminitas : ergo ipsa etiam *Beniaminita* exstitit. Mulieris nomen *Maacha.* Adhibitis levibus correctionibus duabus, quarum unam tuetur Syr., alteram exigit contextus, textus aenigmaticus fit plane perspicuus.

« *Nomen autem secundi Salphaad, nataeque sunt Salphaad filiae* » tantum. *Salphaad* vir ille, de quo Num. 27;36. At evidens habetur *lacuna* : deficit nomen *primi*, respectu cuius Salphaad vocatur *secundus*. Neque Salphaad est filius *Maachae*, cuius filios habet v. 16; quodsi praeter hos filius Maachae erat Salphaad, scribi oportebat v. 16 : et peperit *iterum* (עוד) Maacha.

At illico exsurgit difficultas : *Salphaadi*, cum nullibi (cf. Num. 26, 33; Ios. 17,3) *fratres* commemorentur, neque facilius supponendi sunt h. l. in textu fratres esse recensiti : quinque filiae Salphaad propinquis nuptui datae non propagavere familiam aliquam Salphaaditarum, sed Hepheritarum (Num. 26,32). Ergo verba ושם השני, *et nomen secundi*, non referuntur ad *Salphaad*, lacuna incipit non ante sed post ea verba, initio lacunae supplenda est litera ת, quae excidit extrema voce השני (השנית) : *et nomen secundae.*

Monebamus supra, verba, quae nunc habentur v. 12[a] tamquam mera appendix genealogiae Beniamin, potuisse nativam sedem habere v. 15 : et Hapham et Sepham erant filii Beniamin, et nomen sororis eorum Maacha.

Habebat igitur lacuna nomen *secundae uxoris* Machir, quod excidit. Eratne haec secunda uxor Meleketh v. 18? Non erat : etenim habes v. 16 sq. filios Maacha, v. 18 filios Meleketh : sed habuisse v. 15 quaedam de aliis quibusdam posteris Machir, qui erant filii neque Maachae

neque Meleketh, docet ib. nomen *Salphaad*. Hi erant filii alius cuiusdam uxoris. Cur vero huius uxoris proles v. 15 *ante* prolem primae uxoris v. 16 sq. recensebatur? Quia ea uxor genuit *Galaad* (v. i.), filium prae ceteris Machiri filiis *famosum*, « qui fuit vir pugnator » instar patris sui : cf. Ios. 17,1 et CJ[1] p. 383.

Habebatne lacuna etiam nomen *tertiae uxoris* Meleketh? Id non sentio, secus in ipsa lacuna, non tandem v. 18, describenda fuit ea uxor fuisse « soror Maachae ».

Ergo lacunae priorem partem expleo ita : *et nomen secundae x. Peperit autem x...*

Nondum totam explevimus lacunam : superest demonstrandum, quomodo *Salphaad* cum Machir nectatur.

Constanter (Num. 26,29; 27,1; Ios. 17,1-3) affirmatur *Machir* genuisse *Galaad*, item *Galaad* genuisse *Hepher*, *Hepher* genuisse *Salphaad* : haec certe nomina legebantur in ea lacuna. Quod confirmat unicum, quod superest, nomen Salphaad; confirmat v. 14 Machiri epitheton « pater Galaad », et clausula v. 17 « Hi sunt filii Galaad ». At erat in ea lacuna etiam *Semida*, cuius nunc v. 19 *abrupta* mentio habetur : primitus sane textus v. 15 eius ad Machirum rationem explicabat. Semida certe non fuit Hepheri pater : cf. v. 19 et Num. 27,1; Ios. 17,3. Recensetur Ios. 17,2 post, Num. 26,32 ante Hepher. Fuit Hepheri *frater*. Alteram igitur lacunae partem restituo ita : *Peperit autem x Galaad. Filii Galaad* : *Semida et Hepher. Filii Hepher Salphaad etc.*

Post expeditam familiam Galaad, explicatur proles primae uxoris Machir : v. 16 « *Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen eius Phares; porro nomen fratris eius Sares : et filii eius Ulam et Recem* ». v. 17 « *Filii autem Ulam : Badan. Hi sunt filii Galaad filii Machir filii Manasse* ». Clausula haec v. 17^b refertur ad viros v. 15-17^a. Sed viri v. 19, qui ab hac clausula et ab hisce « filiis Glaad » eximuntur, *generatione* sunt filii Galaad : ergo v. 17 expressio *filii Galaad* sumitur *sensu politico*; viri v. 15-17^a omnes cum suis cognationibus in transiordanica sedes nacti ib. subordinati fuere cognationi Galaad, qui fuit Ios. 17,1 primogenitus Machir, ideoque Manassaeorum in transiordanica caput.

Clausula v. 17^b non refertur ad filios v. 18 sq., qui post illam scripti ab ea eximuntur, ideo sane quod sedes nacti sint in cisiordanica.

v. 18 « *Soror autem eius Regina peperit Virumdecorum et Abiezer et Mohola* ». *S. Hier.* quandoque (cf. 2,54 sq.; 4,22 sq.) indulget pruritui vertendorum nominum propriorum : filius ille vocatur *Ishchud*. *Abiezer* familiae caput Ios. 17,2; Iud. 6,34; 8,2, scribitur Num. 26,30

Iezer, LXX Ἀχιεζερ. At *cuius viri soror* peperit illos tres viros? Non soror *Manasse*, secus proles non Manassaeis accenseretur, sed tribui patris anonymi. Non soror *Machir*, dicendum enim fuit cui pepererit, cum Machir difficile credetur propriam duxisse sororem. Nomen etiam eius mulieris vix fuit *Hammeleketh* cum articulo, sed *Meleketh*. Ergo pro ואחתו המלכת, quod planiore scriptione ortum duxit a ואחת המלכת, lege ואחתה מלכת, *et soror eius*, sc. Maachae v. 16, *Meleketh peperit etc.*

v. 19 « *Erant autem filii Semida : Ahin et Sechem et Leci et Aniam* ». *Sechem* cf. Num. 26,31. *Leci*, לקחי, coniicio eundem esse atque ib. et Ios. 17,2 חלק, *Helec*.

2. *Genealogia Ephraim* 1 *Par.* 7,20-27.

Arg. — Primogeniti Ephraim Suthalae recensentur tres filii : Bared, Thahan et Leedan. Ezer et Elad, filii Ephraim, a Gethaeis interfecti sine prole decessere. In quorum locum genuit Ephraim patriarcha Bariam, qui habuit Saram filiam haeredem. Recensentur tres filii Thahan et progenies Leedan, ad quam pertinuere Elisama, qui tempore Moysis princeps fuit tribus Ephraim, et Iosue.

v. 20 « *Filii autem Ephraim : Suthala — Bared filius eius, Thahath filius eius, Elada filius eius, Thahath filius eius, huius filius Zabad* », v. 21 « *et huius filius Suthala — et* [*huius filius*] *Ezer et Elad* ». Vidimus vocem בנו, *filius eius*, nominibus propriis in genealogiis affixam, modo designare *successivas* generationes (v. g. 3,10-14 ; 5,4-6), modo *plurium communem originem* e primo seriei nomine (v. g. 6,20 sqq.). Post interemptos porro viros v. 20.21[a], omnes vel aliquos, superstes erat v. 22 Ephraim patriarcha : ergo v. 20.21[a] non agitur de novem generationibus *successivis*. Tria nomina *non* habent adscriptum בנו : Suthala I, Ezer, Elad : hos censeo esse ab Ephraim *immediate* genitos, reliquos esse filios Suthalae I.

Quorum perpendenda sunt *nomina*. Insuetum est, in una genealogia tot nomina *repeti* : habes Suthala bis, Thahath bis, Elada et Elad, idem duplici forma nomen. Praeterea tribuum genealogiis consuevere praefigi *nomina filiorum patriarcharum*, quae habentur Gen. 46 et Num. 26 : ita 2,3-5 ; 4,24 ; 5,3 ; 6,1-3 ; 7,1. 6. 14. 30 ; in solo Gad haec omittuntur, qui non habet genealogiam propriam, sed una cum Ruben expeditur. Exspectaveris, idipsum fieri quoad Ephraim. Num. 26,35 sq. habes filios Ephraim : *Suthala*, *Becher*, *Thehen* ; filium Suthalae *Heran*. Haec nomina habentur etiam h. l. Habes *Suthalam*. Nomen *Bared*, ברד, Βαραθ, Ῥααμ, *Syr.* בכר, facile concedes idem esse cum *Becher*, בכר, ob similitudinem literarum. Habes *Thahath*, תחת,

Θααδ, Θααθ, nomen idem atque *Thehen*, תחן, Ταναχ. Habes etiam nomen *Heran*, in quo versiones perperam omisere ל initiale : לערן. Memento, ר et ד constanter confundi, et ן facile addi nominibus, et videbis לערן et אלעדה, *Leeran* et *Elada* esse unum idemque nomen. Quae quatuor nomina in nostro elencho occurrunt *bis*, sed *ordine inverso :*

1 שותלה — 2 ברד — 3 תחת — 4 אלעדה
5 תחת — 6 זבד — 7 שותלה — 9 אלעד.

Idem nomen sunt ברד et זבד, *Bared* et *Zabad*; unicam quippe diversam habent literam, et nominibus iisdem utrimque concluduntur.

Censeo, nomina 5,6,7 esse delenda. Quae tria nomina scriba aliquis in quodam apographo repererit *inverso ordine* scripta : rem notatu dignam, si ipse arbitraretur nomina scribi ordine *geniturae*. Ergo haec tria nomina, quo ordine reperit, adscripsit margini apographi sui, unde ab alio in textum translata filios tres fecere filios sex. Praeterea לערן vel לעדן, ob similitudinem nominis 9 אלעד, *deformabatur* in אלעדה : sed genuinam formam fuisse לעדן, doceris v. 26 : לעדן.

Igitur textum v. 20 sic emendo : *Filii Ephraim* : *Suthala* : *Bared filius eius, Thahan filius eius, Leedan filius eius*. Habes *eadem* nomina omnia atque Num. 26,35 sq. Dices, ibi Suthalam, Bared, Thahan scribi filios Ephraim, Leedan filium Suthalae; hic solum Suthalam dici filium Ephraim, reliquos filios Suthalae. At nulla in his habetur contradictio : Bared et Thahan vere fuere filii Ephraim, mediate geniti. Ibi habes elenchum *cognationum* : Suthala, Bared, Thahan erant tum tres cognationes plene constitutae, ergo ex aequo filii Ephraim; cognatio Leedan nondum ita plane fuerit tum constituta, ergo scribebatur, quod ceteroqui etiam genealogice verum erat, filius Suthala. E contra h. l. v. 20 sq. nomina habentur non tam cognationum quam *virorum*, quorum fratres vel patrui trucidantur : ergo accuratius exprimitur ratio genealogica.

Ezer et *Elad*, qui non habent adscriptum *filius eius*, neque sunt filii Suthalae, sed Suthalae fratres et *filii Ephraim*. Qui duo *soli* narrantur v. 21 esse interempti. Auctor *primum* recenset Suthalam primogenitum, eiusque illico describit familiam ; *dein* recenset Ezer et Elad, eorumque refert fatalem exitum ; *tandem* recenset eorumdem fratrem Beriam, eiusque unicam filiam commemorat. Certo ordine res tractat.

« *Occiderunt autem eos* », sc. Ezer et Elad, « *viri Geth indigenae, quia descenderant, ut invaderent possessiones eorum* ». Pro *indigenae*, *Hebr.* : *nati in regione*. Intra ipsos Gethaeorum fines, quo praedationis ergo descenderant, interfecti sunt illi viri. De situ *Geth* cf. CJ[1] p. 295, quam collocamus haud procul Ascalone, occidentem versus

vergentem ad meridiem. E voce *descenderunt* intulerunt aliqui vel ante Moysen familiam Ephraim in montibus Ephraim consedisse. Nota, haec acta esse superstite patriarcha Ephraim : quo tempore Ioseph a Pharaone summo honore habebatur, et aliqua Pharaonis filia 4,18 hebraeas nuptias non respuebat, potuit utique Pharao Ephraim filium Ioseph constituere cuiusdam Chanaanitidis provinciae praefectum, ducemque expeditionis praedatoriae in Gethaeos suscipiendae, cum exercitu non necessario e solis Hebraeis collecto. Eiusmodi expeditiones bene multas monumentis testibus Aegyptii suscipiebant. Cf. *Fl. de Moor* : Hébreux Palestiniens prémosaïques, Extrait de la Science Catholique 1895.

v. 22 « *Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, et venerunt fratres eius ut consolarentur eum* ». v. 23 « *Ingressusque est ad uxorem suam, quae concepit et peperit filium, et vocavit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus esset* ». Alii etiam nomen habuere *Beria,* v. g. v. 30 filius Aser. Nominis explicatio mnemoneutica est, non etymologica. *Hebr.* : *quia in malo fuit in domo eius.* Verbum היתה est feminini generis. Ergo aut interpretare abstracte : *in malo factum est,* aut verius refer ad uxorem Ephraim : *in malo fuerat illa in domo eius*, sc. *Ephraim* qui *vocavit* puerum. Pro malo caedis duorum filiorum recepit bonum, filium. Hic Beria diversus est a Beria 8,13 Beniaminita. Contextus certe suadet, hanc unam uxorem fuisse duorum filiorum interemptorum matrem.

v. 24 « *Filia autem eius fuit Sara, quae aedificavit Bethhoron inferiorem et superiorem* » (CJ[1] p. 231) « *et Ozenzara* », אזן שארה, *auris Sarae*, nomen a Sara derivatum itemque, uti videtur, a loci conformatione. Ubi fuerit ea civitas, ignoramus. *Aedificavit*, i. e. munivit; non post, sed ante Moysen, Bethhoron sc. nequaquam attributa est tribui Ephraim. Sarae marito procuravit sane Ephraim praefecturam aliquam in Chanaanitide, qui strenue, uti videtur, agens pro Pharaone munivit validissimum Ascensum Bethhoron. *De Moor* : Un épisode etc. p. 17 facit Saram Ephraimi filiam, non neptem. Sed, licet extremum suffixum v. 23 (בביתו) referatur ad *Ephraim*, tamen Sara exstitit filia non Ephraim, sed *Beriae*. Oportuit aliquid dici de posteritate Beriae. Quem filium Ephraim sibi quaesierat, solatium caedis duorum filiorum. Tenue nactus est solatium, cum filius ille non ediderit nisi *filiam unam* ideoque haeredem.

v. 25 « *Porro filius eius Rapha et Reseph et Thale, de quo natus est Thaan* ». *Hebr.* : *Rapha filius eius et Reseph et Thale filius eius et Thaan filius eius. LXX R* post Thale : pro בנו, *filius eius et*, בני, *filii.* v. 26 « *Qui genuit Laadan; huius quoque filius Ammiud, qui genuit*

Elisama », v. 27 « *de quo ortus est Nun, qui filium habuit Iosue* ». *Hebr.* : *Laadano filius eius, Ammiud filius eius, Elisama filius eius, Iosue filius eius.* Sed quo haec spectant? Non sunt filii *Beriae*, quia filii Beriae non fuere recensendi *post* sororem Saram Non sunt filii *Ephraim,* id enim debuit distinctius exprimi. Absolutus est v. 20 sermo de filiis a *Suthala* immediate genitis, sed nequaquam repugnat indoli genealogiae, ut ei aliquid ad calcem adscribatur de filiis a Suthala mediate genitis. Qui uni supersunt, de quibus aliquid dicatur, cum Ezer et Elad posteritate caruerint, et Beria non habuerit nisi filiam haeredem unam. Adverte porro, v. 25 sq. duo e nominibus v. 20 filiorum Suthalae : *Thaan* et *Laadan,* quae demonstrabamus eadem esse atque *Thahath* et *Elada.* Ubi primum porro huiusmodi catena nominum propriorum desiit intelligi, pronum fuit uni alterive nomini quod non habebat adscriptum בנו, adscribere eam voculam, quam reliqua nomina adscriptam haberent. Cuius rei exemplum v. 21 habet Vulg. Igitur v. 25, admissa lectione LXX R et omissis duobus בנו, habes hunc textum :

ורפה ורשף ותלח בני תחן
Rapha et Reseph et Thale filii Thaan.

v. 26 cum Hebr. LXX R scribe ל ante לעדן, et omitte primum בנו :

ללעדן עמיהוד בנו אלישמע בנו נון בנו יהושע בנו
Laadano Ammiud filius eius, Elisama filius eius, Nun filius eius, Iosue filius eius.

Sensus ita est planus ut verus non esse nequeat : v. 25 adscribuntur tres filii *Thahan filii Suthalae*, v. 26 sq. quatuor filii *Laadan filii Suthalae.* Nota, hos quatuor *ex aequo* scribi filios Laadan, dum aliunde compertum habemus, Elisama esse filium Ammiud (Num. 1,10), et Iosue esse filium Nun. Unde licebit nobis inferre Ammiud et Nun fuisse fratres. H. l. non discernuntur filii a Laadan immediate et mediate geniti.

3. *Possessio domus Ioseph* 1 *Par.* 7,28 sq.

Arg. — Antiquitus domus Ioseph, Gaza usa tamquam firmissimo munimento et cum Aegypto vinculo, monti Israel praeerat usque Bethsan, atque pro Pharaone tributa exigebat.

v. 28 « *Possessio autem eorum et habitatio : Bethel cum filiabus suis : et contra orientem Noran, ad occidentalem plagam Gazer et filiae eius, Sichem quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus eius* ». Possessionem *eorum* intelligi possessionem tam Manasse quam Ephraim, inde inferas quod eadem possessio v. 29 describatur

a latere Manasse. *Noran*, נערן, censent esse eandem atque נערה Ios. 16,7 (CJ[1] p. 376), ubi postea fuit terminus Ephraim orientem versus. עזה audacter verte *Gaza*, *LXX R* Γαζης, urbs aliquando philisthaea, aditum Chanaanitidis pandens Aegyptiis. Utique manuscripta quaedam hebraea e melioribus legunt עיה, nomen loci ignotum, *LXX L* Ἀδια, *Syr.* עבת. Sed quis non videt has lectiones facile ortum duxisse ex admiratione lectionis Gaza? Describitur nobis sc. pagus aliquis, cuius centrum Bethel, pertingens ad orientem usque Noran, ad occidentem usque Gazer, ad aquilonem usque Sichem, ubi erat ager quem dedit Iacob Manassae et Ephraim, ad austrum (*Oe.*, *Net.*) *usque Gazam*. Rem plane mirabilem, describi fines Ioseph a parte Ephraim pertingentes usque Gazam! Atqui perpendas describi fines non a Iosue concessos domui Ioseph, sed non ab alio sane quam a Pharaone tempore virorum v. 20 sqq. Nihil praeter nudam genealogiam v. 27 de Iosue habet contextus, neque secus hae genealogiae eos fines describunt, quos concessit Iosue.

Nonne v. 20 distincte affirmatur familia Ephraim eo patriarcha superstite fuisse in Chanaanitide? Nonne familia Iacob exsequias patriarchae Iacob celebravit in Chanaanitide velut in terra sua, ita tamen ut Gen. 50,11 ab indigenis appellarentur « Aegyptii »? Et ubinam tandem Manasse sibi comparavit illam Ios. 17,1 bellicam laudem, nisi in Chanaanitide, ante exodum (cf. CJ[1] p. 383)? Neque tamen totus ille a Sichem ad Gazam tractus *Iosephitis* parebat : erat Geth suis legibus vivens, erant sine dubio civitates aliae non ignobiles, erant « indigenae terrae ». Quos Aegyptii in Chanaanitide et alibi non consuevere *exstirpare,* sed constitutis praefectis et praesidiis retinere in obsequio. Obtinebant Hebraei urbes v. 28 sq. enumeratas; praeter quas Sara munivit Bethhoron et Ozensara, munivit inquam Pharaoni. Neque fortasse soli in Chanaanitide tum reperiebantur *Iosephitae,* sed *aliarum etiam tribuum homines*, Rubenitae, Simeonitae. Ioseph constitutus fuerat a Iacob patriarcha *princeps* : principi vero attribui consuevere, quicunque in *subditorum* potestate sunt fines. Non totam illi terram suis familiis tum diviserant colendam, sed *praefecti urbium* erant a Pharaone constituti, habentes sub se *praesidia Aegyptiorum* et imperantes « hominibus in terra natis » atque ab illis tributa exigentes pro Pharaone. Neque, si quae aliis temporibus facta fuere in mente habeas, dubitabis eos, Aegyptiis aliisque gentibus permixtos, plurimum defecisse a cultu Dei sui aviti atque superstitionibus esse depravatos.

Putasne patriarcham Ioseph, quando summa rerum in Aegypto potiebatur, passum esse suos omnes permanere in humili pastorum statu? Suos omnes, inquam. Nam aliquas, fortasse plerasque tribus perman-

sisse in terra Gessen rei pecuariae addictas, lubens concesserim. At nequaquam ipsa domus Ioseph. Profecto suam in Aegypto auctoritatem firmaturus erat Ioseph, collatis praefecturis filiis et fratribus suis. Nullibi utiliorem illi operam Pharaoni praestaturi erant quam in Chanaanitide, quam ipsi ante incoluissent, indigenarum linguam et indolem callerent. Sed non hoc modo statuerat Deus impleri oportere promissiones suas. Quare permisit, ut assurgeret « rex novus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph ». Quod fortasse factum est vel ante Iosephi mortem, cum secus nulla fuisset ratio cur non illico Ioseph in Chanaanitide sepeliretur Gen. 50,25. Quodque Hebraei fortasse minime dissimularent, sibi a Deo Chanaanitiden, quae tum erat provincia regni Aegyptiaci, promissam esse possidendam, id illis facile invidiam apud Aegyptios suscitavit (Ex. 1,9 sq.). Quibus permotus novus Pharao praefectos a praedecessore in Chanaanitide institutos revocavit, Hebraeos omnes reddidit rei pecuariae in terra Gessen, imo eosdem ad angarias adegit. Haec institutis Aegyptiorum sunt plane consona, neque est quod miremur ea h. l. in sacro textu haud obscure indicari.

v. 29 « *Iuxta filios quoque Manasse* », *Hebr.* : *a latere filiorum Manasse* : « *Bethsan et filias eius, Thanach et filias eius, Mageddo et filias eius, Dor et filias eius* ». Vides, cur Iosephitae a Iosue Ios. 17,11 extorserint, ut hae civitates ab Issacharitis et Aseritis transferrentur ad se : antiquum quoddam ius earum possidendarum praetendebant. Tractatur primus v. 14-19 primogenitus Manasse, dein v. 20-27 secundus Ephraim. Cuius illico urbes adscribuntur v. 28, dein Manassae v. 29, tandem clausula : « *In his habitaverunt filii Ioseph filii Israel* ». Quod nomen patriarchae Iacob scribi consuevit in his genealogiis : 1,34 ; 2,1 ; 5,1 (cf. 4,10 ; 5,26).

X. GENEALOGIA ASER 1 PAR. 7,30-40.

Arg. — Descriptis iis, quos pentateuchus habet, filiis et nepotibus Aser, traditur nepotis Heber genealogia, cuius filii in plures effloruere cognationes. Cuius imprimis nepos Supha plurimas edidit cognationes. Bellatores in censum nihilominus relati habentur pauciores, fortasse quod Aseritae multi inter Phoenices fortunam tentaverint.

Genealogiae initia tradere nomina virorum potius quam cognationum, patet ex adscripta v. 32 Suaa *filia*, cuius fratres utique fuere *viri individui*. At illud certe item intendit genealogia, tradere *elenchum cognationum*, quae erant tempore census, uti equidem puto, davidici. Admirationem facit comparatione tot cognationum *exiguus numerus bellatorum 26,000*. Probabilis explicatio mihi videtur haec, factum esse in Aseritis id, quod saepe fiebat in pagis montanis contei-

minis rebus publicis florentissimis. Venetae milites et nautas conducebant ex Illyria et Dalmatia, Galli milites ex Helvetia. Similiter Aseritarum plurimi apud Tyrios stipendia meruerint tamquam nautae, milites et in operibus mercaturae. Quandocunque rex Iuda milites conscriberet ex Aseritide, Aseritae plurimi procul aberant.

v. 30 « *Filii Aser : Iemna et Iesua et Iessui et Baria et Sara soror eorum* ». *Iesua* et *Iessui*, duae formae unius nominis : cf. CG p. 571. v. 31 « *Filii autem Baria : Heber et Melchiel* ». Cf. Gen. 46,17; Num. 26, 44 sq. « *Ipse est pater Barsaith* ». Cum tribuum septentrionalium nulli praeterea recenseantur *patres*, mirum est hunc unum scribi *patrem*, et urbis quidem ceteroqui ignotae. Offero coniecturam. Genealogiae ordiuntur a recensendis iis filiis, qui habentur Gen. 46. Hinc v. 13 ipsa verba Gen. 46,25 « filii Bala » describit. Non transcribit verba v. 22 « filii Rachel », quia septem item nomina filiorum Beniamin quae hoc nomen Gen. 46,21 praecedunt reticet. Verba « filii Liae » Gen. 46,15 adscribuntur filiis Zabulon : sed filii Zabulon in nostris elenchis desiderantur. Habent tandem Gen. 46,18 filii Aser adscriptum « filii Zelphae » : coniicio igitur h. l. הוא אבי ברזית ortum esse defigurato (אלה) בני זלפה.

v. 32 « *Heber autem* », primogenitus Bariae, « *genuit Iephlat et Somer et Hotham, et Suaa sororem eorum* ». Explicatur porro genealogia Iephlat v. 33, Somer v. 34, Hotham (v. i.) v. 35 sqq. v. 33 « *Filii Iephlat : Phosech et Chamaal* » — sed alii omnes *Bamaal* — « *et Asoth : hi filii Iephlat* ». v. 34 « *Porro filii Somer : Ahi et Roaga et Haba et Aram* ». Pro אחי ורוהגה iungo (cf. v. 39) אחיו רוהגה : *et filii Somer fratris eius*, sc. Iephlat. Habentur igitur filii non quatuor sed tres. v. 35 « *Filii autem Helem fratris eius : Supha et Iemna et Selles et Amal* ». Vox *fratris eius* parallela est eiusdem vocis v. 34, agitur de altero fratre Iephlat, unde perspicias nomina *Hotham* et *Helem*, חותם et הלם, eundem hominem designare, unum nomen ortum esse corruptione alterius.

Explicatur porro genealogia Supha, primogeniti Helem vel Hotham. v. 36 « *Filii Supha : Sue; Harnapher et Sual et Beri et Iamra* », v. 37 « *Bosor et Hod et Samma et Salusa et Iethran et Bera* ». יתרן, Ιεθρα; LXXL שלשה ויתרן = Σελεμσαν (!), quae tamen corruptio etiam demonstrat ultimam nominis literam fuisse ν. Nomen idem est atque v. 38 Iether, יתר, Ἰεθηρ, Ἰεθραν. Explicatur genealogia Iethran vel Iether : v. 38 « *Filii Iether : Iephone et Phaspha et Ara* ». v. 39 « *Filii autem Olla : Aree et Haniel et Resia* ». Nullum ante v. 39 habetur nomen simile אלא, *Olla*, nisi forte nomen immediate praecedens, v. 38 ערא, *Ara*. Cf. *schema* p. 39.

v. 40 « *Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum. Numerus autem eorum aetatis, quae apta esset ad bellum, viginti sex millia* ». Numeri comparatione aliorum numerorum exigui : rationem v. p. 162. *Hebr.* : *capita patroeciarum selecta, fortes robore, capita principes, relati sunt in censum exercitus ad pugnam etc.* Habentur eaedem expressiones, atque in genealogiis Issachar et Beniamin petitis e censu davidico : *capita patroeciarum, fortes robore.* Quare opinor, eundem censum h. l. indicari. Sed adduntur expressiones aliae : *selecti, capita principes.* Voluit auctor aliqua addere in laudem Aseritarum et ad excusandum exiguum bellatorum numerum : erant pauci, sed selecti, ex opulentioribus omnes, ideoque melius armati quam aliarum tribuum gregarii bellatores. Quod est veri simile : qui minus opulenti erant, inter Phoenices stipendia merebantur.

C. Appendix genealogiarum duodecim tribuum 1 Par. 8.

Sequuntur, absoluto libro genealogiarum tribuum, cap. 8 genealogiae duae. Prior v. 1-27, maiorem v. 7 sq. lacunam habens, si nobiscum statuas Saharaim v. 8 initio exsilii in Moabitiden secessisse, pertingit ad 3am post eum virum generationem ; altera v. 28-40 item (cf. 9,2.35) procurrit usque ad tempus exsilio posterius. Utraque est beniaminaea, sed plane diversa a genealogia 7,6-11, quae recitat cognationes aevo Davidis florentes, dum genealogiae cap. 8 evidenter sint in eo, ut quarumdam familiarum post exsilium florentium originem accurate describant. Gabaonitae 8,28-40 recensentur ii, qui ortum ducebant ex Abdon primogenito Iedielis vel Iehielis, dum 7,10 eiusdem viri posteritas ex alio filio Balan describitur. Genealogia Belae 8,3-27 nullum habet nomen cognationum 7,7, nisi forte Oza, עזא 8,7 idem iudicetur esse atque Ozi, עזי 7,7, vel unum e nominibus 7,7 coniiciatur absorptum esse lacuna 8,7 sq.

Proponebamus p. 13 coniecturam, apographum genealogiarum cap. 2-7, quod aliis apographis praetulit collector, fuisse Belaitae cuiusdam, qui suo apographo libri genealogiarum tribuum adscripserit 8,1-27 genealogiam familiae patris sui et 8,28-40 genealogiam matris vel uxoris suae.

1. *Genealogia familiae cuiusdam Belaitae* 1 *Par.* 8,1-27.

Arg. — Enumeratis filiis Beniamin genealogia recitat primogeniti Bela filios et nepotes, ita ut cognationum omnium Gen. 46 et Num.

26 originem explicet. Inde, intercedente notabili lacuna, transit ad Saharaim Belaitam, qui tempore exsilii in Moabitiden secedens ib. e concubina factus est pater numerosae posteritatis, quae post exsilium consedit in Ono, Lod et Aialon, sed potissimum in Ierusalem.

Quaestio de numero et nominibus filiorum Beniamin obscurior, quam facilius elucidabis comparatis textibus Gen. 46,21 et Num. 26,38-40 cum textu 1 Par. 8. — F Bj = filii Beniamin, F B = filii Bela, FA = filii Aher (7,12) seu Ahod vel Ahoe (8,6.4).

		Bela	Bechor	Asbel	Ahara	Nohaa	Rapha
1 Par. 8,1	FBj :	בלע	בכורו	אשבל	אחרח	v. 2 נוחה	רפא
Num. 26,38	FBj :	בלע		אשבל			
Gen. 46,21	FBj :	בלע	בכר	אשבל			

		Addar vel Ared	Gera	Abiud	Abisue	Naaman	Ahoe vel Ahod
1 Par. 8,3	FB :	אדר	גרא	אביהוד	v. 4 אבישוע	נעמן	אחוח sed v. 6 אחוד
Num. 26,40	FB :	ארד				נעמן	FBj : אחירם
Gen. 46,21	FBj :	ארד	גרא			נעמן	אחי וראש (!)
1 Par. 7,12	:						אחר

		Gera	Sepham	Hapham
1 Par. 8.5	FA :	גרא	שפופן	חורם
Num. 26,39	FBj :		שפופם	חורם
Gen. 46,21	FBj :		מפים	חפים
1 Par. 7,12			שפם	חפם
1 Par. 7,15			שפים	חפים

Nulla habetur contradictio in eo, Gen. 46 et Num. 26 aliquos accenseri *filiis* Beniamin, qui h. l. scribantur *nepotes* vel *pronepotes* : sunt enim nepotes etiam et pronepotes filii latiore sensu seu mediate geniti; neque in eo, Num. 26,40 duos scribi Beniamini *nepotes*, qui h. l. demonstrentur fuisse *pronepotes*; sunt enim pronepotes latiore sensu nepotes; imo neque in eo, Num. 26,40 duos scribi *nepotes* qui vere *nepotes* fuerint, at simul v. 39 duos scribi *filios* (Sepham et Hapham), qui reapse fuerint *pronepotes*. Etenim Num. 26 non traditur proprie genealogia, sed *elenchus cognationum*. Aliud ibi non edicitur, nisi cognationes illas a pronepotibus prognatas ante factas esse sui iuris et cognationum v. 38 aequales, quam cognationes a nepotibus Addar et Naaman procreatas. Illud etiam habemus compertum, ordinem dignitatis cognationum, qui universim sequebatur ordinem originis, non semper permansisse immutatum. Ruben amisit primatum inter tribus, Ioseph iunior illum ad tempus obtinuit, Ephraim aliquando antevertit Manassen; Esriel, Machiri frater natu maior, redactus est

in ordinem filiorum Machir (v. p. 74 sq.), imo fratrum Galaad (Num. 26,29 sqq.).

Porro ex schemate supra descripto perspicies haec.

1) Indubia sunt nomina *Bela* et *Asbel*. Sed indubius item est *Bechor*, cum eius viri 7,8 sq. novem filii recitentur. Neque hic filius in completo elencho filiorum Beniamin erat omittendus. Ergo falsa 8,1 lectio בכורו, *primogenitus eius*, sc. Beniamini, licet Bela vere fuerit primogenitus. Corrigendum ובכר, et Bechor.

2) Atqui hinc illico apparet, ordinalia v. 1 sq. (« secundus » usque « quintus ») esse falso ideoque serius adscripta textui, quando iam irrepserat corrupta lectio בכורו. Quae induxit scribam aliquem in opinionem, filios recenseri ordine genituræ, quod fortasse verum est; at, cum Bechorum non iam deprehenderet in textu, fecit Asbel « secundum », qui erat tertius, et ita porro. Unde exsurgit suspicio, alibi fortasse etiam 1 Par. 1-9 eiusmodi numeralia esse serius adscripta neque semper vere.

3) Ahara 8,1 non videtur esse idem cum Ahiram, qui Num. 26,38 immediate ante Sepham et Hapham, et cum nomine corrupto אחי ראש, Echi-et Ros, quod Gen. 46,21 immediate ante eosdem et immediate post Naaman legitur. Quin potius Ahiram et Echi-et-Ros videntur esse idem, qui hinc inter Naaman, illinc inter Sepham et Hapham legitur 1 Par. 8,4, אחוח, Ahoe.

4) Habentur igitur 8,1 sq. tres filii Beniamin (Ahara, Nohaa, Rapha) et 8,3 sq. duo filii Belae (Abiud, Abisue), quorum nomina in aliis elenchis omnibus ignorantur. Suntne forte cognationes Abiud et Abisue absorptae bello internecino Iud. 18 sqq.? Pro Ahara vero, Nohaa et Rapha suggero haec. Recensentur ea tria nomina *extrema* inter nomina filiorum Beniamin; *extremi* alibi recensentur *non-Hebraei* in fidem Hebraeorum recepti; stirpes tres non hebraeae accensendae fuere Beniamino, sc. Ios. 9,17 Gabaon, Caphira, Beroth, nam Cariathiarim ib. Iudaeis accensebatur (2,51 Hariph) : coniicio igitur nominibus Ahara, Nohaa, Rapha designari incolas Hevaeos Gabaonis, Caphirae et Beroth. Coniecturam illud confirmat, non consuevisse cap. 2-7 in capitibus genealogiarum recenseri duodecim patriarcharum filios *alios* aut *plures*, quam habentur Gen. 46 et Num. 26. Quae videtur 6,7 eius regulae haberi exceptio, inde explicatur, quod voluerit ibi auctor censum Davidis secutus inter filios Beniamin locum assignare Iadiheli patri Gabaon. Eandem porro rationem scribendorum trium nominum fuisse h. l. adstruo. Obiicies 7,6.10; 9,35 patrem Gabaonis non vocari Ahara, sed Iaidel vel Iadihel. Respondeo primum, nomen Ahara legi semel tantum ac potuisse, uti alia 8,1-7, deformari. Respondeo praeterea,

nomina Ahara, Nohaa, Rapha non esse necessario accipienda ut nomina patrum urbium hevaearum, posse accipi ut nomina stirpium hevaearum. Ubi conferas nomen *stirpis* Rapha in eodem fere regionis tractu Ios. 17,15; cf. 2 Reg. 21,16.

5) Addar, אדר, certe est idem qui Hered vel Ared, ארד.

6) Gera 8,3 idem reperitur Gen. 46,21. Sed alter Gera v. 5 nullibi secus legitur. Cum v. 7 Gera legatur post Naaman et Ahia (= Ahoe), scriba aliquis existimaverit, etiam in genealogia v. 4 sq. scribi oportere Gera post ea nomina, atque ita alterum Gera inseruerit. Sed Gera v. 7 videtur idem esse atque Gera v. 3.

7) Naaman habent tres textus. Ahoe, אחוח, idem est atque Ahiram, אחירם, et Echi-et-Ros, אחי וראש; iidem sunt שפופן, שפופם, מפים et חורם, חפים; quos ad 7,12 docebamus eosdem esse atque שפם et חפם (cf. 7,15). אחיח demonstrabimus eundem esse atque Ahod, אחוד; est etiam idem atque Ahiram, אחירם, Echi-et-Ros, אחי וראש, et imprimis atque אחר.

a. Genealogiae pars prior 1 Par. 8,1-7.

Genealogiae pars prior habet factum antiquissimum, Belaitarum quorumdam de Gabaa in Cariathiarim emigrationem. An igitur adstruendum h. l. aliquod ex antiquis historiis excerptum? Id non necessario est faciendum. Nullarum rerum memoria in familiis certius perseverat *traditione orali*, quam memoria *locorum*, ubi habitaverunt, et *iniuriarum*, quas passae sunt.

Cap. VIII. Vel ipsa prima verba produnt, haberi documentum a cap. 2-7 diversum. Non scribitur *Filii Beniamin*, sed *Et Beniamin : genuit.* v. 1 « *Beniamin autem genuit Bale primogenitum suum* », — corrige *et Bechor* (v. s.) — « *Asbel secundum, Ahara tertium* », v. 2 « *Nohaa quartum et Rapha quintum* ». De *Ahara*, *Nohaa*, *Rapha*, Hevaeorum stirpibus, v. s.

Recitatis filiis Beniamin sex, soli recitantur filii primogeniti Bela. v. 3 « *Fueruntque filii Bale : Addar et Gera et Abiud* », v. 4 « *Abisue quoque et Naaman et Ahoe* », v. 5 [*sed*] *et Gera et Sephuphan et Huram* ». v. 6 « *Hi sunt filii Ahod* ». De nominibus dicebamus supra, uti etiam Geram II fortasse esse expungendum. Quem tamen si retinueris, eadem manet textus interpretatio. Sed quis *Ahod*, אחיד, 'Αὼθ? et quinam sunt *hi*? Dum אלה, *hi*, consueverit scribi de nominibus *antea* scriptis, ואלה, *et hi* (h. l.), scribitur de nominibus *deinceps* scribendis. Scribuntur porro v. 7 nomina Naaman, Ahia et Gera : at Naaman est certe filius non Aod, *ante* quem recitatur v. 4, sed Belae, idemque dicendum de Gera v. 3 et, secundum modum quo textum construunt

Masor. et versiones, etiam de altero Gera v. 5, si eum volueris in textu retinere. Rursum igitur quaero, qui sint filii Ahod et quis sit Ahod. *LXX L* mutant ordinem verborum : *Et hi sunt filii Ahod* : *Gera et Sephuphan et Huram.* Quae lectio si recipiatur, contextus manifestat, eundem esse Ahod, אחוד, atque v. 5 Ahoe, אחוח, nomina reapse simillima inter se. Extremus filiorum Bela v. 4 recitabatur Ahoe vel Ahod : v. 5 eiusdem viri recitat filios.

Deficit tamen ratio critica sufficiens pro mutando ordine verborum. Quare, ordine verborum haud mutato, primum אלה v. 6 interpretamur non pronomen *hi*, sed nomen proprium *Ela*. v. 3 sq. recensuerat auctor filios Belae, quorum extremus *Ahoe*; v. 5 sq. pergit : (*Et Gera*) *et Sephuphan et Huram et Ela, filii Ahod.* Rursus evidens est, eundem esse *Ahod* et *Ahoe*. Expeditis filiis Belae, explicatur posteritas extremi filii Belae. Textus servatur qualis est traditus, contextus est perspicuus et sensus clarus.

Sequens אלה refertur ad nomina praecedentia tria vel quatuor : *hi « principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath »*. De quo loco sito apud Cariathiarim, ubi arca e Philisthaea redux « requiem » nacta est, dicebamus ad 2,52.54. Gabaa Beniamin seu Gabaa Saul, nunc Tell el-Fûl. Translati porro sunt non solum illae tres vel quatuor cognationes filiorum Ahod : v. 7 « *Naaman autem et Ahia* », seu verius *et Naaman et Ahia. Ahia*, אחיה, scriptus post Naaman, et intime nexus illis tribus vel quatuor nominibus, nequit esse alius nisi rursum *Ahoe* seu *Ahod. LXX R* scribunt v. 4 et v. 7 Ἀχιά. Cur porro Naaman et Ahoe a reliquis v. 5 separentur constructione, ratio haec esse videtur, quod reliqui incoluerint Gabaam, Naaman et Ahoe alibi habitaverint : non soli Gabaitae emigrarunt. Emigravit autem cum eis etiam sexta vel septima cognatio : « *Et Gera ipse transtulit eos* », fuit emigrationis dux. Quem tanto libentius adstruo fuisse Gera v. 3, quod hic fuerit reliquorum frater natu maior et patruus, Gera v. 5 fuerit fratris filius, filius et frater, qui alios sequeretur potius quam duceret.

« *Et genuit* » Gera « *Oza et Ahiud* » עזא ואחיחד, nomina similia nominum Oza et Ahio, עזא ואחיו 13,7 ; 2 Reg. 6,3 sq., quae sunt nomina duorum virorum, qui arcam comitabantur de Cariathiarim. Noli tamen ea nomina confundere. Primum, Ahiud et Ahio sunt similia tantum, non eadem. Praeterea mox demonstrabimus haberi lacunam sat notabilem sive ante v. 8 sive ante v. 7b. Quodsi hoc alterum adstruas, vixere Oza et Ahiud non tempore Davidis sed prope exsilii tempus, neque iidem esse possunt cum viris 13,7. Imo in ea hypothesi neque constat aut Oza et Ahiud aut familias v. 8-27 derivari a *Gera* v. 7 ; potuere

v. g. derivari a Sepham vel Hapham v. 5. At omnino censeo omnes illas familias derivari a *Bela* v. 3 : censeo enim genealogiam v. 1-28 esse *unam* totamque concinnatam eo fine, ut origo imprimis stirpis *Baria* v. 13 sqq. describatur. Imo censeo eandem derivari ab una stirpium earum, quae secesserint in Manahath.

His anticipavimus quaestionem, quando Belaitae illi emigraverint. Adverte, verbum הגלה habere significationem sinistram *ducendi in exsilium* : Belaitae illi non sponte nativis finibus excessere. Sed exsilium h. l. non intelligitur babylonicum, quo Beniaminitae nequaquam abducti sunt in Cariathiarim. Non intelligitur tempus, quo vixere Sephuphan et Huram, seu Sepham et Hapham 7,15, ipseque Machir, nam eo tempore nulli cis flumen erant Hebraei, neque locus ille nomine Manahath vocabatur; Sephuphan et Huram h. l. non intelliguntur individui homines, sed cognationes.

Illa emigratio seu finium mutatio debuit fieri iubente aliquo, qui eius imperandae auctoritatem haberet aut certe sibi arrogaret. Non facta est a Iosue, qui illis viris attribuit Gabaam. Non facta est post bellum internecinum Iud. 19 sqq., quando Beniaminitae superstites non emigrarunt, sed 21,23 suas civitates reaedificarunt. Praeterea tum vix erant superstites Gabaitae aliqui, quae civitas invidiae causa fuisset. Sensus narrationis obvius est, cognationes illas non ante esse translatas ad locum illum, *cui a sanctuario nomen Manahath,* nisi *postquam* sanctuarium eo delatum loco nomen dedisset.

Porro habes in hac narratione nomen *Gabaa* Saulis. Patet Saulem, cuius cognatio ante fuerat « novissima inter omnes familias de tribu Beniamin » (1 Reg. 9,21), regem factum studuisse suae *cognationis* augere auctoritatem. Erat porro Saul de Gabaa et, quod ad v. 29 sqq. ostendemus, stirpis Iedihel seu *Gabaonita*. Incolebant Gabaam Gabaonitae aliqui, Belaitae fortasse plures. Crediderim igitur Saulem Belaitas iussisse Gabaa excedere, ut pagum latiorem attribueret cognationi suae. Licet porro Saul 13,3 arcam non « requireret », non multus esset in cultu eius sanctuarii, at occasione usus est ad Beniaminitarum suorum fines Iudaeam versus dilatandos aut certe accuratius definiendos. Quare censeo Saulem Belaitis agros attribuisse in Manahath, agros qui ante fortasse fuerint Gabaonitarum seu Hevaeorum ib. degentium. At licet ita quodammodo servaretur iustitia inter Gabaonitas et non-Gabaonitas, erat ea occasio querelarum Gabaonitis Cariathiarim, quibus agri videntur esse ablati sine compensatione ipsis reddita. Fuerit hoc pars aliqua earum querelarum, quas postea ad Davidem detulere Gabaonitae : « voluit Saul percutere eos zelo quasi pro filiis Israel et Iuda » (2 Reg. 21,2). Belaitis vero fuit illa translatio instar *exsilii*.

Ante v. 8 evidens habetur *lacuna*. Nomen Saharaim neque v. 1-7 legitur, neque ex ullo nominum ib. defiguratione ortum esse affirmari potest. Non perspicitur, quid negotii Saharaim habuerit in regione Moab. Sed lacuna non necessario collocanda est immediate ante v. 8, potest eadem collocari inter v. 7ª et v. 7ᵇ : cf. הליד v. 7ᵇ. 8 sq. 11. Textus primitus Ozam et Ahiud non derivaverit e Gera; textus fuerit fere hic : x genuit Saharaim et y; y genuit Oza et Ahiud; Saharaim vero etc.

Quaeres, *quanta* fuerit ea lacuna. Cum Saharaim (v. i.) statuamus vixisse tempore exsilii, et v. 6 sq. referamus ad tempus Saul, ergo excidit genealogiae pars a Saul ad exsilium, circiter duodecim generationes. Neque enim placet gratuito adstruere *longiorem* lacunam, quae et extrema genealogiae v. 1-7 absorbuerit, et initium alterius cuiusdam et diversae genealogiae, cuius altera pars habeatur v. 8-27. Quodsi 8,1-27 adstruas duas diversas, ideoque toto cap. 8 tres omnino genealogias, iam nullam probabilem demonstrare valebis rationem, cur hae tres genealogiae extra rhombum adscribantur : nos duarum adscriptarum genealogiarum probabilem proferebamus rationem.

b. Genealogiae pars posterior 1 Par. 8,8-27.

v. 8 « *Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim et Bara, uxores suas* ». מן שלחו אתם, *postquam dimisit eos*. מן temporale ante infin. est perquam rarum (cf. 2 Par. 31,10), significatione non *postquam*, sed *abinde*, *quando*. Pronomen אתם *masc.* non refertur ad *uxores*; neque ad *filios*, quos certe non *dimisit* primum et *genuit* postea. Abundat pronomen hoc, quod reapse suppressit *Vulg.* Pro אתם חושים, *eos Husim*, iunge את מחושים, *Mehusim*. De Mehusim filio agit v. 11, uti de *Bara*, בערא, agit v. 13 : *Baria*, בריעה. Ergo *filii* Mehusim et Baria, non *uxores*, et pro נשיו, *uxores suas*, corrige שניהם, *hos duos*. Quod numerale apte adscribitur, cum genealogia Mehusim et Baria inde a v. 11 fuse explicetur, dum filiorum v. 9 sq. nomina tantummodo describantur.

Inter nomen patris (Saharaim) et nomina filiorum (Mehusim, Baria) tanto magis exspectaveris aliquid tradi de *matre*, quod v. 9 tradat nomen matris reliquorum filiorum : ergo pro מן שלחו, quod nullum iam habet sensum, corrige מפלגשו, *de concubina sua*. Habes sensum planum : *Saharaim genuit in regione Moab de concubina sua Mehusim et Baria, hos duos*. Praemittuntur, uti alias quandoque, filii *concubinae*, quia de illis potissimum tractandum est auctori.

v. 9 « *Genuit autem de Hodes uxore sua, Iobab et Sebia et Mosa et Molchom* », v. 10 « *Iehus quoque et Seckia et Marma. Hi sunt filii eius,*

principes in familiis suis », seu *patroeciarum suarum*. Edocemur accurate, ubi filii concubinae habitaverint (v. 12 sq. 28), non vero, *ubi* habitaverint filii *uxoris*. Cuius nomen חדש, *nova luna*, nomen filii unius מלכם, *Molchom*, quod est nomen idoli Ammonitarum. Fortasse filii uxoris in regione Moab perstitere et patris haereditate ib. fruiti sunt, dum filii concubinae haereditatem sibi quaesiere cis flumen et pii Israelitae facti sunt. Ad quaestionem vero, quomodo Saharaim Beniaminita delatus sit *in campum Moab*, adverte hoc nomine, praeter Moabitiden propriam ad orientem Maris Mortui sitam, designari etiam transiordanica Ierichunti obiecta : Num. 21,20; Deut. 29,1 (28.69). Quo tempore Chaldaei evertere Ierusalem, Iudaeorum plures Ier. 40,11 confugere in Moabitiden, e quorum numero potuit esse Saharaim. Ipse Sedecias rex Ierichuntem versus 4 Reg. 25,4 conatus est Chaldaeorum manus evadere. Nomen Phahath-Moab (1 Esdr. 2,6; 8,4; 10,30; 2 Esdr. 3,11; 7,11; 10,14), « gubernator Moab », quod alicuius familiae iudaeae post exsilium proprium fuit, fere ostendit et Iudaeos in Moabitiden fugisse, et quosdam eorum ibi etiam prospere egisse.

α. Mehusim v. 11 sq.

Explicatur v. 11 sq. genealogia Mehusim. v. 11 « *Mehusim vero genuit Abitob et Elphaal* ». v. 12 « *Porro filii Elphaal : Heber et Misaam et Samad* », seu verius *Semer*. « *Hic aedificavit Ono et Lod et filias eius* ». Hae duae urbes nunquam commemorantur in antiquis libris, in recentioribus semper una, quia *prope* aberant ab invicem 1 Esdr. 2,33; 2 Esdr. 7,37; 11,34 sq. (35). לד est *Lydda*, Diospolis, nunc El-Ludd. אונו creditur esse Kafr-'Anâ ad aquilonem Lyddae vergentem ad occidentem (v. ad 4,14). Nomina neque reperiuntur in inscriptionibus cuneiformibus et hieroglyphicis. Ad quaestionem igitur, quando factae sint hae urbium aedificationes, coniecerit quis factas esse quo tempore 7,28 sq. Iosephitae ante Moysen praefecturis pro Pharaone in Chanaanitide fungebantur. Tamen documenta 7,14-29 et 8,8-28 sunt plane disparata. Neque videntur aedificationes factae esse tempore Iosue, cum Ono et Lod longius absint a finibus Beniaminaeorum, neque hi tradantur colonias extra fines suos misisse. Probabilior opinio, aedificationes factas esse a *reducibus de exsilio*, in quorum historiis solis illae urbes iterato commemorantur.

Dicebamus, v. 8 *praemitti* filios *concubinae* filiis *uxoris*, quia illustriores fuere ob numerosiorem editam prolem. Hinc, post enumeratos v. 9 sq. filios *uxoris*, transitur v. 11 sq. ad filios *primogeniti concubinae* Mehusim. Vel ex hoc induceris in suspicionem, v. 13 *Baria* בריעה

eundem esse atque v. 8 *Bara* (בערא), *alterum concubinae filium*. Cuius res explanantur v. 13-16, ubi legitur clausula « filii Baria » (בריעה).

β. Baria v. 13-28.

v. 13 « *Baria autem et Sama principes cognationum habitantium in Aialon* ». *Sama* (שמע) evidenter ad genealogiam hanc pertinet, estque idem atque v. 21 *Semei* (שמעי) : sed quomodo nectatur genealogiae, non liquet. Praeterea v. 18 habetur *Elphaal II*, utique diversus ab Elphaal I stirpis Mehusim, cuius filii a viris v. 17 sq. diversi enumerabantur v. 12 : sed quomodo Elphaal II genealogiae nectatur, non perspicitur. Sc. eius viri nomen excidit v. 13 : *Baria genuit Elphaal et Semei... et fratres eorum Sesac et Ierimoth* et reliqui v. 15 sq.; qui omnes sunt « filii Bariae ». Porro v. 17 sq. explicatur *genealogia Elphaal II*, v. 19-21 *genealogia Semei*, v. 22-25 *genealogia Sesac*, v. 26 sq. *genealogia Ieroham* seu *Ierimoth*. Habetur v. 8-28 genealogia una, articulata. *Aialon*, urbs Ios. 19,42 Danitis attributa, prope fines beniaminaeos. « *Hi fugaverunt habitatores Geth* ». Adverte, 2 Esdr. 11,33 Beniaminitis post exsilium praeter Lod et Ono attribui etiam *Gethaim*.

v. 14. « *Et Ahio* [*et*] *Sesac et Ierimoth* » — אחיו non esse nomen proprium *Ahio*, inde patet quod post eam vocem deficiat copula. Verte cum *LXX B et fratres eius*, sc. Semei, seu cum *LXX L* vere quoad contextum, *et fratres eorum*, sc. Bariae et Semei — v. 15 « *et Zabadia et Arod et Heder* », v. 16 « *Michael quoque et Iespha et Ioha, filii Baria* ».

Recensentur posteri Elphaal II primogeniti Baria : v. 17 « *et Zabadia et Mosollam et Hezeci et Heber* » v. 18 « *et Iesamari et Iezlia et Iobab, filii Elphaal* ».

Filius Baria secundus Semei vel Sama : v. 19 « *et Iacim et Zechri et Zabdi* » v. 20 « *et Elioenai et Selethai et Eliel* » v. 21 « *et Adaia et Baraia et Samarath, filii Semei* ».

Filius Baria tertius Sesac : v. 22 « *et Iespham et Heber et Eliel* » v. 23 « *et Abdon et Zechri et Hanan* » v. 24 « *et Hanania et Aelam et Anathothia* » v. 25 « *et Iephdaia et Phanuel, filii Sesac* ».

Filius Baria quartus Ierimoth, quem genealogiae structura perquam articulata demonstrat eundem esse atque v. 27 Ieroham : v. 26 « *et Samsari et Sohoria et Otholia* » v. 27 « *et Iersia et Elia et Zechri, filii Ieroham* ».

Sicut porro v. 10^b (v. p. 170) indicantur sedes virorum v. 9 sq., v. 12^b sedes virorum v. 11 sq., v. 13 sedes virorum v. 13^a, ita v. 28 describuntur sedes virorum v. 14-27. — v. 28 « *Hi patriarchae et cognationum princi-*

pes, qui habitaverunt in Ierusalem ». *Hebr.* : *Hi capita patroecciarum secundum generationes suas; capita ista habitaverunt in Ierusalem.* Quaeritur ad quos referatur pronomen *hi.* Refertur ad eos filios Bariae omnes, qui non affirmantur v. 13 habitasse in Aialon : ergo ad filios Bariae v. 14-16 eorumque posteros v. 22-27. Elphaal II et Semei habitavere in Aialon, fuereque ibi principes cognationum quarumdam : an solarum cognationum Elphaal II et Semei, ita ut cognationes ex his derivatae omnes v. 17-21 habitaverint in Ierusalem? Hanc explicationem utique fert textus, sed non cogimur v. 28 vocem *cognationes* ad solas istas duas cognationes restringere. Habitaverint item in Aialon cognationes v. 17-21. At non est auctor in describendis universis cognationibus e Saharaim procreatis. An nullae e septem filiis Hodes derivatae sunt cognationes? An stirps Mehusim habuit sex tantum cognationes, dum stirps Baria habuit quadraginta? Habuerint ergo Elphaal II et Semei filios alios, qui permanserint in Aialon, quorum nomina nobis non tradantur, sed describatur v. 14-27 ea tantum pars posterorum Bariae, quae in Ierusalem sedem fixerit : ita familiae omnes v. 14-27 habitaverint in Ierusalem. Id magis videtur consonare *consilio auctoris* demonstrandi distincte sedes eorum omnium, quos v. 11-27 recenset.

Extrema sententia v. 28 verbotenus eadem est atque extrema sententia elenchi 9,1-34, nisi quod haec unam vocem *leviticarum* addat : « Hi capita patroecciarum leviticarum secundum generationes suas, capita ista habitaverunt in Ierusalem ». Quam sententiam ibi excipit v. 35-44 eadem verbotenus genealogia Gabaonitarum atque 8,29-40, demptis duobus extremis versibus v. 39 sq. Non ideo primitus unum documentum fuere cap. 8 et 9, 1-34. Suggero sententias 8,28.29; 9,34.35 fuisse formulas adscribi solitas extremis post exsilium genealogiis, et potissimum extremis *genealogiis familiarum.*

Perspicis rationem, cur 8,39 sq. habeas *duos versus*, qui desiderantur extremo cap. 9. Sc. cap. 9 tradit elenchum familiarum, quae primae (9,2) post exsilium sedes fixere in Ierusalem et in Gabaon. Sed noster Belaita vixit nonnihil serius : quare transsumptae genealogiae Gabaonitarum 8,29-38 = 9,35-44 adscripsit v. 39 Esec fratrem Asel, et ex eo derivavit familiam Ulam, quam coniicio fuisse familiam matris vel uxoris suae.

Perspicis, cur nullum nominum 8,14-28 idem reperiatur 9,7-9. Sc. ibi traduntur familiae Beniamin, quae *primae* (9,2) post exsilium sedem fixere in *Ierusalem.* At id non fecit stirps Baria, quae *primum* 8,13 sedem habuit in *Aialon.* Cap. 8 et cap. 9 bellissime concordant.

2. *Genealogia familiae cuiusdam nathinaeae* 1 *Par*. 8,29-40.

Arg. — Iahiel vel Iadihel, aequalis Iosue, e filio quidem Balan 7,10 procreavit cognationes, quae tempore Davidis erant septem numero. E Maacha uxore hebraea beniaminaea habuit primogenitum Abdon, e quo prodiere cognationes illae, quae processu temporum factae sunt Nathinaei, ministri cultus divini. Quarum novissima Macelloth, post exsilium, et fortasse etiam ante illud, sedes nacta est in Ierusalem ; reliquae in pago Gabaon sedes habuere. E quorum numero fuit familia Saul regis, e qua originem duxit ea, quod coniicimus, mulier quae mater vel uxor exstitit possessoris apographi genealogiarum.

De Nathinaeis v. cap. 25. Documentum verbotenus idem habetur 9,35-44, ubi tamen desunt extremi nostri versus 39 sq.

v. 29 « *In Gabaon autem habitaverunt Abigabaon* ». E textu verbotenus eodem 9,35 disce, h. l. excidisse nomen viri *Iehiel*, יעואל, Keri יעיאל, Ἰεηλ, Ἰειηλ. Quem 7,6 statuebamus eundem esse atque *Iedihel*, ידיעאל, Ἰεδιηλ. Ceterum nomen Ἰειηλ h. l. habent *LXX L*. Igitur nomen viri non fuit *Abigabaon*, sed fuit hoc titulus honorificus, quod perspexere *LXX* h. l. et *LXX Vulg*. 9,35 : *pater Gabaon*. Vel hoc titulo inducimur, ut Iedielem attribuamus *aevo Iosue et Caleb*, quo uno videtur floruisse illud institutum patrum variarum civitatum : cf. CJ[1] p. 35 sqq. Quando Gabaonitae in deditionem venere Hebraeorum, sua servavere instituta : quorum principem aut principis filium patri successurum coniicio fuisse Iedielem. Vel potuere tum Hebraei, eo qui ante fuisset principe Gabaonitarum deposito, novum instituere principem Iedielem. Cum 2,51 nostra opinione Hariph pater Bethgader fuerit Gabaonitarum Cariathiarim incolentium pater, habuere sane etiam reliquae duae Gabaonitarum civitates Caphira et Beroth (Ios. 9,17) suos patres. At e 7,10 coniecerim, Gabaonem etiam post Iosuen fuisse totius tetrapoleos metropolin, ideoque patrem Gabaon Gabaonitis universis praefuisse. — E contextu cap. 9 omnino clarescit, *habitaverunt* affirmari de tempore *post exsilium*. Uti patet item ante exsilium Gabaonitae Gabaone habitaverunt.

« *Et nomen uxoris eius Maacha* ». Una haec commemoratur uxor, quod una fuerit *hebraea*, atque sine dubio *beniaminaea* : foedera quippe coniugiis firmari consuevere. Non traditur hanc *solam* uxorem habuisse Iediel aut ex ea sola procreasse liberos. Potuit 7,10 Balan esse alius, imo prioris uxoris filius. Ex eo, quod v. 30 Abdon vocetur *primogenitus Iedielis*, sequitur Abdon habuisse primogeniti iura, sed non sequitur ante Balan esse natum. Exsistebat tandem tempore Iosue

Gabaonitarum *gens*, et cum patre suo ad sacra Hebraeorum transivit. Potuit tota haec gens 7,10 exprimi nomine Balan filii Iadiel. Sed veri simillimum est, unam aliquam conditionem foederis cum Iosue initi eam fuisse, ut filius ex uxore *hebraea* nasciturus omnia primogeniti iura esset habiturus, futurus post patrem Gabaonis pater.

v. 30 « *Filiusque eius primogenitus Abdon* », natus ex matre illa hebraea, effloruit in distinctam a Iehiele familiam; « *et Sur et Cis et Baal et Nadab* ». Omnino cum *LXX* et 9,36 restituendum *et Ner*, quod etiam exigit v. 33. — v. 31 « *Gedor quoque et Ahio* », quod non est vertendum *frater* vel *frater eius* (*LXX*), « *et Zacher et Macelloth* ». Quod nomen h. l. ignorat *Hebr.*, sed exigitur a v. 32 et legitur 9,37. Suntne omnia nomina v. 30 sq. *cognationum* nomina? Non necessario. Ciš et Ner poteris interpretari eosdem individuos viros atque 1 Reg. 14,51, aevo Iosue longe posteriores. Non erat 8,30 sq. necessario tradenda genealogia ab Abdon ad Saul : qui enim post exsilium originem suam a Saul certo demonstrabant, eo ipso demonstratam habebant originem certe beniaminaeam. Illa nomina videntur esse aut individuorum omnia, aut partim individuorum et partim cognationum. Quot eorum individuorum postea in distinctas effloruerint cognationes, non liquet.

v. 32 « *Et Macelloth genuit Samaa, habitaveruntque* » *etiam isti* « *ex adverso fratrum suorum* » non-Gabaonitarum, « *in Ierusalem cum fratribus suis* ». Pronomen *isti* refertur ad cognationem Samaa, vel verius ad Macelloth et Samaa, cum Samaa forma certe sit nomen singulare; non ad cognationes v. 30 sq., cum v. 32 nova constructione nova incipiat sententia. Viri v. 30 sq. affirmantur habitasse in Gabaon, non in Ierusalem, et viri v. 33 voce *Ierusalem* v. 32 a Ierusalem excluduntur, vixeruntque ante captam ab Hebraeis Ierusalem. Sed cur *etiam isti*? Vox *etiam* non potest referri nisi ad *Beniaminitas* v. 14-27 : hi et etiam *Beniaminitae* Gabaonitae v. 32 in Ierusalem habitaverunt. Porro *Ber.* censet, eos habitasse *ex adverso* Beniaminitarum extra urbem incolentium et *cum* Beniaminitis intra urbem incolentibus : sed voci *fratres* bis in tam arcto contextu repetitae nequit diversus sensus attribui. Explico : habitabant *cum* fratribus suis, reliquis in Ierusalem Beniaminitis; at simul non plane cum iisdem confusi, sed *ex adverso*, puta interiecta quadam platea ab illis divisi. Videntur diversis tribubus et stirpibus sui post exsilium in Ierušalem attributi esse *vici*. 2 Esdr. 3,26 (cf. v. 30 [31]; 11,21) traduntur Nathinaei aliqui habitasse « ex adverso » Thecuenorum.

Inter cognationes v. 30-32 explicabatur primus *Macelloth*, quia de eo pauciora dicenda : nunc explicantur *Cis* et *Ner*, illo uti videtur

maiores natu. At nunc a *cognationibus* ad *individuos viros* transit oratio : videntur reapse cognationes Ner et Cis a viris Ner et Cis originem duxisse. *Illud vero v. 33 sqq. praeter omnem dubitationem affirmat, Saul regem fuisse origine Gabaonitam seu Hevaeum.* v. 33 « *Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul* ». 1 Reg. 14,50 sq. docemur, Ner patrem Abner fuisse fratrem Cis patris Saul. Nisi mavis adstruere *duos Ner*, hanc facilem correctionem h. l. et 9,39 adhibebis : *Et Ner genuit Abner, et Cis genuit Saul.* Cf. CR p. 104.

1 Reg. 14,51 (Keri) Cis et Ner dicuntur filii Abiel. 9,1 Saul scribitur filius Cis, filii Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii Beniaminitae cuiusdam anonymi. Numerus hic generationum plane sufficere videtur tempori a Iosue ad Saul.

« *Porro Saul genuit Ionathan et Melchisua et Abinadab et Esbaal* ». Etiam 1 Reg. 31,2 *Abinadab*, sed 14,49 *Iessui* : v. CR p. 154 sq. Non adscribitur 31,2 *Esbaal* seu *Isboseth* (cf. ib.), quia proelio apud Gelboe non interfuit et probabilius armis gerendis fuit impar; non adscribitur 14,49, probabilius quia nondum natus erat, quo tempore « confirmatum est regnum Saul super Israel ». v. 34 « *Filius autem Ionathan : Meribbaal* ». מריב בעל, idem qui 2 Reg. 4,4; 9,6 sqq.; 16,1 sqq.; 19,24, sqq. scribitur *Miphiboseth*, מפיבשת (cf. CR p. 276 sq.), diversus a Miphiboseth filio Saul 2 Reg. 21,8. « *Et Meribbaal genuit Micha* » 2 Reg. 9,12.

v. 35 « *Filii Micha : Phiton et Melech et Tharaa et Ahaz* ». Quod nomen 9,41 excidit apud Hebr. LXXR, sed exigitur a versu sequenti. תארע : 9,41 תחרע. v. 36 « *Et Ahaz genuit Ioada* », — יהועדה : 9,43 יעדה — « *et Ioada genuit Alamath et Azmoth et Zamri. Porro Zamri genuit Mosa* », v. 37 « *et Mosa genuit Banaa, cuius filius fuit Rapha* », — רפה : 9,43 רפיה, Raphaia — « *de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel* ». v. 38 « *Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus : Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia et Hanan; omnes hi filii Asel* ».

Sequuntur duo versus, qui non habentur extremo cap. 9. Rationem discriminis suggerebamus p. 173. v. 39 « *Filii autem Esec fratris eius* », fratris Asel : « *Ulam primogenitus et Iehus secundus et Eliphalet tertius* ». Producitur genealogia primogeniti : v. 40 « *Fueruntque filii Ulam, viri robustissimi et magno robore tendentes arcum, et multos habentes filios ac nepotes [usque ad] centum quinquaginta. Omnes hi filii Beniamin* ». Clausula haec potest referri ad totum cap. 8. Sed quis dubitaturus erat, v. 1-28 esse Beniaminitas, qui derivarentur a Bela primogenito Beniamin? *Hebr.* : *de filiis Beniamin*, pertinebant ad tribum Beniamin. Si clausulam referas ad illud solum documentum v. 29-40, cui immediate adhaeret, affirmat ea non otiose Gabaonitas

seu Nathinaeos esse veros filios Beniamin, non generatione, sed legali et legitima adoptione. Recole, post reditum de exsilio diligentius inquisitum esse in genealogias, ita v. g. ut ii, qui originem ab Aarone demonstrare non valerent, ab officiis sacerdotum suspenderentur. Erat ratio affirmandi posterorum Gabaonitarum eadem esse iura atque reliquorum Beniaminitarum.

Numerus generationum v. 35-40, propemodum consonans numero regum Iuda, suadet tradi genealogiam *virorum*, non *cognationum*, licet eorum virorum aliqui distinctas cognationes procreasse credendi sint, v. g. Ulam, e quo successivis generationibus prodiere viri illi 150. Quam cognationem crediderim bellicae laudis primitias promeritos esse *brevi ante exsilium* : primo post reditum tempore Iudaei suas res tuiti sunt prudentia potius et supplicationibus ad reges Persarum missis, quam arcu et gladio.

v. 39 sq. non exciderunt textu cap. 9, sed manu Belaitae illius adscripti sunt cap. 8. Id infero e numeratione filiorum : *primogenitus*, *secundus*, *tertius*, et e speciali laude familiae Ulam tributae. Cuiusmodi encomia non habentur v. 29-38.

Sunt nobis vero h. l. componenda aliqua, quae variis locis traduntur de *Saul* et de *Gabaonitis*, quae plurimam lucem afferunt historiae Hebraeorum et textibus quibusdam obscurioribus.

Igitur genealogia 8,29-40; 9,35-44 indubie efficit *Saulem* fuisse de stirpe *Gabaonitarum*. Fuit Saul certe *Beniaminita*, sed Beniaminitae erant item Gabaonitae : « omnes hi filii Beniamin » (8,40). Scribitur Saul 1 Reg. 10,21 fuisse de cognatione *Metri*, nomen secus inauditum. Fuit idem ib. 9,21 de « minima inter omnes cognationes tribus Beniamin », minima dignitate et auctoritate : minima certe Beniaminitarum stirps erant Gabaonitae, filii Beniamin non origine sed adoptione, quorum pater Iadihel 1 Par. 7,6 post primogenitum Bela et secundum Bechor recensetur. Saulis genealogia 1 Reg. 9,1 revocatur ad quemdam « Beniaminitam », cuius nomen tacetur : tacetur sc. regis origo non plane hebraea, sed gabaonitica.

Erat Saul de Gabaa seu Gabaa Saulis 1 Reg. 10,26; 11,4, quae non erat una e quatuor civitatibus munitis Gabaonitarum : sed annon Gabaonitae incolebant etiam vicos illis civitatibus interiectos? Praeterea bello Iud. 20 sq. Gabaitae Beniaminitae censendi sunt interempti esse vix non omnes (cf. 20,37), in eorum igitur locum subintraverint coloni gabaonitae. Facile quippe concedes Gabaonitas recens in Beniaminitarum societatem receptos, in causa tam foeda et iniusta manus haud iunxisse cum Beniaminitis reliquis. Certe Saul et Gabaita erat et Gabaonita. Sepulcrum Cis 2 Reg. 21,14 fuit « in terra Beniamin », sed non accuratius

describitur situs. Quodsi porro Gabaonitae in illam reliquorum Beniaminitarum ruinam non fuere implicati, utique post eam reliquis Beniaminitis exstitere longe numerosiores, in consiliis tribus praevaluere, ac facile in aliquas eorum civitates desertas aut fere desertas submisere colonos suos, imprimis Gabaam. Recole, quae ad 8,6 sq. dicebamus de quibusdam Belaitarum cognationibus a Saul traductis de Gabaa in Cariathiarim eo sane fine, ut tota Gabaa cederet cognationi Saul.

Saulem creatum esse regem, 1 Reg. 10,27 aegerrime tulere Hebraeorum plures : cuius rei ratio est evidens, si attendas, quod 1 Par. 8 sq. diserte affirmatur, Saulem fuisse origine Gabaonitam.

Contra quae obiecerit aliquis, Saulem graviter vexasse Gabaonitas 2 Reg. 21, ergo non fuisse Gabaonitam. Utrumque factum diserte affirmat textus sacer, et Saulem fuisse Gabaonitam, et vexasse Gabaonitas : neutrum negandum, sed componenda inter se. Recole viri indolem inaequalem, ad melancholiam et ad furorem pronam. Nonne spiritu malo actus identidem egit atrocia Saul? Saeviit in Davidem innocentem sibique ante acceptissimum, sacerdotes in Nobe trucidavit. Nonne Henricus VIII Angliae rex primum scripsit volumen in defensionem religionis catholicae, postea eius religionis assertores crudeliter persecutus est? Igitur Saul, cum Gabaonita esset ipse, primum Gabaonitis vel certe suae cognationi gabaonitae favit 8,6 sq. Postea intellexit, regnum suum nequaquam fore firmum, nisi reliquos sibi Hebraeos arctius devinciret : hinc factus est Hebraeis hisce magis hebraeus ipse et oppressit Gabaonitas.

Gabaonitis nequaquam omnes favebant Hebraei : non consuevere homines favere iis, qui fruuntur privilegiis sibi non concessis. Gabaonitae vero habebant privilegia quaedam, quibus sapienter usi prospere inter Beniaminitas agebant. Illis Iosue sua quaedam iura concesserat, quae concessa aegre tulerant ipsi Iosue aequales. Existimavit igitur Saul, se rem gratam facturum imprimis Beniaminitis reliquis, si haec iura aut revocaret aut imminueret. Vide, quae cap. 25 dicemus de Gabaonitarum ministeriis sacris.

D. Genealogiarum post exsilium descriptio inchoata 1 Par. 9.

Arg. — Continuator libri genealogiarum profitetur, se velle describere genealogias exsilio posteriores similiter, atque genealogiae exsilio anteriores fuerint descriptae. Primum quod tradit documentum est *elenchus eorum, qui primi post exsilium habitaverunt in Ierusalem* : Iudaeorum, Beniaminitarum, sacerdotum, levitarum (cantorum), ostiariorum, Nathinaeorum. Sermoni de *ostiariis* adiicit v. 18-26ª aliqua

spectantia historiam et officia ostiariorum. Commemorat v. 26^b-32 *thesaurarios* etc. Annuntiat porro v. 33 elenchum *cantorum*, qui tamen non iam exstat in textu. Agit porro de levitis *cultus sacri ministris*, cuius tamen pericopae duae tantum v. 33 sq. sententiae supersunt, ipse levitarum elenchus excidit. Tandem ab his, qui omnes in Ierusalem habitarunt, transit v. 35-44 ad *Nathinaeos*, quorum aliqui in Ierusalem, plerique Gabaone habitaverunt.

Cap. IX v. 1 « *Universus ergo Israel dinumeratus est, et* [*summa*] *eorum scripta est in Libro regum Israel* ». Haec prior versus pars cum *Masor.* separanda est a sequentibus (v. i.). התיחשו non est *numerati sunt* (ספר 21,2 etc.), sed *relati sunt in tabulas genealogicas*, « genealogizati sunt » (*Cai.*). Idem dicit συλλογισμός, referre in λόγους, tabulas militares 1 Mach. 4,28 vel h. l. tabulas familiarum. Verte : *Et omnis Israel relati sunt in tabulas genealogicas, et ecce scripti habentur in Libro regum Israel.* Perperam *LXX Vulg.* : *in Libro regum Israel* « *et Iuda* ». Etenim *Iuda* indubie est subiectum v. 1^b (v. i.). Si erat pars *tituli libri*, anteponendum fuit Iuda Israeli (cf. 5,17). Agitur de censu ante exsilium habito, nam post exsilium non fuere reges, in quorum acta census referretur. Quid vero *universus Israel*?

Si adstruas *oppositionem* inter *Israel* et *Iuda*, interpretaberis *universum Israel* regnum decem tribuum. v. 1^a erit epilogus quidam, non omnium genealogiarum cap. 2-8 (*Malv.*, *Tost.*), sed capitis 5 et 7. Demonstratur Liber aliquis regum Israel, e quo hauserit auctor ea, quae cap. 5,7 tradidit. Tamen eorum, quae tradidit, longe plura utique hausit e libris canonicis et e censu Davidis, quam ex illo Libro regum Israel. Inde certe non hausit, quae refert 7,6-11 de tribu Beniamin, quae non spectabat ad regnum decem tribuum.

Quaero etiam ex te, quamnam adstruas *oppositionem* inter v. 1^a et v. 1^b. Decem tribuum genealogiae affirmantur depromptae esse e Libro regum Israel. Ut haberetur oppositio, pergendum fuit : genealogiae vero trium reliquarum tribuum depromptae sunt e Libro regum Iuda. At non hoc dicitur, sed affirmatur Iuda ductus esse in exsilium. Nulla hic habetur oppositio.

Sed *universus Israel* v. 1 commodius comparatur cum *Israel* v. 2, quo nomine post exsilium *totus populus de exsilio redux* designabatur : cf. 1 Esdr. 2,70; 10,5. Affirmatur v. 1^a habitus esse census non solius regni Israel, sed item et potissimum regni Iuda. At eiusmodi census profecto describebatur non in *Libro regum Israel*, sed in *Libro regum Iuda et Israel* : si *universum Israel* interpretaris *Iuda et Israel*, debebis item *Librum regum Israel* interpretari *Librum regum Iuda et Israel*. Verum id facere potes et debes (*Net.*). 2 Par. 20,34 ; 33,18 Liber regum

Israel citatur ut fons pro gestis regis Iosaphat, pro verbis prophetae Iehu, pro actis Manasse regis Iuda et verbis prophetarum aequalium ipsius. Vixit sane Manasses post ruinam regni Israel. Merito igitur creditur hic Liber regum Israel idem esse liber atque Liber regum Iuda et Israel, qui 2 Par. 16,11; 25,26; 27,7; 36,8 citatur ut fons pro actis Asa, Amasiae, Ioatham, Ioakim. Non affirmat collector, hunc librum se in manibus habuisse, sed illum esse fontem suum mediatum vel immediatum. Imo videtur collector sola eius libri excerpta in manibus habuisse, genealogias potius incompletas.

Igitur versui 1 hunc sensum attribuo : Sicut genealogiae exsilio anteriores diligenter describebantur in Libro regum Iuda et Israel, *ita nos quoque post exsilium decet* scribere genealogias nostri aevi; cuius rei initium facturus, en describo elenchum cap. 9. Oppositio habetur non inter Israel et Iuda, sed inter genealogias et genealogias, tempus ante et tempus post exsilium.

Continuator igitur aliquis cap. 9 *initium* fecit describendarum genealogiarum seu rerum exsilio posteriorum. Non novit librum Nehemiae, secus non orsus esset ab inserendo documento v. 2-17, quod idem 2 Esdr. 11,3-19 habetur. Neque novit cap. 8, secus non inseruisset v. 35-44 documentum, quod idem habetur 8,29-40. Novit genealogias tribuum cap. 2-7. Chronista prae manibus habuit apographum earum unum, adscriptam habens genealogiam collectoris, apographum alterum adscriptum habens tentamen continuatoris. Omnia transsumpsit : genealogias tribuum, genealogiam collectoris, tentamen continuatoris.

Non videtur hic diu post primorum de exsilio reditum scripsisse, secus alia quaedam documenta adscripsisset, quae nunc in libros Esdrae collecta conspiciuntur; texuisset genealogiam seu elenchum summorum post exsilium pontificum. *Initium* fecit : quod complere prohibitus est aut temporis brevitate, aut documentorum penuria, aut alia ratione. Vides, quomodo hic liber creverit successivis incrementis : non omnia ab uno auctore profecta sunt.

Iuda vero « translati[que] sunt in Babylonem propter delictum suum ». Iustum fuit exsilium. De solis incolis regni *Iuda* agitur, nam incolae regni Samariae non sunt translati *Babylonem*, sed in Assyriam. Commemoratur vero exsilium, quia porro agendum est de reducibus de exsilio.

Plura documenta compingit auctor :

1. Elenchum eorum, qui post exsilium *primi* habitaverunt *in Ierusalem* : Iudaei, Beniaminitae, sacerdotes, levitae, ostiarii v. 2-17. 22[a].

2. Sermoni de ostiariis inserit aliqua spectantia *historiam ostiariorum* v. 18-21. 22[b]-26[a].

3. Adnectit v. 26[b]-32 sermonem de *thesaurariis etc.*, affinem sermonis v. 1-17, sed eo tamen ab eodem diversum quod, suppressis fere cognationum nominibus, officia explicet generaliter.

4. Tradit *elenchum cantorum*, cuius tamen praeter inscriptionem v. 33[a] superest nihil. Inde post generales quasdam v. 33[b] sq. de levitis animadversiones

5. v. 35-44 tradit genealogiam, eandem quae 8,29-38, *Nathinaeorum*, quorum pars *in Ierusalem*, pars maior *Gabaone* habitavit.

I. ELENCHUS EORUM, QUI PRIMI POST EXSILIUM IN IERUSALEM HABITAVERUNT 1 PAR. 9,2-17.

Etenim, qui sequitur elenchus, non est eorum, qui primi post subactam a Iosue terram promissam eandem incoluere (*Cai.*), neque eorum, qui immediate ante exsilium ib. reperiebantur (*Net.*), sed est eorum, qui de exsilio reduces sedem fixere in Ierusalem et in Gabaon (*Sa*, *Mar.*, *Malv.*, *Men.*, *Tir.*). Cum porro textus re idem habeatur 2 Esdr., patet utrosque textus comparandos esse inter se (*Mar.*, *Malv.*, *Calm.*). Cf. *E. Meyer*: Die Entstehung des Iudenthums, Halle 1896, p. 184 sqq.; *Van H.* p. 50.

Igitur 2 Esdr. 7,73 docemur eos, qui primum de exsilio rediere, *totum Israel, habitasse in urbibus suis* : Ierusalem quippe destructa iacebat nec habitari poterat. Intercedit cap. 8-11 descriptio solemnitatum mensis septimi et renovationis foederis celebratae, quam consequi debuit reaedificatio sanctuarii et urbis. Dein 11,1 sq. docemur, *principes populi sedem fixisse in Ierusalem, et decimum quemque de populo sorte designatum, praeter eos qui sponte se illuc contulerint.* Sequitur v. 3 : *Et hi capita provinciae, qui habitaverunt in Ierusalem, in urbibus vero Iuda habitavit quisque in possessione sua et in urbe sua* : *Israel*, *sacerdotes*, *levitae*, *Nathinaei et filii servorum Salomonis*.

Cum his cf. v. 2 : « *Qui autem habitaverunt primi in possessionibus* [*et*] *in urbibus suis : Israel et sacerdotes et levitae et Nathinaei* ». Vides, non agi de pristinis ante exsilium incolis (*Net.*), sed de primis post exsilium incolis : hi necessitate adacti sunt, ut habitarent non in Ierusalem, quae destructa iacebat, sed in urbibus suis, ubi patrum suorum possessiones excolentes victum sibi compararent. *Israel* est tota plebs laicorum, quo sensu vox post exsilium scribi consuevit. *LXX L* itemque *Cai.* : *in urbibus suis Israelis*; sed obest suffixum, quod porro ignorant *LXX R* : ipse elenchus ostendit, agi non de solis clericis,

sed etiam de laicis, enumerat enim primo loco v. 4-9 Iudaeos et Beniaminaeos, qui non erant clerici. Hi exprimuntur nomine Israel. Ab *urbibus* campestribus distinguuntur v. 3 Ierusalem, v. 35 Gabaon.

Laudata verba 2 Esdr. 11,3 indicant indolem elenchi, qui legitur h. l. et ibi : est *elenchus principum* qui, utique cum suis familiis, habitaverunt in Ierusalem. Hinc singulorum virorum per plures generationes describitur origo, quod non fieret in plebeiis hominibus describendis. Sed alia praeterea erat ratio earum genealogiarum adscribendarum. Sc. adscribuntur principibus genealogiae 3-6 membrorum, ita ut eorum origo e familiis *ante exsilium* exsistentibus probe habeatur demonstrata. Sacerdotibus adscribitur etiam familia sacerdotalis : Melchia, Emmer (cf. p. 183); levitis stirps levitica : Merari, Asaph, Iduthun, Core. Non adscribitur v. 6 genealogia Iehuel vel Ioel gubernatoris urbis (2 Esdr. 11,9) neque v. 14 Sabathai et Iozabed, v. 15 Bacbacar vel Becbeciae, qui aliis locis citantur videnturque fuisse viri illustriores, quorum originem nemo addubitaret; neque v. 16 principum ianitorum, fortasse quod ex eadem atque Sellum (v. 19) familia fuerint, vel quod in horum origines inquirere tum non sit visum ita necessarium. Mihi videor in his deprehendere specimen diligentiae, qua viri de exsilio reduces studebant demonstrare suas origines vere hebraeas. Inter antecessores, qui in hisce genealogiis nominantur, vix ullus reperitur, qui apud reges Iuda novissimos inclaruerit : sc. post exsilium salus Iudaeorum effecta est per familias *novas*, quae ante delituissent. Familiae procerum regni Iuda pleraeque interierant.

Igitur reduces de exsilio primum incoluere urbes et vicos, cum Ierusalem iaceret destructa. Post coeptam templi aedificationem initum est consilium eius urbis iterum frequentandae. Non omnibus fuisse tum exoptatum in urbe diruta figere sedem, coniecerim ex eo, quod specialiter sint laudati ii, qui se ad id sponte obtulerunt. Reliqui sortibus designati. v. 3 « *Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda et de filiis Beniamin, de filiis quoque Ephraim et Manasse* ». Hic non nominantur Nathinaei, licet eorum aliqui utique habitaverint in Ierusalem. Agitur, uti diximus, v. 3 sqq. *de principibus*; quia tamen v. 3 vocem *principes* non habet, effert quosdam *filios Ephraim et Manasse*, qui, quod principes non fuerint, v. 4 sqq. neque nominibus recensentur. Eorum aliquos, qui in exsilium non fuerant abducti, sed in Palaestina remanserant, iunxisse se reducibus Iudaeis, et per se patet et innuitur 1 Esdr. 6,21; 2 Esdr. 10,29. « Qui studio religionis ad Iudam convenerunt » (*Malv.*). Fuerint de numero eorum, qui 2 Esdr. 11, 2 sponte se obtulerunt, ut in Ierusalem sedem figerent.

Ut porro lector perspiciat, quatenus 1 Par. 9,4-17 et 2 Esd. 11,4-19 habeatur idem textus, utrumque textum, adhibitis necessariis vel etiam probabilibus emendationibus, h. l. adscribimus ita, ut quae uterque pariter habet sine parenthesi scribamus, quae solus textus 1 Par. habet parenthesi ( ), quae solus textus 1 Esdr. parenthesi [ ] includamus. Nomina propria scribimus, qualia scribit Vulg. 1 Par., non attendentes minora discrimina, v. g. v. 4 עיתי et עתיה, v. 12 מעשי et עמשסי. Ubi 2 Esd. habet nomen plane diversum, illud in nota adscribimus imae paginae.

v. 4 [De filiis Iuda :] Othei filius Ammiud[1] filii Amri[2] filii Omri filii Bonni[3] [filii Malaleel] — Pharesita, (Iudaeus).

v. 5 (Et de Sela :) Asaia filius Baruch [filii Cholhaza filii Hazia (?) filii Adaia filii Ioiarib filii Zachariae — Selaita].

v. 6 (Et de filiis Zara : Ioel et fratres eius 690).

[Omnes filii Iuda (?), qui habitaverunt in Ierusalem, 468, viri fortes].

v. 7 Et de filiis Beniamin : Salu filius Mosollam filii Iuda[4] filii Asanua[5];

v. 8 (et Iobania filius Ieroham — hi filii Ozi Bechoritae (?));

[et Colaia filius Maasia filii Ethiel filii Isaia —[6]].

v. 9 (et fratres eorum in generationibus suis 956). [Et post eos viri fortes 928].

v. 10 Et de sacerdotibus : Iedaia, Ioiarib et Iachin.

v. 11 Azarias[7] filius Helciae filii Mosollam filii Sadoc filii Maraioth filii Achitob — praepositus domus Dei; [et fratres eius] obeuntes ministeria domus [822].

v. 12 Et Adaia filius Ieroham [filii Phelelia filii Amsi filii Zachariae] filii Phassur — Melchita; et fratres eius capita patroeciarum [242].

v. 13 Et Maasai filius Adiel filii Iezra filii Mosollamith — Emmerita; [et fratres eius] viri fortes [128] (1760).

v. 14 Et de levitis : Semeia filius Hassub filii Ezricam filii Hasebia; [et Sabathai et Iozabed] (super negotia exteriora domus Dei) (de filiis Merari).

v. 15 Et Mathania filius Micha filii Zechri, Asaphita, [praecentor cantici Confitemini pro oratione],

et Bacbacar secundus, de fratribus eius,

v. 16 et Obdia filius Semeia filii Galal, Iduthunita.

(Barachia vero filius Asa, Elcanita, habitabat in vicis Netopha). [Omnes levitae in civitate sancta 284].

v. 17 Et ianitores : (Sellum) et Accub et Telmon et Achimam, et fratres eorum, [qui custodiebant portas 172] (212 v. 22). (Sellum princeps).

Igitur hi elenchi generatim inspecti utique sunt unus idemque textus, in pluribus negligenter, quandoque valde negligenter descriptus :

1) textus v. 4-8 quoad *nomina* apparet perquam mancus, ubi et plura excidere nomina, et alia in alterutro textu arbitrarie sunt restituta. Inde a v. 8 nomina fere sunt eadem, pauca excidere.

---

1. Azia. 2. Zachariae. 3. Saphathiae. 4. Ioed. 5. Phadaia. 6. Hunc coniicimus fuisse *Belaitam*. 7. Saraia.

2) Plura 2 Esdr. habet, quae 1 Par. omnino sunt restituenda : debuere tradi summae aliquae v. 11 sq. 16, titulus officii Mathaniae v. 15. Sed plura 1 Par. habet, quae 2 Esdr. sunt restituenda : v. 6 illud de Ioel, v. 8 Iobania. Omnino secundum 2 Esdr. reformandi sunt v. 8. 15 sq.

3) Elenchus deprehenditur certo ordine esse digestus :

a. *Iudaei :* Othei *Pharesita*, Asaia *Selaita*, Ioel *Zaraita*.

b. *Beniaminitae :* Salu *Bechorita*, Iobania *Bechorita*, Colaia *Belaita* (?).

c. v. 10 tres *sacerdotum* familiae. Azarias *de familia pontificis*, Odaia *Melchita*, Maasai *Emmerita*.

d. *Levitae :*

α. pro sacris ministeriis : Semeia, Sabathai, Iozabed *Meraritae ;*

β. cantores : Mathania *Asaphita*, Obdia *Iduthunita*.

e. *Ianitores :* quatuor familiae, princeps Sellum.

4) Summae *affines* quidem sunt inter se, sed 2 Esdr. *constanter minores*. Affines, nam utrobique Beniaminitae plures quam Iudaei, sacerdotes longe plures quam levitae.

Iudaei : 9,6	: 690 ;	— 2 Esdr. 11,6	: 468.
Beniaminitae : 1 Par. 9,9	: 956 ;	— 2 Esdr. 11,8	: 928.
Sacerdotes : 1 Par. 9,15	: 1760 ;	— 2 Esdr. 11,12-14	: 1192 = 822 + 242 + 128.
Levitae : 1 Par. 9,16	: ? ;	— 2 Esdr. 11,18	: 284.
Ianitores : 1 Par. 9,22	: 212 ;	— 2 Esdr. 11,19	: 172.

Non sunt summae omnes in alterutro textu deformatae. At quomodo factum est, ut summae omnes 2 Esdr. sint *minores*? Variae suggeruntur explicationes. Cum 2 Esdr. distinguat eos, qui sortibus sint designati, et eos, qui sponte se obtulerint, fortasse summae 2 Esdr. habent eos solos, *qui sortibus sunt designati*, ideoque sunt minores. 1 Par. illam distinctionem ignorat. Vel dicas, summas, licet sint eiusdem circiter temporis, cum nomina principum sint eadem, tamen *non esse eiusdem anni*. Fuerint igitur summae 2 Esdr. anterioris cuiusdam anni, quam summae 1 Par., ideoque minores, quia decursu annorum auctus sit incolarum numerus. At potuere etiam summae 1 Par. anteriores esse summis 2 Esdr. 5, ut hae ideo sint minores, quod aliquando eiecti sint qui mulieres alienigenas nollent abdicare, vel non valerent originum suarum certa proferre documenta. Summae Esdr. fuerint exodo Samaritanorum posteriores : cf. CD p. 298 sqq.

1. *Iudaei* 1 *Par.* 9,4-6.

v. 4 « *Othei filius Ammiud filii Amri filii Omrai filii Bonni : de filiis Phares filii Iuda* ».

1 Par. 9,4.	2 Esdr. 11,4.
עותי בן עמיהוד עמרי בן אמרי בן בני מן בני פרץ בן יהודה :	מבני יהודה עתיה בן עזיה בן זכריה בן אמריה בן שפטיה בן מהללאל מבני פרץ :

עותי, *Othei*, Γνωθι, Οὐθι idem nomen est atque עתיה, *Athaias*, 'Αθαια. אמרי, *Amri*, 'Αμβραιμ, 'Αμβρι idem nomen est atque אמריה, *Amarias*, Σαμαρια. Vere utique 1 Par. vocibus *de filiis Phares* adscribit *filii Iuda*, fuit enim Phares filius Iuda. Cum ergo idem sit nomen viri, proavi et stirpis, patet describi unum eundemque virum. Sed textus dat nobis specimen licentiae, qua quandoque describebantur nomina propria. עמיהוד, *Ammiud*, Σαμιουδ, 'Αμιουδ = עזיה, *Azia*, 'Αζια. עמרי, *Amri*, Αμρι, 'Αμβρι = זכריה, *Zacharias*, Ζαχαρια. Pro שפטיה, *Saphatias*, Σαφατια, et pro מהללאל, *Malaleel*, Μαλελεηλ habet 1 Par. unicum et diversum nomen בנימין, *Keri* בני, *Bonni*, Βουνι, Βενιαμιν. Illi duo textus primitus fuere unus textus, cuius formam veriorem crediderim haberi 1 Par. 9,4.

Sequitur Selaita, de posteris Sela filii Iuda (4,21) : v. 5 « *Et de Siloni : Asaia primogenitus et filii eius* ».

1 Par. 9,5.	2 Esdr. 11,5.
ומן השלני עשיה הבכור ובניו :	ומ עשיה בן ברוך בן כל חזה בן חזיה בן עדיה בן יויריב בן זכריה בן השלני :

Id, quod 1 Par. 9,5 habet initio *de Selaita*, id 2 Esdr. 11,5 habet in fine *filius Selaitae*. Cum tamen praepositionis מן, nativo loco i. e. initio versus, apud 2 Esdr. remanserit מ, עשיה, *Asaia*, 'Ασαια. factus est מעשיה, *Maasia*, Μαασια, idem nomen praefixo מ. Textus 1 Par. 9,5 certe est truncatus, cum nequeat scribi *primogenitus* ille, cuius patris nomen tacetur. Ergo pro הבכור utique praeferendum בן ברוך, *filius Baruch*, Βαρουχ. Sine dubio praeter patrem alii adscribebantur antecessores, quorum nomina fuerint ea quae 2 Esdr. habet : כל חזה(!), *Cholhaza*, Χαλαζα, Χολαζα; חזיה, *Hazia*, 'Οζια; עדיה, Adaia, 'Αδαια; יויריב, *Ioiarib*, 'Ιωαριβ, 'Ιωιαριβ; *Zacharias*. Scriba 1 Par. nactus nomina defigurata, audacter collegerit omnia in unam vocem ובניו, *et filii eius*, quae vel ideo est omittenda, quia deest extremis v. 4. 6 etc.

v. 6 « *De filiis autem Zara : Iehuel. Et fratres eorum sexcenti nonaginta* ». יעיאל, 'Ιεηλ. Pronomen *eorum* refertur ad tres principes v. 4-6; 690 est summa totalis earum trium familiarum iudaearum.

ומן בני זרח יעיאל ואחיהם שש מאות ותשעים :

Sed plane diversus textus 2 Esdr. 11,6 : *Omnes filii Phares, qui habitaverunt in Ierusalem, 468 viri fortes.*

כל בני פרץ הישבים בירושלם ארבע מאות ששים ושמנה אנשי חיל :

Illud *viri fortes* potuit explicationis gratia adscribi. In textu 1 Par. illud veri simile, post *Phares* v. 4 et *Sela* v. 5 habuisse textum v. 6 principem *Zaraitam*; item habuisse summam totalem *Iudaeorum*, non solorum *Pharesitarum*, similiter atque v. 9 (2 Esdr. 11,8) habet summam totalem *Beniaminitarum*. Summae certe diversae, non tamen plane dissimiles : numeralia facillime deformabantur. *Iehuelem*, eundem esse atque *Ioel* 2 Esdr. 11,9, v. i. ad v. 9.

2. *Beniaminitae* 1 *Par.* 9,7-9.

v. 7 « *Porro de filiis Beniamin : Salo filius Mosollam filii Oduia filii Asana* », v. 8 « *et Iobania filius Ieroham, et Ela filius Ozi filii Mochori, et Mosollam filius Saphatiae filii Rahuel filii Iebaniae* ».

1 Par. 9,7 sq.	2 Esdr. 11,7.
ומן בני בנימין סלוא בן משלם	ואלה בני בנימין סלוא בן משלם
בן הודויה בן הסנאה	בן יועד בן פדיה
ויבניה בן ירחם ואלה בן עזי בן מכרי	
ומשלם בן שפטיה בן רעואל בן יבניה :	בן קוליה בן מעשיה בן איתיאל בן ישעיה:

Initia omnino consonant, et הודויה, *Oduia*, 'Αδουια, idem nomen fuerit atque יועד, *Ioed*, 'Ιωαδ. Sed הסנאה, *Asana*, 'Ασινος, Σαανα, et *Phadaia*, nomina plane diversa. Tamen evidens est, utrumque textum habuisse primitus eiusdem viri סלוא, *Salo* (*Sellum*), Σαλωμ (Σηλω), Σαμαα, eandem genealogiam. Praeterea e 2 Esdr. 11,9 patet *Oduia filium Asana* emendandum esse in *Iuda filium Asanua*, הסנואה.

At plurimum dissonant, quae sequuntur. Insuetum est in hac genealogia, ut unius viri Salo genealogia producatur per septem generationes; ut unicum habeat Beniamin *principem*, dum Iuda habet tres (2 Esdr.). Sed admirationem item facit, 1 Par. concedere Beniamino principes *quatuor*, cum Iuda habeat principes tres tantum. Neque obiicias, summam etiam Beniamin 956 vel 928 maiorem esse summa Iuda 690 vel 468. Cum enim Beniaminitae constanter floruerint laude fortitudinis, potuere defendendae urbis gratia ex illis assumi viri plures cum ducibus paucioribus, obiecti Iudaeorum viris paucioribus cum ducibus pluribus.

Adverte porro apud 1 Par. has duas series quaternorum nominum.

v. 7 משלם בן הודויה בן הסנאה יובניה
v. 8 ומשלם בן שפטיה בן רעואל בן יבניה

Nomen primum et quartum utrobique idem. Probabilis coniectura est, 1 Par. 9,7 sq. eadem quatuor nomina legi descripta per errorem bis, atque extremo v. 8 esse delenda. Sed eorum quatuor nominum loco retinenda extremo v. 8 nomina, quae habentur 2 Esdr. 11,7 :

: יקוליה בן מעשיה בן איתיאל בן יעשיה :

Loco quorum nominum scriba aliquis rursum descripserit, et partim quidem defigurata, quatuor nomina quae initio sententiae habebantur.

Superest 1 Par. 8ª, cuius 2 Esdr. 11,7 nullum habetur vestigium. Ubi, quaeso, cum *LXX* אלה facias non nomen proprium, sed pronomen (utramque significationem perperam iuxtaponunt LXX) : *et Iobania filius Ieroham : isti sunt filii Ozi filii Mochori*. Pro מכרי corrigo בכרי (cf. v. 5 השלני vel השילני) : Salo et Iobania trahebant originem a *Bechor* filio Beniamin 7,6; 8,1. Unde fere inferas, tertium principem Colaiam fuisse *Belaitam*. Habes iam textum coniecturis restitutum hunc : *De filiis Beniamin : Salo filius Mosollam filii Iuda filii Asanua; et Iobania filius Ieroham — hi filii Ozi, Bechoritae, et Colaia filius Maasia filii Ethiel filii Isaia*, de filiis Bela. Habes duces beniaminaeos tres obiectos tribus ducibus iudaeis; duos Bechoritas et unum Belaitam obiectos Pharesitae, Selaitae, Zaraitae.

v. 9 « *Et fratres eorum per familias suas nongenti quinquaginta sex. Omnes hi principes cognationum per domus patrum suorum* ».

2 Esdr. 11,8 : *Et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo.* v. 9 *Et Ioel filius Zechri praepositus eorum, et Iudas filius Senua super civitatem secundus.*

1 Par. 9,9.	2 Esdr. 11,8 sq.
ואחיהם לתלדתם תשע מאות חמשים וששה כל אלא אנשים ראשי אבות לבית אבתיהם :	אחריו גבי סלי תשע מאות עשרים ושמנה : ויעואל בן זכרי פקיד ויהודה בן הסניאה על העיר משנה :

Linea prima evidenter de eadem utrobique re agit, tradens summam Beniaminitarum. ואחיהם, *et fratres eorum* (cf. 1 Par. 9,6) idem dicit atque ואחריהם, *et post eos*, quae est necessaria correctio lectionis ואחיו, *et post eum*. גבי סלי est misera deformatio duarum vocum, fortasse גברי חיל, *viri fortes* (cf. אנשי חיל 2 Esdr. 11,6). Differunt numeri 956 et 928.

Secunda linea solum habetur 1 Par. : exprimit *laudem virorum*, qua-

lis saepe habetur in genealogiis tribuum. Tertia linea habetur solum 2 Esdr., habetque sensum planissimum. *Iudas filius Senua*, qui certe idem est cum הודויה בן הסנאה, *Oduia filio Asana* 1 Par. 9,7, fuit *vicepraepositus* urbis Ierusalem. Est hic *avus Salo*, principis *Beniaminitae*. Quare *Ioel filius Zechri* erit quaerendus inter *Iudaeos* v. 4-6. Habes 2 Par. 9,6 *Iehuel*, יעואל, genealogia carentem : erit is יואל, *Ioel filius Zechri*. Fuit hic *praepositus* urbis.

3. *Sacerdotes* 1 *Par*. 9,10-13.

v. 10 « *De sacerdotibus autem : Iedaia, Ioiarib et Iachin* ». Plane idem 2 Esdr. 11,10, ubi post primum nomen deleas בן, *filius*. Cur ea tria nomina praeponuntur nomini « *pontificis* » v. 11? *Ioiarib* et *Iachin* 1 Par. 24,7. 17 sunt nomina *familiarum* sacerdotalium. Ib. habetur *Iedaia*, ידעיה, sed *post* Ioiarib. Cur h. l. *ante* ponitur? Fortasse, quod ex hac familia tum esset Azarias v. 11 : familiae quippe 24,7 sqq. enumerantur ordine sortium, non antiquitatis. De hoc Iedaia v. v. 12.

v. 11 « *Azarias quoque filius Helciae filii Mosollam filii Sadoc filii Maraioth filii Achitob, pontifex domus Dei* ». Idem 2 Esdr. 11,11; sed pro Azaria, ut etiam 1 Par. 6,13, Saraia, שריה. Scribitur vero hic non *pontifex*, sed נגד, *princeps*. Quo titulo non designatur pontifex (*Mar.*), sed « secundus » a pontifice (*Calm.*). Tempore Iosiae 2 Par. 35,8 praeter pontificem erant tres נגדים seu principes : cf. *Van H.* p. 160 sqq. Cum igitur Azarias non affirmetur fuisse pontifex, neque eius nomen inter pontifices quos novimus requirendum est. Primus post exsilium pontifex utique fuit Iosue 1 Esdr. 3,2; Agg. 1,1.14; Eccli. 49,14. 2 Esdr. 12,10 sq. non habetur nomen Azariae : verum estne is elenchus pontificum an sola genealogia Ieddoa pontificis? *Ios*. *XX*. 10 videtur ignorasse nomina eorum pontificum, qui immediate successere Iosue. Neque interest scire, cum Azarias v. 11 non affirmetur fuisse pontifex. Siletur pontifex, uti silentur Zorobabel, Esdras. Sed videtur omnino Azarias fuisse e pontificum familia, quod suadent genealogiae nomina, quae in familiis pontificum videntur fuisse frequentia; et illud quod, dum v. 12 Adaias et Maasai tribuantur familiis sacerdotalibus Melchia et Emmer (1 Par. 24,9. 14), Azarias nulli earum 24 familiarum attribuatur. Igitur stricte loquendo non cogimur affirmare, v. 11 ullum legi nomen *pontificis* : est istud tamen probabile. In genealogia 6,3-15. 50-33 unicus habetur *Meraioth*, pater Achitob I, non filius. Sed inter posteros Achitob I habetur *Amarias II*, אמריה, nomen simile nominis מריות. *Sadoc* h. l. erit Sadoc II, Amariae II nepos, post quem habes 6,12 sq. Sellum seu *Mosollam*, et *Helciam* aequalem Iosiae. Simpliciora

omnia, si nomen *Achitob* anteponas nomini *Meraioth*. Ceterum Azarias noster certe non est immediate genitus ab Helcia aequali Iosiae; non viri *pater* demonstrandus erat, sed legitima inter Aaronitas origo. At concedi etiam potest, Azariae immediatos recitari antecessores, non pontifices.

v. 12 « *Porro Adaias filius Ieroham filii Phassur filii Melchiae; et Maasai filius Adiel filii Iezra filii Mosollam filii Mosollamith filii Emmer* ». Cf. 24,9.14. Nullus sacerdotibus hisce duobus titulus officii attribuitur : erant fortasse ambo נגדים, uti tempore Iosiae. v. 13 « *Fratres quoque eorum principes per familias suas* » erant *capita patroeciarum suarum*, « *mille septingenti sexaginta, fortissimi robore, ad faciendum opus ministerii in domo Dei* ». Habitabant in Ierusalem illi tres principes cum totis familiis seu cognationibus suis.

Porro quae traduntur hic veluti compendio, traduntur 2 Esdr. 11,12-14 magis complete alioque ordine. v. 12^a tradit *fratrum Azariae officium*, quod fuit cultus sacer : *Et fratres eorum facientes opera domus, octingenti viginti duo*. Cum agatur de solius Azariae fratribus, pro אחיהם, uti v. 13 omnes et uti v. 14 LXX, corrige אחיו, *fratres eius*. v. 12^b agit de *Adaia* altero principe : *Et Adaia filius Ieroham filii Phelelia filii Amsi filii Zachariae filii Pheshur filii Melchiae*. v. 13^a tradit fratrum Adaia *titulum dignitatis* : *Et fratres eius capita patroeciarum, ducenti quadraginta duo*. v. 13^b agit de *Maasai* vel Amassai tertio principe : *Et Amassai filius Azreel filii Ahazi filii Mosollamoth, filii Emmer*. v. 14^a fratrum Maasai describit *officium* militare : *Et fratres eorum* — corrige *eius* — *fortes robore, centum viginti octo, et praepositus eorum Zabdiel filius Hagedolim*. Hic non vocatur נגיד, sed פקיד.

His praemissis comparamus primum nomina virorum.

1 Par. 9,12.	2 Esdr. 11,12^b, 13^b.
ועדיה בן ירחם	ועדיה בן ירחם בן פלליה בן אמצי
בן פשחור בן מלכיה :	בן זכריה בן פשחור בן מלכיה :
ומעשי בן עדיאל בן יחזרה בן משלם	ועמשסי בן עזראל בן אחזי
בן משלמית בן אמר :	בן משלמות בן אמר :

Describitur utrobique genealogia vix non eadem. Genealogia *Adaiae* 2 Esdr. habet 6 membra, non tria. Genealogia *Maasai* 2 Esdr. ignorat *Mosollam*, qui fortasse idem qui *Mosollamith*. Levia sunt quaedam nominum discrimina : מעשי — עמשסי ; עדיאל — עזראל ; יחזרה — אחזי. Evidenter utrobique idem habebatur textus.

1 Par. 9,13.	2 Esdr. 11,12^{a}. 13^{a}. 14^{a}.
יאחיהם ראשים לבית אבותם אלף ושבע מאות וששים גבורי חיל מלאכת עבודת בית האלהים :	יאחיו עשי מלאכת לבית שמנה מאות עשרים ושנים : יאחיו ראשים לאבות מאתים ארבעים ושנים : יאחיו גברי חיל מאה עשרים ושמנה :

v. 13 Compendio habet omnia : *capita patroeciarum*, *fortes robore*, *opus domus Dei*. Summa utique 1760 maior summandis 822 + 242 + 128 = 1192.

4. *Levitae* 1 *Par.* 9,14-16.

v. 14 « *De levitis autem : Semeia filius Hassub filii Ezricam filii Hasebia de filiis Merari* ». Idem habet 2 Esdr. 11,15; sed pro מבני מררי, *de filiis Merari*, בן בוני, *filius Buni*, qui non est idem atque בני, Boni, Merarita Iduthunita 6,46, quia de Iduthunitis cantoribus agit v. 16 (17). Facile מבני deformabatur in בן בוני; minus facile explicatur, quomodo nomen מררי, si supponatur primitus non fuisse in textu, textui accreverit. Secundum textum 1 Par. fere oportebit dicere levitas v. 14, uti illos v. 15 fuisse cantores asaphitas : num igitur nulli praeter cantores levitae habitabant in Ierusalem? Adscribendus h. l. 2 Esdr. 11,16; *et Sabathai et Iozabed super negotia exteriora domus Dei*, *de capitibus levitarum*. Qui textus clare pronuntiat, hos levitas non fuisse cantores. Sed difficultatibus non caret. Cur nihil *genealogiae* adscribitur Sabathai et Iozabed? Licet illud v. 14 *de filiis Merari* genuinum reputemus, at nequaquam sequitur esse scribendum immediate post nomen *Hasabia* vel *Buni*; est unicum fragmentum sequentis sententiae, quod praeservavit 1 Par., et quod latet 2 Esdr. in verbis extremis *de capitibus levitarum*, מראשי הלוים. Omnes isti viri 2 Esdr. 11,15 sq. fuere *Meraritae*. Cur non *prolixior* illorum duorum adscribitur genealogia? Unum occurrit respondere, omissas esse prolixiores genealogias, quod viri essent plane insignes et omnibus noti : 2 Esdr. 8,7; cf. 1 Esdr. 10,15. Alia quaestio est, si hae tres familiae procurabant *negotia exteriora* sanctuarii, quinam procurabant *negotia interiora*, adiuvabant sacerdotes in sacrificiis etc.? Idne ob paucitatem levitarum ab exsilio reducum fecere *cantores*? fecerene ipsi *sacerdotes*, quorum permagnus comparatione numerus? Alia tandem quaestio est, an nulli *Gersomitae* et *Caathitae* non cantores habitaverint in Ierusalem. Sicut cantorum soli Asaphitae-Gersomitae et Iduthunitae-Meraritae, non vero Hemanitae-Caathitae, ita eorum, qui cantores non erant soli Meraritae, non vero Caathitae et Gersomitae, in Ierusalem primum habitavere.

v. 15 « *Bacbacar quoque carpentarius, et Galal, et Mathania filius Micha filii Zechri filii Asaph* »; v. 16 « *et Obdia filius Semeiae filii Galal filii Iduthun* ».

1 Par. 9,15 sq.	2 Esdr. 11,17.
ובקבקר חרש וגלל	ומתניה בן מיכא בן זכרי בן אסף
ומתניה בן מיכא בן זכרי בן אסף	ראש התהלה יהודה לתפלה
	ובקבקיה משנה מאחיו
ועבדיה בן שמוע בן גלל בן ידותון :	ועבדיה בן שמוע בן גלל בן ידותון :

2 Esdr. 11,17 adscriptum habet *titulum* Mathaniae filii Asaph, qui erat summus cantus moderator : *praecentor cantici Confitemini pro oratione*. Unde explicatur illud, quod adscriptum habet Bacbacar vel Becbecia (cf. 2 Esdr. 12,9. 25) : non חרש, *carpentarius*, sed משנה, post Mathaniam *secundus*. Unde rursus perspicitur, membra textus 1 Par. esse disiecta : *Et Mathanias filius Micha filii Zechri filii Asaph, praecentor cantici Confitemini pro oratione. Et Becbecia secundus inter fratres suos, et Obdia filius Samua filii Galal filii Iduthun*. Becbecia, qui fuit *de fratribus eius*, sc. Asaph, videtur etiam ipse fuisse Asaphita.

Adscribitur 1 Par. id, quod 2 Esdr. ignorat : « *Et Barachia filius Asa filii Elcana, qui habitavit in atriis* », seu verius *in vicis* « *Netophati* », urbis Netopha prope Bethlehem sitae (2,54). *Hemanitae* cantores (Elcana) non habitabant in Ierusalem, uti neque non-cantores Caathitae et Gersomitae (v. 14).

Summa levitarum excidit sane 1 Par. (cf. v. 6. 9. 22); habetur 2 Esdr. 11,18 : *Omnes levitae in civitate sancta ducenti octoginta quatuor*. Summa exigua comparatione numeri chororum aevo davidico.

5. *Ianitores* 1 *Par*. 9,17.

v. 17 « *Ianitores autem : Sellum et Accub et Telmon et Ahimam, et frater eorum* »; verte *et fratres eorum*, hi quatuor viri cum fratribus suis. Idem textus 2 Esdr. 11,19[a], nisi quod perperam omittantur *Sellum* et *Achimam* : cf. ad. v. 16. 2 Esdr. 11,19[b] adscribitur summa ostiariorum : *custodes portarum 172*. Quae h. l. non habetur, sed hic plura de iisdem traduntur, et primum quidem : « *Sellum princeps* ».

II. HISTORIA IANITORUM 1 PAR. 9,18-26[a].

Auctor 2 Esdr. 11,20-36 ea affert, quae potuere esse pars eiusdem documenti atque v. 4-19, aut certe documentum affine. Monet v. 20,

maiorem populi partem habitasse non in Ierusalem, sed in urbibus et vicis. Dein v. 21 meminit Nathinaeorum eorum (cf. ib. v. 3), qui in Ierusalem habitabant. Agit v. 22 sq. de inspectore Levitarum, et de stipendio a rege Persarum cantoribus pendi solito. Habet v. 24 legatum regis pro negotiis omnibus, tandem v. 25-36 elenchum urbium, quas tum Iudaei, Beniaminitae, levitae incolebant.

Continuator noster horum habet nihil. Mentione facta v. 17 ianitorum, historiam eorumdem summatim tradit, fortasse ob eam etiam rationem, quod alibi in sacris libris narratam non repeririet. Inserta autem conspicitur haec ianitorum historia descriptioni rerum post exsilium, sive quod haec duo contexuerit continuator, sive quod contexta repererit in fonte suo.

v. 18 « *Usque ad illud tempus in porta regis ad orientem observabant per vices suas de filiis Levi* ». Aliter *Hebr.* : *Et usque nunc in porta regis orientali ipsi sunt ianitores pro castris filiorum Levi. Usque nunc*, i. e. usque ad scriptoris tempus : simul verba indicant, vel *ante* illud tempus eos ib. excubasse, sc. v. 19 sq. inde a tempore Moysis. Porta atrii interioris *orientalis*, sanctuario obiecta, soli pridem *regi* reservabatur, solis sabbatis et neomeniis recludebatur, secus clausa manebat (Ez. 46,1 sq.; cf. 4 Reg. 16,18); eadem etiam post exsilium, quo tempore reges non erant, vocabatur porta regis eratque porta inter omnes portas principalis. *Ipsi*, sc. Sellum eiusque cognatio, non enim omnes quatuor v. 17 cognationes illam unam portam custodiebant. Sicut 2 Par. 31,2 portae aedis sacrae, ante quas sacrificia fiebant cantusque sacri, vocantur portae *castrorum Iahve* (cf. h. l. v. 19), ita atrium interius, in quo levitae sacerdotes iuvabant et cantica decantabant, vocatur *castra levitarum*.

Agi v. 18 de solo *Sellum* v. 17, non de Accub, Telmon et Ahimam, confirmat v. 19, qui tamen non agit de aliquo Sellum post exsilium vivente, sed de Sellum aequali Davidis (v. i.). Sc. quatuor nomina v. 17 non sunt individuorum hominum post exsilium viventium, sed nomina cognationum eius temporis a progenitoribus petita. Idem nomen Sellum v. 17 designat cognationem, v. 19 cognationis protoparentem. Cognationes vero *Accub, Telmon et Ahimam* videntur post Davidem effloruisse sive e cognationibus Obededom et Hosa cap. 26, sive ex ipsa cognatione Sellum.

v. 19 « *Sellum vero filius Core filii Abiasaph filii Core cum fratribus suis [et] domo patris sui, [hi sunt] Coritae, super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi* ». Igitur Sellum hic progenitor cognationis patrem habuit *Core* (II) quemdam eius rami Coritarum, qui (Ex. 6,24) per *Abiasaph* derivabatur a *Core* (I). Sellum hic *et fratres*

eius suae patrocciae, universa viri patroecia, *hi sunt*, quas voces *Vulg.* apte supplet, *Coritae* illi omnibus noti, constituti *pro ministerio custodiendorum liminum tabernaculi.* « *Et familiae eorum* [*per vices*] *castrorum Domini custodientes introitum* ». Verte : *Et patres eorum* constituti *super castra Iahve*, i. e. sanctuarium (cf. ad. v. 18), *custodes introitus.* v. 20 « *Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino* ».

En tibi totam rem declaratam. *Patres* Core II et Sellum in deserto custodiebant sanctuarium, suberant Phineae nepoti Aaronis et filio Eleazari, dum ipse Eleazar iuvabat patrem Aaron in iis, quae cultum spectabant. Cum Caathitis Num. 4,4 sqq. credita sit cura tabernaculi, veri simillimum apparet alicui Caathitarum stirpi, Coritis illis, creditam esse tabernaculi custodiam (*Ber.*). Quando ergo vixit Sellum? Adverte, hunc virum scribi et progenitorem ianitorum *templi*, et constitutum custodem *tabernaculi*, simulque distingui a patribus suis custodibus *tabernaculi mosaici*. Est sc. ille Sellum idem atque Selemia seu Meselemia a Davide 26,1 constitutus caput ianitorum; quem eundem censemus, restituto textu 16,42, scribi a Davide constitutum cum suis ianitorem sanctuarii *in Sion*, ubi erat novum Davidis *tabernaculum*. Ergo *patribus* Sellum credita custodia *tabernaculi mosaici*, ipsi *Sellum* custodia *tabernaculi davidici* ac postea *templi*, eiusdem viri *posteris* credita custodia *sanctuarii post exsilium.*

Scribitur porro Phinees fuisse ianitorum praepositus *pridem Iahve cum ipso*, לפנים יהוה עמו. Iahve adfuit Phineae, inquit *Cai.*, prosperum successum ei largitus est : verum scribenda fuit *copula* ante *Iahve*. « Dominus cum eo : ita mortuis precari mos est », inquit *Calm.*; at eius moris apud Hebraeos nullum secus comparet vestigium. *LXX Vulg.* legebant לפני, et *LXX* ante עמו legebant copulam : fuit Phinees dux eorum *coram Iahve*, in officio sacro ianitorum, *et cum ipso*, cum Phinee fuit is, qui tum temporis caput erat eius familiae, *Zacharias*. Sc. עמו trahendum est ad v. 21.

v. 21 « *Porro Zacharias filius Mosollamia, ianitor portae tabernaculi testimonii* ». Non est hic Zacharias filius Meselemiae vel Selemiae 26,14, cui obtigit sub Davide custodia portae *septentrionalis* tabernaculi in Sion; neque est Zacharias aliquis post exsilium constitutus custos portae sanctuarii, quae ipsa etiam *orientem* respiciebat, quia ea tum porta v. 19 credita erat *Sellum*, non Zachariae, et quia tum non erat *tabernaculum* : sed est Corita *aequalis Phineae* (v. 20 *et cum ipso*), primus a Moyse constitutus ianitor tabernaculi mosaici, primus illorum *patrum* de quibus v. 19. Miraberis et aevo Davidis et aevo Moysis fuisse principem quemdam ianitorum *Zachariam filium Mosollamiae.* Sed adverte

nomen Meselemia cap. 26 esse dubiae lectionis, nomen Zacharias perquam frequens, apud levitas potissimum quaedam nomina fuisse usitatissima (Elcana, Azarias vel Ozias etc.); adverte tandem cap. 9 tantam haberi nominum et textuum confusionem, ut nomina Zacharias et Mosollamia nequaquam ideo sint indubiae lectionis, quia nunc leguntur in textibus omnibus.

v. 22 « *Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim* ». *Hebr.* : *in ostiarios liminum* : cf. v. 19. Ad quosnam refertur pronomen *hi*? Num *tempore Moysis*, quo pauciores erant levitae, electi tamen sunt ex ipsis ostiarii 212? *Tempore Davidis* 26,8 sq. 11 fuere ianitores seu familiae ianitorum 93. Summa 212 est ianitorum *post exsilium*, correspondet summis v. 6.9.13; 2 Esdr. 11,6.8.12.13. 14.18, et imprimis summae 172 ib. v. 19. Sc. scriptor est in contexendis extremis documenti v. 4-18 cum altero documento, historia ianitorum. Quare mentione facta v. 17 cognationis Sellum, primum usus historia ianitorum revocat originem cognationis ipsiusque Sellum ad Zachariam aequalem Moysis, dein rediens ad prius documentum v. 22[a] adscribit summam ianitorum brevi post exsilium, at v. 22[b] continuo relabitur in ianitorum historiam. Haec non sunt aequaliter scripta : at non semper aequaliter scribunt auctores inspirati.

« *Et descripti in villis propriis* ». Parallela sunt duo pronomina : *ipsi, in vicis eorum fuit genealogizatio eorum* (cf. ad v. 1), *et ipsos constituit David etc.* Utrumque videtur referri ad tempus Davidis. Etiam *post exsilium* homines plures in *vicis* habuere sedes : v. 16.25; 2 Esdr. 11,25. At ianitores hi v. 3 et 2 Esdr. 11,3 accensentur iis, qui habitabant in *Ierusalem*, et distinguuntur 2 Esdr. 11,20 ab iis, qui *vicos* incolebant. Ergo utrumque incisum desumptum est ex historia ostiariorum, atque respicit tempus Samuelis et David, quorum nomina illico scribuntur. Quamdiu arca, fixam sedem nondum nacta, in uno tamen loco diutius perstabat, providendae erant ib. habitationes sacerdotibus et levitis iis, quibus sacra prope arcam officia suis temporibus erant obeunda. Samuel primus hanc rem ad certum ordinem revocavit, ostiariis vicos quosdam non totos tradidit, sed in iis eis habitationes attribuit; David fortasse eos in alios vicos transtulit, propius Ierusalem; cum tamen Gabaon (Nobe?) et Ierusalem non longe abessent ab invicem, potuit etiam David nihil mutare eorum, quae hac in re a Samuele statuta fuerant. « *Quos constituerunt David et Samuel videns* », i. e. propheta, « *in fide sua* ». Verte : *ipsos fundavit David et Samuel videns in praepositura sua.* De אמונה dicebamus CN p. 101; vox v. 22. 26. 31 evidenter est *nomen officii*. Num v. 31 cum *Net.* vertes : « Und Mattithjah... war auf Treue über das Pfannenback-

werk ›? Cum ostiarii sanctuarium custodirent armati (cf. ad 26,14 sqq.), crediderim Davidem eos militari disciplina imbuisse, in cohortes distribuisse etc.

Explicatur porro quaenam fuerint eius praepositurae ipsis a Davide attributae officia. Primum ipsis cum suis posteris credita est perpetua custodia sanctuarii : v. 23 « *tam ipsos quam filios eorum in ostiis domus Domini* [*et*] *in tabernaculo vicibus suis* ». *Hebr.* : ipsi et filii eorum constituti erant *super portas domus Iahve, domus tabernaculi ad custodias*, utique certis *vicibus* obeundas. Agitur de tabernaculo *sionico*, de mosaico quippe agebat v. 19. Scriptor documenti, vel ipse chronista documentorum collector, veritus ne illud *domus Iahve* acciperetur de templo salomonico, appositionem adscripsit *i. e. domus tabernaculi.* Erat enim aequivoco locus : licet tabernacula etiam pastorum vocabantur בית, tamen, postquam gens Hebraeorum a vita pastorali transiit ad vitam agricolarum et urbicolarum, eo nomine facilius intelligebatur aedificium ligneum vel lapideum. Ne scribas *et* (*LXX Vulg.*), quo scripto *domus Iahve* erit intelligenda *templum* : sed templum certe non fuit commemorandum *ante* tabernaculum. — Explicantur porro illae *custodiae*, quae erant quatuor numero : v. 24 « *Per quatuor ventus erant ostiarii,* [*i. e.*] *ad orientem et ad occidentem et ad aquilonem et ad austrum* ». Erant quatuor ostia sanctuarii. Explicantur deinde custodiarum *vices*, quas Samuel et David accuratius determinaverint. Non omnes custodias obibant simul et constanter, sed omnes erant in suos vicos distributi (v. 22), unde singulis sabbatis certae turmae prodibant ad custodias, iis qui praecedente hebdomada custodias egerant in suos vicos abscedentibus. v. 25 « *Fratres autem eorum in viculis* [*morabantur*], *et veniebant* » — *Hebr.* : *ad veniendum* — « *in sabbatis suis de tempore usque ad tempus* », mansuri tempore accurate determinato, ab initio unius hebdomadae ad initium alterius. Textus clarus, sed adscriptum habens obscurum עם אלה, *cum illis*. Non « cum illis exituris » (*Cai.*), nam neque cum illis veniebant, neque cum illis manebant. Non cum 4 viris v. 17 (*Ber. Oe.*), nam v. 17 longius abest quam ut ad illum pronomen referatur. Corrige אלה עם אלה, *illi cum illis, alii post alios* (cf. זא אל זה Is. 6,3).

v. 26 « *His quatuor levitis creditus est* [*omnis numerus*] *ianitorum* ». Aliter *Hebr.* : *Quoniam in praepositura erant ipsi, quatuor fortes ianitorum. Ipsi levitae.* Quaeritur, ad quodnam duorum documentorum haec spectent. Spectare ad historiam ianitorum, docet v. 22. 23. 26 repetitum הם et המה, item באמונה v. 26 respiciens באמונתם v. 22. Igitur v. 26 כי, *quoniam*, refertur non ad solum v. 25, sed ad v. 22-25 : custodiebant sanctuarium per vices, *quoniam* id erat eorum officium, id

spectabat ad ordinem a Samuele et Davide institutum. Indidem vero patet, *quatuor fortes* non esse cognationes v. 17 exsilio posteriores, sed quatuor turmas ostiariorum davidicorum cap. 26 : sicut porro cognationes (v. g. v. 17) designantur nominibus individuorum hominum progenitorum, ita quatuor cognationes seu turmae vocantur *quatuor fortes*.

Sed, quid volunt extremae voces *ipsi levitae*? Erantne, qui dubitarent, essentne ianitores levitae? Certe ii, de quibus agitur v. 26[b] sqq., fuere item levitae. Num his claudebat historia ianitorum sermonem de levitis, actura deinceps de non-levitis? Censeo equidem omnino, (contra *LXX R*) retinendam esse extremo v. 26[a] vocem הם seu המה (cf. v. 22. 23. 26[a]); sed cum *LXX R* vocem הלוים transfero : *Et erant levitae* super cubicula etc. Exprimitur id, quod verum est, v. 26[b] ordiri novum de *levitis* sermonem, sc. de ea levitarum post exsilium classe, quae correspondebat classi levitarum iudicum et scribarum 26,20-32 (cf. 23,4). Exprimitur id, quod item verum est, viros v. 26[b] sqq. nequaquam accensitos esse *ianitoribus* : non erant sane ianitores thesaurarii etc.

III. LEVITAE THESAURARII ETC. 1 PAR. 9,26[b]-32.

Iudaei de exsilio reduces in eo erant, ut res sacras, quantum paterentur tempora, restituerent tales, quales ante exsilium fuissent. Non erant neglecturi *quartam* levitarum classem 23,4 a Davide constitutam, *iudicum* et *scribarum*. Quorum primi 26,20 sqq., uti etiam h. l., recensentur *thesaurarii*. Ceterum haec classis post exsilium non tantae videtur fuisse auctoritatis quam antea : non videtur post exsilium opus fuisse classe aliqua levitarum, qui procurarent negotia templi et regis; inter scribas iam erant plures, qui levitae non erant. Fortasse fuit ea non tam *classis* aliqua, quam familiae quaedam numero pauciores. Praeter thesaurarios recensentur praefecti apothecarum et officinarum sanctuarii.

« *Et erant* » *levitae* (v. 26[a]) « *super exedras* », seu *cubicula* 23,28, « *et thesauros domus Domini* » 26,29 sqq. v. 27 « *Per gyrum quoque templi Domini* », *Hebr. LXX L domus Dei*, « *morabantur in custodiis suis ut, [cum tempus fuisset,] ipsi mane aperirent fores* ». Variis locis per gyrum distributi *pernoctabant*, *quia ipsis incumbebat custodia et patefactio portarum singulis mane*. v. 28 « *De horum* » levitarum « *genere erant et super vasa ministerii* », quaecunque ad cultum sacrum requirebantur : « *ad numerum enim et inferebantur vasa et efferebantur* ». Cum *Oc.*, *Net.* iunge : ut ea numerata inferrent et

numerata efferrent. Accurata ratio habebatur, ne quid aut subtraheretur aut deperderetur ; erant enim res sacrae. v. 28 agit de *portatoribus* rerum sacrarum, v. 29 de earumdem *custodibus* et *administratoribus*. v. 29 « *De ipsis, et qui credita habebant* » — videtur *S. Hier.* in ממנים aliquid subodoratus esse difficilis vocis אמונה; sed est participium verbi מנה : *De ipsis constituti erant* custodes, administratores *super vasa* seu utensilia seu res universim, eas omnes de quibus iam agebat v. 28, *et super* « *utensilia sanctuarii* », imprimis ea quae non circumferebantur, sed continuo in sancto permanebant, aliis verbis habebant custodiam ipsius sanctuarii ; et « *praeerant similae et vino et oleo et thuri et aromatibus* ».

v. 29 agebat de *custodia* thuris et aromatum : v. 30 tradit, penes quos fuerit earum rerum *commixtio* ad usus sacros. Cf. *Cai.*, *Men.* v. 31 adscribit officium collatum *Coritae* cuidam Sellumitae, v. 32 commemorat officium huic officio *affine*, collatum *Caathitae non Coritae*.

v. 30 « *Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant* ». *Hebr.* : *De filiis sacerdotum miscebant unguenta aromatibus*, ad praeparandum *oleum unctionis* et *thymiama*, quae a solis *sacerdotibus* Ex. 30,22 sqq. confici fas erat. Auctor, ubi narravit etiam thus et aromata commissa fuisse curae levitarum, monet non eosdem ex hisce praeparasse oleum unctionis et thymiama, sed *aliquos* filios sacerdotum : non enim magna harum rerum copia conficienda erat. Cur scribit *filios* sacerdotum, non vero uti secus *sacerdotes*? An forte ad illud opus deputabantur Aaronitae aliqui, qui ob defectus corporis Lev. 21,17 sqq. ab ingressu sanctuarii excludebantur?

Aliud munus recenset auctor, quod nobili levitae committebatur. v. 31 « *Et Mathathias levites, primogenitus Sellum Coritae* » (v. 19), « *praefectus erat eorum, quae in sartagine frigebantur* ». Hic *S. Hier.* scite vertit vocem אמונה· חבתים ἅπαξ λεγόμενον. Radix חבת praeterea comparet in sola voce מחבת, *sartago* : Lev. 2,5 ; 6,21 (14) ; 7,9 ; Ez. 4,3. Eandem esse significationem vocis חבתים, docet comparatus v. 32 : Mathathiae officium erat coquere carnes ad epula pacifica (*LXX* pro solis victimis pontificis), Banaiae (v. 32) officium erat pinsere panes propositionis. *Hebr.* : *erat praepositus operi sartaginis*. Cur vero Mathathias scribitur fuisse *de levitis*? Non ut viri origo describatur, quae abunde declaratur eo quod *Corita* vocetur. Sed scribitur vox, quia v. 31 sermo a filiis sacerdotum redit ad simplices levitas. Officio propinquo fungebatur vir alius, Caathita item sed non Corita : v. 32 « *Porro de filiis Caath fratribus eorum super panes erant propositionis, ut* [*semper novos*] *per singula sabbata praepararent* ». Miraris taceri viri nomen, cum

v. 31 habeat nomen Mathathiae : sed *LXX* pro ימן בני, *et de filiis*, legebant ובניה, *et Banaias*. Quae lectio omnino est praeferenda : viri Caathitae nomen fuit Banaias. v. 28. 29. 30 ordiebantur a praepositione מן (מ), v. 31 a nomine Mathathia incipiente litera מ : pronum erat initio item v. 32 inserere מ, unde ובניה depravabatur in ומבני. *De fratribus eorum*, sc. Coritarum, qui ipsi quoque erant Caathitae.

IV. ELENCHUS CANTORUM ETC. 1 PAR. 9, 33 SQ.

v. 33 « *Hi sunt principes cantorum per familias levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte* [*iugiter*] *suo ministerio deservirent* ».

Versio duas sententias perperam confundit in unam. Quarum prior est haec : *Hi sunt cantores*. Verba, praefixam habentia copulam, certe sunt *inscriptio*. Non sunt *subscriptio* eorum quae praecedunt v. 17-32, quae sunt non de cantoribus, sed de ianitoribus. v. 15 sq. longius absunt, quam ut v. 33 eorum esse subscriptio dici possit; praeterea elenchus sunt non *cantorum*, sed *trium solorum summorum principum cantorum*. At sententia illa neque est inscriptio eorum, quae nunc in textu illam excipiunt : nihil praeterea de cantoribus habent v. 33 sq. Ergo *sententia illa est inscriptio elenchi, qui primitus inscriptionem consequebatur, sed nunc in textu non exstat*.

Hic elenchus non videtur primitus *unum* documentum cum v. 1-32 vel v. 17-32 fuisse : cap. 9 non habet alias inscriptiones formae ואלה, *et isti*, quales alibi frequentius habentur, v. g. 6,17. 31. 33. 50. 54 (2. 16.18. 35. 39). Ceterum est etiam continuator, uti collector, in diversis documentis componendis : v. 1-32 sunt documenta duo vel tria, v. 35-44 rursum est documentum distinctum.

Fuit hic elenchus cantorum *post exsilium* : etenim tota pericope v. 1-34 est de rebus exsilio posterioribus. Certe non fuit idem cum elenchis 6,20-47, qui respiciunt tempora Davidis. Secundum v. 16[b] cantores Hemanitae non incolebant *Ierusalem* : num igitur elenchus hos omittebat? Id haud existimo. Etiam v. 35. 38, agens de habitatoribus Gabaon, aliquos recenset habitatores Ierusalem ; similiter elenchus hic deperditus, insertus in documentum de iis, qui in Ierusalem habitabant, recensebat cantores omnes habitantes tam in Ierusalem quam alibi.

Elenchum cantorum excipiunt sententiae tres, quae non sunt de solis cantoribus, sed de principibus seu capitibus levitarum *universis*, de iis inquam, *qui in Ierusalem habitabant* (v. 34), nam de his solis agitur v. 3-34.

Hebr. : *Capita patroeciarum leviticarum in cubiculis morabantur* (?), *quia diu noctuque praeerant labori.* Agitur de *cubiculis* prope sanctuarium v. 26. *Familiae* horum principum determinatos in Ierusalem vicos incolebant (2 Esdr. 11,21; 1 Par. 8,32; 9,38) : principes habebant *habitationem* « *officialem* » prope sanctuarium. *Vulg.* vere utique scribit *morabantur* : sed num ea vox exhaurit significationem vocis פטירים, Keri פְּטוּרִים? Quae certe non est vertenda *distributi per vices*, quod non scripsissent *LXX*, nisi existimassent agi de cantoribus. At vidimus, inter hanc sententiam et vocem cantores initio versus intercedere maiorem aliquam lacunam; sententia haec agit de quibuslibet principibus levitarum. Rara vox פטר utique habet sensum *liberandi*; unde satis arridet explicatio *Cai.* : « Dicuntur *licentiati*, h. l. licite liberi ab oneribus levitarum, ad quae vicissim tenebantur levitae ». *Exempti* erant a communibus officiis levitarum suae classis, *quia diu noctuque praeerant labori.* Rem sapienter interpretare : quatenus aliquid esset faciendum *noctu.* Perperam e textu infert *Cai.*, in sanctuario fuisse cantus nocturnos. Igitur, dum reliqui per vices ministrabant, principes illi constanter et sine vicibus praesto aderant apud sanctuarium.

v. 34 « *Capita levitarum, per familias suas principes, manserunt in Ierusalem* ». Duas sententias *Hebr.* habet : *Hi capita patroeciarum leviticarum secundum generationes suas. Capita haec habitavere in Ierusalem.* אלה sine copula refertur ad praecedentia : *hi*, quicunque inde a v. 14 recensebantur. Sententia est clausula totius tractatus de levitis. Tandem rursus affirmatur, 9,1-34 tantum sermonem esse de iis, qui habitabant in Ierusalem.

V. GENEALOGIA NATHINAEORUM 1 PAR. 9,35-44.

v. 3-34 agebatur de iis, qui brevi post exsilium habitavere in *Ierusalem* : v. 35-44 agitur de iis, qui habitavere potissimum Gabaone ; quos fuisse *Nathinaeos*, demonstrat etiam enumeratio v. 2 et comparatus textus 2 Esdr. 11,27. Textum verbotenus eundem explicatum habes 8,29-38.

v. 35 « *In Gabaon autem commorati sunt pater Gabaon Iehiel* », non post exsilium tandem, sed diu ante : antea tradebantur elenchi eorum, qui post exsilium una vixere, hic texitur genealogia. « *Et nomen uxoris eius Maacha* ». v. 36 « *Filius primogenitus eius Abdon et Sur et Cis et Baal et Ner et Nadab* », v. 37 « *Gedor quoque et Ahio et Zacharias et Macelloth* ». v. 38 « *Porro Macelloth genuit Samaan. Isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Ierusalem cum fratribus suis* ».

v. 39 « *Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul; et Saul genuit Ionathan et Melchisua et Abinadab et Esbaal* ». v. 40 « *Filius autem Ionathan Meribbaal, et Meribbaal* » — hoc unico loco scriptus מרי בעל — « *genuit Micha* ». v. 41 « *Porro filii Micha : Phithon et Melech et Tharaa et Ahaz* ». v. 42 « *Ahaz autem genuit Iara, et Iara genuit Alamath et Azmoth et Zamri. Zamri autem genuit Mosa* ». v. 43 « *Mosa vero genuit Banaa, cuius filius Raphaia genuit Elasa, de quo ortus est Asel* ». v. 44 « *Porro Asel sex filios habuit his nominibus : Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan : hi sunt filii Asel* ».

Hucusque continuator. Ipse, uti collector, tantum dat quantum habet, documenta etiam longe pauciora quam ille. Recenset primum familias, quae in Ierusalem habitavere; deinde eas, quae Gabaone, sane ideo etiam ante alia, quod harum aliquae v. 38 habitaverint in Ierusalem; inde fortasse, similiter atque 2 Esdr. 11,25 sqq., progressurus erat ad recensendos eos, qui in urbibus et vicis habitavere. « Filios servorum Salomonis » (2 Esdr. 11,3) v. 2 non commemorabat, neque fortasse de illis plura dicturus erat.

Consilium eius erat v. 1, continuare antiquas genealogias; sed ipsa temporum ratione inductus est, ut *alio ordine* res componeret, ordine *geographico* magis quam *genealogico*, eo magis qui in libro Iosue (cf. 1 Par. 4,28-33; 6,54-81), quam qui 1 Par. 2-7 observatur. Non agit de *Iuda* potissimum ac dein de *aliis tribubus*, sed potissimum de *Ierusalem* ac inde de *aliis urbibus et vicis*. Iosue pontifex et Zorobabel non videntur tunc incoluisse Ierusalem ; quorum igitur nomina cap. 9 desiderantur.

HISTORIA SANCTUARII DAVIDE REGE

1 PAR. 10-29

PRAENOTANDA.

1. Narrationis 1 Par. 10-2 Par. 9 *summa* est haec : scribit chronista *libros dierum* seu *historiam*, non populi, non regum, sed historiam κατ' ἐξοχήν seu *historiam sanctuarii*. Cuius partes sunt :

a. *translatio arcae de Cariathiarim in domum Obededom* 1 Par. 10-13. *Narratur* ea cap. 13. Narrationem *praeparant* cap. 10-12. David rex factus loco Saul, primum expugnat urbem futuram regni caput sedemque sanctuarii. In qua expugnatione refertur Ioab promeritus esse dignitatem principis exercitus. Quae ratio est, cur in sequente elencho Gibborim Ioabi non iam habeatur mentio : de eo sc. viro iam agebatur ante elenchum.

Qui porro 2 Reg. 23 per modum fragmenti a contextu soluti legitur *elenchus heroum David*, h. l. 11,10-41 legitur loco omnino suo, et inscribitur elenchus « principum Gibborim Davidis, qui adiuverunt eum, ut rex fieret super universum Israel ». Adscripta vero is habet h. l. alia perquam apposite : 11,42-46 breviorem elenchum principum Gibborim Rubenitarum, qui sane item et ad eundem finem iuvere Davidem; 12,1-7 elenchum Beniaminitarum, qui antea se iunxerant Davidi, quando primum venit in Siceleg; 12,8-15. 16-18 elenchum Gaditarum et Beniaminitarum, qui ad Davidem accesserant apud Odollam commorantem; 12,19-21 elenchum Manassaeorum, qui se Davidi iunxerant in Siceleg tempore supremi certaminis Saul contra Philisthaeos. Tandem, post generalem *clausulam* v. 22 elenchorum Gibborim, sequitur v. 23-40 *summa bellatorum*, qui accesserunt ad Davidem in Hebron.

En tibi conspectum totius rei militaris nequaquam otiose adscriptum : sc. 13,1 consilium adducendae Sionem arcae iniit David primum cum *principibus exercitus*, necnisi postea *populo* communicavit. Davidis vero cum populo hac in re consensio longe distinctius h. l. exponitur quam 2 Reg. 6,2 : sc. reformatio rerum sacrarum non videtur inchoata esse a *sacerdotibus levitisque*, quos Saul neglexerat, sed decreta esse a *rege*, qui validum haberet ad manum *exercitum*, et consentientem *populum*. Cf. 15,1 sq.; 17,1 sqq.; 22,1, quibus omnibus locis consilium rerum pro sanctuario peragendarum a Davide proficiscitur, non a Levitis. Constanter eiusmodi consilia antecessere insignes *victoriae* de hostibus reportatae, quibus ducum exercitus ipsiusque

Davidis auctoritas augebatur; ita cap. 14 ac rursum cap. 18-20. Narratio 1 Par. illud non obscure suggerit, reformationem religiosam profectam esse non a Levitis, sed a rege exercitu suffulto : rem fieri voluit rex praepotens, ergo facta est. Rem ita actam esse veri simillimum est, at simul alienum a quorumdam placito, chronistam in tota sua narratione libere sectari ordinis levitici commendationem.

Igitur sacrorum reformationis caput fuit translatio arcae Sionem, quam urbem tam Iudaei quam Beniaminitae merito habebant suam; utrique credendi sunt ei translationi praeprimis favisse. Verum ea translatio percusso divinitus Oza ad tempus sistebatur : arca substitit in domo Obededom.

b. *Translatio de domo Obededom in domum Davidis* 1 Par. 14-16. Narratur primum domus Davidis aedificatio, incrementa familiae Davidis, eius de Philisthaeis tum reportatae victoriae, quibus omnibus 14,2. 17 certior factus est David regnum suum Iahvae probari. Prioris infortunii causam indagatus perspexit etiam, prioris translationis ritum non fuisse satis *decentem*, arcam e Moysis statutis fuisse non plaustro vehendam a non-levitis, sed a levitis humeris portandam. Quare praeter sacerdotes collectis levitis 862, omnia summa cura disposuit, atque tandem solemni ritu cum universo populo arcam de domo Obededom traduxit in domum suam. Ordinavit idem, quae ad cultum divinum cum Sione tum Gabaone spectabant.

c. *Praeparatio aedificationis templi* 1 Par. 17-29. Cum David habitaret in domo *sua*, venit ei in mentem decere, ut arca quoque habitaret non in domo aliena, sed in domo sua. Consilium hoc templi aedificandi Deus per prophetam Nathan approbavit, etiam declarans aedificatorem fore Salomonem. Quare David suarum partium esse duxit eam aedificationem *praeparare*.

Primum rursus enarrantur *bella*, quibus David regnum ad eam opulentiam evexit, qua par esset tanto operi ferendo. Victoriis elatus David populum numerare attentavit; cuius arrogantiae poena pestis occasio fuit, ut angelus *locum* templo aedificando designaret. Igitur David descriptionem templi confecit et necessaria aedificationi comparavit. Tandem annis gravis concionem indixit principum populi, sacerdotum et levitarum. Sed narrationi habitae concionis inseruntur documenta quaedam, quae recensent divisiones levitarum, quas sanxit David, duces exercitus, populi, aulae ab ipso constitutos, ostenduntque quam florentibus rebus Salomon regnum susceperit. Post quae continuatur enarratio concionis, Davidis suprema monita, imprimis quoad templi aedificationem. Salomone constituto rege moritur David.

d. *Aedificatio templi* 2 Par. 1-9. Salomon, impetrata Gabaone in ipsa

regni inauguratione sapientia, illico (2,1) se operi aedificandi templi accingit. Describitur brevius quam 3 Reg. templi aedificatio, enarratur quibusdam etiam additis templi dedicatio. Uti vero descriptioni praemittebatur brevis conspectus magnificentiae Salomonis, ita eidem adnectitur copiosior eiusdem laus in urbium munitionibus, cultus divini magnificentia, lucrosis negotiationibus. Moritur Salomon.

Ex dictis colligas, Davidis et Salomonis acta scripsisse chronistam *certo consilio describendae historiae sanctuarii*, sanctuarii inquam hierosolymitani. Quare suppressis antiquioribus factis, quae e thora perspecta habebant omnes, narrationem orditur ab iis, quae spectant arcae translationem de Cariathiarim in Ierusalem. Translator David : ergo ab interitu Saul initium sumit narratio, post quem factus est rex David.

2. Novit omnino chronista *narrationem, quae habetur 1-3 Regum*; imo eandem lectoribus notam esse supponit. 10,13 sq. compendio resumit historiam Saul, qualis in illis libris narratur. Novit 11,2 priorem Davidis apud Saulem gratiam, 12,1.19 loca, ubi moratus erat David a Saul profugus; 15,29 acta Michol filiae Saul; novit 27,33 acta Achitophel, et 29,22 priorem Salomonis unctionem, novit ergo Abiathari pontificis cum Adonia coniurationem, acta Absalomis et Adoniae.

At licet chronista novit libros Regum et res narrat partim easdem, *methodo* scribit plane diversa. Non ex intima mente historiam ipse profundit, sed *fontes compilat*. Quod est communi consensu discrimen inter narrationem chronistae et narrationem librorum Regum : in his loquuntur auctores, in Chronicis loquuntur fontes. Modus is est plane legitimus scribendae historiae, Deo inspiratore minime indignus, eoque usus est chronista magna *fide* et *circumspectione*.

Igitur fonte uno praecipuo usus est *narratione actorum Davidis et Salomonis, quae re ac plerumque etiam verbis eadem est atque narratio 1-3 Reg.* Tradimus conspectum pericoparum 1 Par. 10-2 Par. 9 et 1 Reg. 31-3 Reg. 11. Quae utrobique habentur eaedem aut fere eaedem, eas *characteribus italicis* exprimimus.

1 *Par.* 10,1-12 *interitus Saul.*	1 *Reg.* 31 *interitus Saul.*
	2 Reg. 1-4 regnum Davidis super solum Iuda.
1 *Par.* 11,1-9 *David rex super omnem Israel factus expugnat Ierusalem.*	2 *Reg.* 5,1-3.6-10 *David rex super omnem Israel factus expugnat Ierusalem*[1].
1 *Par.* 11,10-41 *elenchus fortium David.*	
1 Par. 11,42-12,40 alii elenchi fortium.	
1 *Par.* 13,1-5 *praeambula translationis arcae.*	2 *Reg.* 6,1 *idem brevius.*

1. Ad chronologica 2 Reg. 5,4 sq. : cf. 1 Par. 3,4.

1 *Par.* 13,6-14 *translatio arcae ad domum Obededom.*	2 *Reg.* 6,2-11 *translatio arcae ad domum Obededom.*
1 *Par.* 14 *augmenta rerum davidicarum, victoriae de Philisthaeis reportatae.*	2 *Reg.* 5,11-25 *augmenta rerum davidicarum, victoriae de Philisthaeis reportatae.*
1 Par. 15,1-24 praeparatur altera arcae translatio.	
1 *Par.* 15,25-16,1-3.43 *translatio arcae Sionem.*	2 *Reg.* 6,12-20 *translatio arcae Sionem.*
1 Par. 16,4-42 psalmus in translatione decantatus.	
1 *Par.* 17 *consilium aedificandi templi.*	2 *Reg.* 7 *consilium aedificandi templi.*
1 *Par.* 18 *summarium bellorum David.*	2 *Reg.* 8 *summarium bellorum David.*
	2 Reg. 9 acta Miphiboseth.
1 *Par.* 19,1-20,3 *bellum ammoniticum.*	2 *Reg.* 10,1-11,1; 12,26-31 *bellum ammoniticum.*
	2 Reg. 11,2-12,25 adulterium Davidis.
	2 Reg. 13-20 ruina Amnon et Absalom.
	2 Reg. 21,1-14 ruina domus Saul.
1 *Par.* 20,4-7 *tria bella Davidis contra Philisthaeos.*	2 *Reg.* 21,15-22 *quatuor bella Davidis contra Philisthaeos.*
	2 Reg. 22 Davidis canticum petrae.
	2 Reg. 23,1-7 ultimum Davidis oraculum.
	(2 *Reg.* 23,8-39 *elenchus fortium David* v. s.).
1 *Par.* 21 *numeratio populi attentata et locus aedificando templo praemonstratus.*	2 *Reg.* 24 *numeratio populi attentata.*
1 Par. 22,2-29,25 praeambula aedificationis templi.	
	3 Reg. 1,1-2,9.12-46 coniuratio Adoniae.
1 *Par.* 29,26-30 *mors David.*	3 *Reg.* 2,10 sq. *mors David.*
2 *Par.* 1,1-13 *Salomon impetrat sapientiam.*	3 *Reg.* 3,1-15 *Salomon impetrat sapientiam.*
	3 Reg. 3,16-4,34 sapientia Salomonis iudicialis, administrativa etc.
2 *Par.* 1,14-17 *Salomonis divitiae et gloria*, brevis conspectus.	(3 *Reg.* 10,26-29 *Salomonis divitiae et gloria*).
2 *Par.* 2 *labores aedificationis templi praevii.*	3 *Reg.* 5 *labores aedificationis templi praevii.*
2 *Par.* 3 sq. *templi aedificatio.*	3 *Reg.* 6 sq. *templi aedificatio.*
2 *Par.* 5-7 *dedicatio templi.*	3 *Reg.* 8,1-9-9 *dedicatio templi.*
2 *Par.* 8,1-9,28 *Salomonis* gloria *in munitionibus urbium; mercatura etc.*	3 *Reg.* 9,10-10,29 *Salomonis* sapientia *in munitionibus urbium, mercatura etc.* vergens ad insipientiam.
	3 Reg. 11,1-40 Salomonis peccatum et initia ruinae imperii eius.
2 *Par.* 9,29-31 *mors Salomonis.*	3 *Reg.* 11,41-43 *mors Salomonis.*

Pro fine, quem chronista intendit, *omittit de consilio* plura eorum, quae libri Regum tradunt : praeter mortem Saul totam viri historiam, item persecutiones quas a Saule passus est David, regnum Davidis super solum Iuda, quod constabat potissimum bello contra domum Saul gesto, repudiationem Michol, acta Miphiboseth, Saulis in Gabaonitas saevitiam. Reticet praeterea inique acta Davidis et Salomonis, praeter illud 1 Par. 21 cum historia sanctuarii intime connexum : hinc tacet acta Amnon, Absalomis et Adoniae. *Addit* chronista alia, quae suo consilio consonant et 2 Reg. ignorantur : elenchos heroum, quorum unus tantum 2 Reg. 23 legitur tamquam fragmentum a contextu solutum; psalmum, quem concinnavit David pro solemnitate translatae arcae; translationis descriptionem magis articulatam, et alia.

Sc. finis narrationis librorum Regum est describere ipsum Davidem, Salomonem, eorum virorum prospere et adverse, bene maleque acta recensere; imprimis in Salomone depinguntur sapientiae incrementa primum ac postea decrementa. Finis narrationis 1 Par. 10-2 Par. 9 est enarrare historiam arcae, quae a Davide ad Salomonem semper procedit de bono in melius, tota est lucida, umbras ignorat. Neque ea exigit, ut umbrae coniiciantur in Davidem et Salomonem, viros de arca optime meritos, enarratis eorum peccatis. Quare haec supprimit narratio 1 et 2 Par., quae panegyrica potius est quam historica, historicam veritatem habet aliquam, non omnem. Neque tibi ius est eam narrationem carpere, quod non totam de Davide et Salomone tradat veritatem, cum ea nequaquam praetendat totam eam veritatem tradere, sed fata arcae enarrare.

Narrationem de arca censeo 1 Par. esse magis completam magisque veram quam 2 Reg. Descriptio pompae cap. 15, qua arca Sionem deducebatur, certe non est arbitrio efficta, ut neque ea quae cap. 16 habet de cultu tam Sione quam Gabaone celebrato. Neque efficta sunt documenta statistica cap. 23-27. — Omittimus porro *acta Salomonis* 2 Par. 1-9, quorum interpretationem habebit alterum commentarii volumen.

3. Aliis praeter illam narrationem, quam cum 1 et 2 Reg. communem habet, chronista utitur fontibus. Quos sequens Schema exhibet. Ubi R designat ea, quae verbotenus aut fere verbotenus habentur 1 et 2 Reg.; R ea, quae eadem sunt re et ex parte etiam verbis, attamen plura habent diversa. Quibus non accensemus ea (1 Par. 11,11-41; 21), quae habentur 2 Reg. 21-24 inter fragmenta libro adscripta, cum non constet ea aliquando fuisse partem continuae narrationis 1 et 2 Reg. ST sunt *documenta statistica,* elenchi virorum et officiorum. Cui columnae adscribimus etiam psalmum cap. 16, qui non est qui-

dem documentum statisticum, sed est documentum sui generis, pro quo uno secus inscribenda fuit columna a reliquis columnis distincta. Accedunt *narrationes* : L, quae sunt de rebus *levitarum*, T, quae sunt de *templo*.

R,R	ST	L,T
R 10,1-12 interitus Saul.		
R 11,1-3 David salutatus rex Israel.		
R 11,4-9 capta Ierusalem.		
	11,10-41 elenchus Gibborim Davidis.	
	11,42-47 elenchus Gibborim Ruben.	
	Cap. 12 documenta 5.	
R 13,1-5 consilium transferendae arcae.		
R 13,6-14 translatio arcae in domum Obededom.		
R 14,1-16 Davidis prospere acta.		
		L 15,1-24 ordo observatus in altera translatione arcae.
R 15,25-29 } translatio ar- R 16,1-3.43 } cae in Sion.		
	16,8-36 psalmus pro translatione arcae.	L 16,4-7.37-42 sacra ordinata Sione et Gabaone.
R cap. 17 consilium aedificandi templi.		
R 18,1-20,7 (8) bella a Davide feliciter gesta.		T 21,1-22, locus designatus aedificando templo.
		T 22.2-16 praeparata templi aedificatio.
	23,3-27,34 conspectus ministrorum sacrorum et regiorum sub Davide rege.	T 22,17-23,2 indicta a Davide suprema concio.
		T cap. 28 sq. suprema concio celebrata.

Quaeres, quid tandem tribuamus ipsi *chronistae*. Ei tribuimus *nexum* horum documentorum effectum. Tribuimus *notas subsecivas* identidem insertas : v. g. 10,13 sq. notam, quae demonstrat nexum inter historiam Saul et historiam Davidis; 21,28-30 excusationem Davidis. Tribuimus *partem certe discriminis* inter R et textus parallelos 2 Reg., eam sc. quae non fluxit ex aliis *fontibus* scriptis; fortasse *mutationes* aliquas fontibus L et T similiter adhibitas. Quid vero in hisce sit chronistae, quid fontium, non potest per omnia definiri. Chronista diversos fontes in unam narrationem compingens, vere est *auctor libri*.

Schema pandit generale consilium chronistae texendae historiae sanctuarii e documentis R (R) et T. Haec posteriora, illa priora tempora respiciunt : ex utrisque iunctis efficitur una continua historia sanctuarii ab initio regni Davidis ad finem. Sed narrationem R (R) complet chronista e fonte L. Documenta ST sunt quidem omnino gravia, potuere tamen omitti, integra manente narratione. Psalmus narrationem cap. 16 findit, 23,3-27,34 abrupte inseruntur narrationi extremae concionis a Davide habitae. Unam rationem, cur ea documenta inseruerit chronista, coniecerim fuisse eam, fuisse illa « paralipomena », documenta certae fidei, quae ne disperderentur voluerit chronista praecavere. Alia similia certae fidei documenta fortasse non comperit. Quod vero chronista haec varia documenta in unam compegerit historiam, demonstrat eum illa uti R habuisse vero aliquo sensu historica, non meras fictiones.

4. R quandoque narrationi facta inserit, quae 2 Reg. non referuntur. 11,4-9, omisso proverbio antiquo, quod tempore chronistae non intelligebatur vel in desuetudinem abierat, commemorat Ioabi facinus in expugnanda Ierusalem patratum. Quod facinus est veri simillimum ac plane consonum contextui (11,10-41), qui docet Davidem nonnisi viros ob insignia facinora illustres fecisse supremos exercitus duces. 13,1-5 distinctius explicatur Davidis consilium transferendae arcae, imprimis eum illud consilium iniisse primum cum ducibus exercitus, postea cum populo : quod oppido consonat indoli regni davidici militari. 18,1-20,7 universim idem est cum 2 Reg. 8; 10,1-11,1; 12,26-31; (21,18-22) : sed tacetur 18,2 Davidis saevitia in Moabitas; 18,8 affirmatur Salomon aere in Syria comparato usus esse ad conficiendum mare aeneum etc.; 18,12 effertur, quid contulerit Abisai ad subigendos Edomitas. Sunt alia horum similia.

Vicissim 15,25-29 utique cum 2 Reg. 6,12^{b}-16 affinitatem habet, sed mentione facta v. 27 Choneniae aliorumque indubiam item affinitatem prodit cum narratione L 15,1-24. Sc. narratio L non tradebat solum ordinem in translatione arcae observatum, cum officiorum distributione post translationem effecta, sed inter haec duo narrabat ipsam translationem. Quae narratio potuit ipsa esse narratio 15,25-29; 16,1-3. 43, perquam affinis narrationis 2 Reg. 6 : at potuit etiam ab ea differre cum quoad formam tum, quatenus illa narrabat facta, etiam quoad rem. Porro chronista narrationem R pro viribus sequebatur, eam plurimum verebatur, fortasse sacram habebat. Facile credetur, ubi L praeter illam aliqua haberet, haec cum illa in unam confudisse narrationem, narrasse secundum utrumque fontem simul. Quae hypo-

thesis facile explanat et affinitatem R cum 2 Reg. in plerisque et discrepantiam in quibusdam.

Verum, habebatne fons L praeter ea, quae translationem arcae spectabant, nihil? Carebatne aliqua actorum ante eam translationem narratione? Quam si habebat, ex ea derivaverit chronista ea ante cap. 15 facta, quae 2 Reg. ignorantur. Quodsi non hausit ex ea narratione, derivaverit ex alio aliquo fonte. Chronista fontes compingit, non ipse fingit facta.

Tamen neque omnes inter R et 2 Reg. discrepantiae repetendae sunt ex L aliisve fontibus a 2 Reg. diversis. In narratione profecta ex annalibus regiis fieri potuit simile quid eius, quod CD p. 153 sqq. et CJ[1] p. 77 sqq. factum esse suggerebamus, ut narrationum circumferrentur textus diversi inter se, quorum unum tandem vergentem fortasse ad paraphrasin vel ad midrash suum fecerit scriptor inspiratus, providente inspiratore Deo, ne quidquam reciperet scriptor inspiratus alienum a veritate ipsius narrationis propria. Quod enim ib. affirmabamus, textus sacrorum librorum apud Iudaeos non fuisse per omnia fixos, sed vivos et fluxos, libri Iosue distinguendum videri textum primigenium copiosiorem et textum recentiorem nostrum, nonne idipsum fieri etiam oportuit in libris Samuelis, ut eorumdem exstiterit textus primigenius copiosior nostro, itemque apographa ex eodem derivata, quorum aliqua facta quaedam praetermiserint, quae alia apographa servaverint? Fuerit igitur noster librorum Samuelis textus tempore chronistae universim pro sacro receptus et publicis praelectionibus adhibitus. Sed alium textum in manibus habuerit chronista, e quo sua illa minora « paralipomena » deprompserit. Non sunt pro quibuslibet textuum discrepantiis adstruendi fontes ab invicem plane diversi : suffecerit quandoque adstruere unius textus diversas veluti editiones.

Accedit tandem, quod apud omnes constat, chronistam, etiam ubi textu utebatur eodem quem libri Regum habent, ei textui *non serviliter* adhaesisse. Saepe verbis antiquatis vel obscuris alia substituit clariora, quaedam de consilio dissimulat vel mutat, utitur euphemismis. E quibus fluit regula utilis interpreti. Quando chronista utitur expressione clariore et faciliore ea, quae habetur in libris Regum, non ea est sufficiens ratio *emendandi* eorum librorum textus. Chronista quippe non est in eorumdem textu *critice* restituendo, nequit demonstrari comparasse diversa unius textus apographa; cuiusmodi systematica comparatio erat ab eius aevi genio alienior. Aedificationem legentium quaerit, non criticam. Neque timendum est, ne chronista ita scribens deflexerit a veritate suae narrationis propria, cum scribenti adfuerit divina assistentia.

5. Quod attinet documenta ST, sunt quidem ea documenta praeter psalmum affinia inter se, statistica : verum, sintne eiusdem an diversorum auctorum, definiri nequit. Ipsa documenta 11,10-41. 42-47, quae sunt per omnia similia, potuere diversorum esse auctorum; sunt etenim meri elenchi nominum. Imo neque 23,3-27,34, et imprimis cap. 25, affirmari possunt e communi aliquo fonte fluxisse cum 6,30-57, licet de rebus affinibus tractent modo fere eodem.

Documenta T sunt valde affinia inter se, et potuere primitus esse unicum documentum : scripta sunt eodem omnia stilo fuso et amplo, et in quibusdam (cf. ad 22,2-16) deprehenduntur esse narratio non stricte historica sed liberior, veram historiam exprimens forma quae aliquid habet epicae libertatis. Quod narrandi genus auctorem inspiratum nequaquam dedecet, imo ad aedificandos chronistae aequales erat perquam efficax.

At diversa plane indoles, ideoque diversus item auctor, narrationis L, quae est affinior documentorum ST quam T, estque multa in recitandis virorum nominibus singulisque suis locis distribuendis.

Et haec quidem de chronistae fontibus et methodo scribendi h. l. monuisse sufficiat. Nolebamus quippe hoc priore volumine totam de fontibus materiam pertractare, sed illa eatenus nobis fuit attingenda, quatenus id fieri oportuit, ut *textus* ipse probe intelligeretur. Etenim in libro sacro, cuius textum nequaquam ab antecessoribus nostris interpretibus habemus sufficienter discussum, *illud primum explicandum suscepimus, quid auctor dicat*. Qua autem *veritate* dicat sequente volumine inquiremus, ubi plura erunt dicenda etiam de fontium indole et compositione.

COMMENTARIUS

A De Cariathiarim ad domum Obededom 1 Par. 10-13.

I. PRAEAMBULA TRANSLATIONIS ARCAE 1 PAR. 10-12.

1. *Interitus Saul regis* 1 *Par*. 10.

Arg. — Auctor refert interitum Saul, quem decrevit Iahve in poenam inobedientiae ac fiduciae collocatae in magicis artibus prae Iahvae auxilio. Qui interitus Iahvae causa fuit regni in Davidem transferendi.

Cap. X. Textus verbotenus idem est atque 1 Reg. 31, perpaucis exceptis, quorum potissimum illud est, ut sufficiatur paraenesis v. 13 sq. Quare pro reliquorum interpretatione remittimus lectorem ad CR p. 261 sqq.

v. 1 «*Philisthiim autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palaesthinos, et ceciderunt vulnerati in monte Gelboe* ». Reiecti e locis planioribus in montem Gelboe, ibi trucidabantur plures. Philisthaei vero *adhaesere post Saul et filios eius* : אחרי magis distinctum quam את. Duces Hebraeorum constanter illi premebant rati, si hos interemissent, nihil defuturum victoriae : v. 2 « *Cumque* [*appropinquassent*] *Philisthaei persequentes Saul et filios eius, percusserunt Ionathan et Abinadab et Melchisua, filios Saul* ». Cf. 8,33. v. 3 « *Et aggravatum est proelium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii et vulneraverunt iaculis* ». Absunt incommodae voces אנשים et מאד. *Ferierunt eum sagittarii et timuit a sagittariis.* 1 Reg. 31,3 bis מורים : h. l. המורים et מן היורים. Duas voces diversas eiusdem significationis in eadem brevi sententia vix scripturus erat chronista, ipse narrans verbis suis : at describens textum alienum, primum descripsit המורים, dein מהמורים resolvit in מן היורים. v. 4 « *Et dixit Saul ad armigerum suum : Evagina gladium tuum et interfice me, ne forte veniant incircumcisi isti* » (abest alterum ודקרני : cf. 1 Reg. 31,4), « *et illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere timore perterritus : arripuit ergo Saul ensem et irruit in eum* ». v. 5 « *Quod cum vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum et mortuus est* ». v. 6 « *Interiit ergo Saul et tres filii eius, et omnis domus illius pariter concidit* ». 1 Reg. 31,6 idem re, non verbis. v. 7 « *Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus* » ex utraque parte montis Gelboe, in planitie Esdrelon et in Araba, expressio planior ea quae habetur 1 Reg. 31,7, « *fugerunt* » — *Hebr.* : *cum vidissent... quia fugerunt,* sc. « viri Israel » (1 Reg. 31,7) seu exercitus — « *et, Saul ac filiis eius mortuis, dereliquerunt urbes suas, et* [*huc illucque*] *dispersi sunt, veneruntque Philisthiim et habitaverunt in eis.*

v. 8 « *Die igitur altero detrahentes Philisthiim spolia caesorum, invenerunt Saul et filios eius iacentes in monte Gelboe* ». v. 9 « *Cumque spoliassent eum et amputassent caput armisque nudassent* » (cf. 1 Reg. 31,9), « *miserunt in terram suam, ut circumferretur et ostenderetur idolorum* [*templis*] *et populis* ». Pro בית h. l. את : *circummisere in terra Philisthiim, ut laeto nuntio recrearent deos suos et populum;* v. 10 « *arma autem eius consecraverunt in fano dei sui* », 1 Reg. 31,10 « in domo Astaroth » Ascalone. Nomen idoli suppressit chronista, non quod puderet scribere nomen idoli, nam illico scribit nomen Dagon. Fortasse nomen Astaroth in fonte, quo utebatur, obliteratum erat. « *Et caput affixerunt in templo Dagon* ». Hoc non habetur 1 Reg. 31,10, sed eius loco : « et corpus eius affixerunt in muro Bethsan ». Utrumque sine dubio verum fuit, neque absonum videtur in ipsa urbe Bethsan ex-

stitisse tum aliquod templum Dagon. Quo vero perrexere viri Iabes cadavera ablaturi? Sane ad loca circa montem Gelboe, cum chronista non affirmet cadavera inde esse remota : locus accuratius determinatur 1 Reg. 31, Bethsan. v. 11 « [*Hoc*] *cum audissent* » *omnes* « *viri Iabes Galaad, omnia scilicet quae Philisthiim fecerant super Saul* », — chronista duo addita habet כל, quorum prius est loco vocis minus planae אליו, tamen revera abundat — v. 12 « *consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum eius, attuleruntque ea in Iabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum, quae erat in Iabes, et ieiunaverunt septem diebus* ». Chronista non refert carnes antea esse igne consumptas, fortasse quod id a ritibus funebribus suorum aequalium abhorreret.

Addit vero chronista paraenesin. v. 13 « *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod praevaricatus sit mandatum Domini quod praeceperat, et non custodierit illud* » (1 Reg. 10,8; 13,12; 15), « *sed insuper etiam pythonissam consuluerit* » (1 Reg. 28,8), v. 14 « *nec speraverit in Domino : propter quod interfecit eum, et transtulit regnum eius ad David filium Isai* ».

2. *Exordia regni Davidis* 1 *Par.* 11, 1-9.

Arg. — David rex totius Israel salutatur; expugnat Ierusalem, futurum regni caput et sanctuarii sedem. Qua in expugnatione Ioab summi ducis dignitatem promeretur. Iahve in omnibus Davidem adiuvat.

Textus v. 1-9 idem atque 2 Reg. 5,1-3.6-10. Monebat *Cai.* : « Festinat auctor ad Davidis regnum, inchoandum ab initio regni Davidis super totum Israel, quod fuit post septem annos a morte Saulis ». Sc. auctor, ubi 10,14 nos edocuit de regno Saul ad Davidem translato, de rebus domus Saul porro silet, et regnum Davidis super omnem Israelem enarrandum aggreditur.

Cap. XI v. 1 « *Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron dicens : Os tuum sumus et caro tua* ». Ne illud quidem auctor prodit, quomodo David devenerit *Hebronem*. 1 Reg. 5,1 « venerunt » : occisis quippe Abner et Isboseth nihil superfuit *tribubus* (ib.), quam ut Davidi iungerentur, ad eum *venirent*. H. l., defuncto Saul, veluti spontaneo consensu *congregantur* ad Davidem. v. 2 « *Heri quoque et nudiustertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas et introducebas Israel. Tibi* [*enim*] *dixit Dominus Deus tuus : Tu pasces populum meum Israel, et tu eris princeps super eum* ». Eiusdem gentis es, cuius nos sumus; iam regnante Saul egregie de re publica meritus es; insuper te Deus regno destinavit. v. 3 « *Venerunt ergo omnes maiores*

natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis foedus coram Domino, unxeruntque eum regem super Israel », additque chronista : « *iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuel* ». « Ut hinc intelligamus, populum innixum auctoritati divinae per Samuelem manifestatae unxisse in regem Davidem » (*Cai.*).

v. 4 « *Abiit quoque David et omnis Israel in Ierusalem, haec est Iebus, ubi erant Iebusaei habitatores terrae* ». Omittuntur *chronologica* 2 Reg. 5,4 sq., quae ceteroqui quoad substantiam habentur 1 Par. 3,4. Nonnihil magis explicite quam 2 Reg. 5,6 inculcatur, eandem esse *Iebus* quae *Ierusalem*. 2 Reg. 5,6 ibat David cum *viris suis*, cum exercitu iudaeo, hic cum *omni Israel*, sed neque haec verba edicunt omnes Israelitas armis ferendis pares, sed quem forte exercitum rex haberet ad manus; crediderim vero expeditionis socios fuisse eos omnes heroas v. 10-41, « qui adiuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel ». Hi erant et *viri eius* et, quod e diversis essent tribubus, erant quodammodo etiam omnis *Israel*. Porro v. 5-7 pluribus differt a 2 Reg. 5,6ᵇ-8. Primum refertur probrum, quod Iebusaei coniecere in Davidem : v. 5 « *Dixeruntque, qui habitabant in Iebus, ad David* : *Non ingredieris huc* » ; sed omittuntur huius effati reliqua, quorum sensum ipse fortasse chronista non iam satis perspiciebat. Sequuntur verbotenus eadem atque 2 Reg. 5,7 : « *Porro David cepit arcem Sion, quae est civitas David* ». v. 6 idem est atque 2 Reg. 5,8, omissis rursum verbis difficilioribus, clare expresso eo quod ibi e contextu supplendum relinquebatur, sc. qui primus hostes vicisset, eum totius exercitus futurum ducem : v. 6 « *Dixitque* : *Omnis qui percusserit Iebusaeum in primis* », i. e. primus, « *erit princeps et dux* ». Videtur scribi vox ראש, *caput*, intuitu vocis בראשונה, *primus*, et *caput et dux* scribi pro *caput ducum*. Erant duces militiae plures, quorum omnium caput supremus dux. « *Ascendit igitur primus Ioab filius Saruiae, et factus est princeps* ». Quodsi antea, non de facto tantum sed imo de iure, Ioab fuit dux exercitus Iuda (2 Reg. 2,13 sqq.; 3,23 sqq.), factus est nunc dux exercitus Israel. Quem honorem ei David contulit fortasse non lubens (cf. 2 Reg. 3,29), sed debuit conferre propter promissionem v. 6.

Porro, quod hic narratur de Ioab, omnino consonat contextui cap. 11. Ubi v. 10 sqq. traduntur praeclare acta quorumdam praeter Ioab virorum : conveniens erat, ut traderetur etiam aliquod Ioabi factum omnino praeclarum, imo praeclarius interfectione alicuius gigantis vel leonis. Demonstranda erat ratio, cur Ioab, qui paulo ante Davidis indignationem incurrisset ob caedem Abner, supremi ducis dignitatem obtinuerit. Quam etiam postea retinuit interfecto Amasa et Absalome. Quae fuere regi sufficientes rationes (3 Reg. 2,5) viri dignitate privandi :

sed verebatur rex virum audacem, qui fortasse impatientius erat laturus, ut dignitate deponeretur, quam solemni regis promissione existimaret esse perpetuo suam. Utique postmodum, quando de propria auctoritate agebatur, non dubitavit Ioab cum Adonia rebelli iungere manus. Quare illud, Ioabum in expugnatione Iebus fuisse primum, omnino censeo habuisse historias David.

v. 7 « *Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est civitas David* ». Idem textus, qui 2 Reg. 5,9ᵃ. v. 8 « *Aedificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum* ». *LXXR*, praeter verba *aedificavitque urbem in circuitu*, huius versus habent nihil. Ubi 2 Reg. 5,9ᵇ ובֵיתָה, « et intrinsecus », chronista ועד הסביב, *usque ad* (totum) *circuitum*. Effertur *Mello*, quo loco natura infirmiore validior exstruenda fuit munitio. Et additur : « *Ioab autem reliqua urbis exstruxit* ». Piel verbi חיה, *ad vitam revocare*, etiam 2 Esdr. 4,2 (3,34) de *reaedificando* aedificio scribitur. Igitur Ioab, grati animi pro accepta dignitate argumentum, aliqua aedificavit etiam ipse. Quaenam aedificavit? num partem aliquam aedificiorum, quae munitionibus *concludebantur*? ביתה et סביב non necessario *totum ambitum* munitionum designant; id neque necessario dicit expressio מסביב ועד סביב, *a circuitu ad circuitum*; cuiusmodi *generales* expressiones semper admittunt exceptiones, atque vox *urbs* v. 8ᵇ uti v. 8ᵃ videtur designare *munitiones* urbis : quare equidem coniicio Ioabo h. l. tribui aliquam partem *munitionum*. Obscurus manet textus atque a suspicione corruptionis (cf. *LXXR Syr.*) nequaquam alienus. Quid, si pro שאר, *reliquum*, legendum sit שער vel שערי, *portam* vel *portas*? David aedificavit urbem circum, tam Mello quam totum murum (הסביב cum art.), Ioab aedificavit portam vel portas; totus textus est de aedificandis munitionibus.

v. 9 « *Proficiebatque David vadens et crescens* », continuo invalescebat, « *et Dominus exercituum erat cum eo* ».

3. *Res militaris initio regni Davidis* 1 *Par.* 11,10-12,40.

Translaturus arcam David orsus est 13,1 a concilio omnium principum exercitus. Quanti momenti fuerit hoc concilium, pandit auctor insertis documentis, quae rem militarem initio regis Davidis describunt.

Traditur primum 11,10-41 elenchus *Gibborim* seu *Shalishim Davidis*, qui idem ut fragmentum a contextu solutum habetur 2 Reg. 23,8-39. Sed h. l. v. 42-46 sine titulo adscriptum habet documentum affine, elenchum *Gibborim Rubenitarum*.

Cap. 12 cum 11,10-40 affinitatem habet cum rerum tum ordinis.

rerum, versatur enim et ipsum in describenda re militari David. Ordinis : inscriptioni quippe 11,10 « Et isti sunt capita Gibborim » correspondet inscriptio 12,1 « Et isti... inter Gibborim »; inscriptioni 11,11 « Et iste numerus Gibborim David » correspondet inscriptio 12,23 « Et iste est numerus capitum etc. ». Quae duae partes 12,1-22 et 12,23-40 clare discernuntur ab invicem : prior, similiter atque cap. 11, est in recensendis nominatim viris fortibus, altera tradit numeros militum gregariorum.

Non docebamur 11,10-40, *quando* Gibborim illi se iunxerint Davidi. E contra cap. 12 definit tempora.

Traditur 12,1-7 elenchus virorum *Beniaminitarum*. quorumdam plane insignium, qui a Saul deficientes ad Davidem morantem in *Siceleg*, haud parum *Davidis auxere auctoritatem*.

Sequitur 12,8-18 elenchus aliorum, qui *ante alios* transfugere ad Davidem morantem in *Odollam*, et *Gaditarum* quidem v. 8-15, *Iudaeorum* et *Beniaminitarum* v. 16-18.

Habetur 12,19-22 elenchus *Manasseaorum* aliorumque, qui *extremi* ad Davidem transiere in *Siceleg* morantem.

Tandem 12,23-40 agit de iis, qui *Hebrone* ad Davidem accessere, reducem de exsilio post mortem Saul.

Vides, quamvis in his distinguantur tempora, non tamen accurate servari ordinem temporum : versatus est David in Odollam, *antequam* versaretur in Siceleg.

Tamen eius etiam inaequalitatis aliqua probabilis ratio indicari potest. Descriptio temporis v. 1, quae initium commorationis Davidis in Siceleg respicit, videtur scripta esse intuitu descriptionis temporis v. 19 sq., quae eiusdem commorationis extrema respicit. Fuerit continuus fontis sermo v. 1-7. 19-22, enarrans eas tantum *multorum* defectiones, quae regno Saul ad finem vergente factae sint in Siceleg : erant vero, qui secedebant, eiusdem atque Saul tribus homines Beniaminitae, et tribus primogenitae domus Ioseph Manassaei. Cui sermoni inseruerit chronista alia duo : v. 8-15 nomina et acta heroum transiordanicorum, v. 16-18 non heroum nomina, sed unius viri factum, quod argumento esset comitatis David. Quae coniectura, sermonem 12,1-22 ad duos fontes revocans, explicat illam quae adesse videtur narrationis inaequalitatem.

Quidquid tamen sentias de ea coniectura, habes certe 12,23-40 eos, qui ad Davidem accessere Hebrone regnantem; habes 12,1-22 eos, qui ad Davidem exsulem accessere tum, quando is iam aliquam virorum desperatorum manum 1 Reg. 22,2 circa se collectam habebat : obvia est opinio, 11,10-41 recitari *primos illos Davidis socios*, primum exercitus nucleum, viros illos, qui aliquando fuere in angustiis constituti, oppressi aere alieno et amaris animis; non omnes fortasse, sed eos qui

ob insignem fortitudinem Davidi se praebuerint eximie caros et ab eo suis Shalishim sint adnumerati. Quorum elencho ob formae similitudinem adscribatur v. 42-46 alter brevior elenchus Rubenitarum, qui nonnisi serius, fortasse Hebrone ad Davidem accesserint.

Ut porro factorum 11,10-12,40 nexus intimius perspiciatur, attendendum est chronistae scribentis *consilium* et *methodus*. Methodus est in compingendis documentis, quibus non facile mutationem adhibet chronista : connectit, non confundit. Consilium quod attinet, descripserat chronista e *fonte*, quem cum 2 Reg. communem habet, initia regni davidici super Israelem. Demonstraverat captam Iebus : certe non eo traduxit David arcam, antequam ea urbs esset quadamtenus munita et tuta 11,8, reparatis et completis munitionibus Iebusaeorum. Dum ea muniebatur, David 11,9 in omnibus prospere agebat, certe etiam in expeditionibus quibusdam militaribus, quae non distinctius referuntur.

Intendit porro chronista, ex eodem fonte recitare cap. 13 primam arcae translationem de Cariathiarim in domum Obededom. Verum id intendit praestare distinctius etiam, adscitis *aliis quibusdam documentis*, e quibus demonstret translationem illam effectam esse *inito consilio a Davide cum principibus exercitus* 13,1. Habuit quippe regnum Davidis indolem potissimum militarem, regnum Salomonis indolem pacificam. Unde delabitur chronista 11,10-12,40 ad describendam *rationem exercitus Davidis* eo circiter tempore.

Duas gravissimas a Davide habitas *conciones* chronista refert : primam 13,1 sqq. de arca transferenda de Cariathiarim, alteram 23,1 sq. ; 28 sq. de templo aedificando. Huic praemittit 23,3-27,34 descriptionem omnium levitarum et principum, illi 11,10-12,40 descriptionem exercitus. Vides utrobique narrationem a chronista aequaliter dispositam.

Potuit porro David, quo ipso tempore Hebrone salutabatur totius Israelis rex, eam conditionem cum principibus exercitus pacisci, ut et Iebus expugnaretur et arca eodem transferretur. Ita a primis regni sui affirmabat indolem theocraticam, diversam ab indole regni Saul qui 13,3 sacra neglexerat. Quodsi adstruas, consilium militare 13,1 revera habitum est tum, quando 12,38 omnes ad Davidem convenere *Hebronem*. Potuit etiam David post expugnatam Iebus consilium suum cum principibus exercitus communicare. Neque officit, describi 11,10-12,40 conditionem exercitus, qualis Hebrone ante expugnatam Iebus fuerat : exstitit quippe conditio exercitus utroque tempore universim eadem, documenta, quae chronista ad manum habebat, describebant conditionem exercitus tempore conventus Hebrone habiti, neque erat cur in hisce chronista quidquam mutaret.

Ad quod tempus ipsa documenta referantur, clare exprimit chronista initio et fine sermonis : 11,10 « Hi sunt... qui strenue egere cum Davide, ut rex fieret super omnem Israel » ; et 12,38 : « venerunt Hebronem, ut regem facerent Davidem super omnem Israelem ».

A. Elenchus heroum 1 Par. 11,10-46.

α. Elenchus Gibborim seu Shalishim David 1 Par. 11,10-41.

Cum idem elenchus habeatur 2 Reg. 23,8-39, pro pleniore explicatione lectorem remittimus ad CR p. 434 sqq.

Qui viri in inscriptionibus v. 10 sq. 26; 2 Reg. 23,8 vocantur *Gibborim*, iidem in elencho (etiam v. 42) vocantur *Shalishim*. Uti v. 26 viri v. 26-41 inscribuntur *Gibborim*, ita 2 Reg. 23,24 iidem inscribuntur fuisse *Shalishim*.

Etiam inter viros cap. 12 reperiuntur Gibborim et Shalishim. Beniaminitae, ut equidem reor, 12,4-7 fuere omnes Shalishim vel Rosh ha-Shalishim. Fuit item Rosh ha-Shalishim Amasa v. 18. Gibborim fuere v. 1 omnes Beniaminitae v. 1-7, item v. 8 Gaditae v. 8-15, item v. 21 Manassaei v. 20 sq. Imo inter gregarios milites fuere v. 30 Ephraimitae 20,800 et v. 25 Simeonitae 7,100, qui omnes erant Gibborim. Coniecerim, quicunque cap. 12 enumerantur, eos omnes fuisse Gibborim, hocque nomen etiam h. l. habere significationem, quam ei CJ[1] p. 107 vindicabamus, et designare *homines probe armatos*.

Sed non Gibborim omnes erant *Shalishim*. Habebat Shalishim David, habebat Saul, habebant Rubenitae, qui prae ceteris tribubus videntur habuisse exercitum rite instructum. Videntur Shalishim fuisse regis vel summi ducis maxime proprii, eiusque veluti custodes corporis.

Igitur *Gibborim David* 11,10-41 erant omnes etiam Shalishim. Sed nonne Davidis erant etiam Shalishim ii, quos habet cap. 12? Omnino pro Davide militabant, sed non adnumerabantur lectae manui, quae *Gibborim David* vel *Shalishim David* audiebat.

Neque tamen inde esse inferendum, Shalishim fuisse *cohortem* a reliquis cohortibus distinctam, cf. CR p. 436. *Shalishim*, vox originis fortasse non hebraeae, nomen esse videtur non cohortis, sed gradus militaris, *Rosh ha-Shalishim* dignitatis intra eundem gradum etiam altioris. Vel ipse exiguus numerus Shalishim David suadet non agi de cohorte aliqua. Gradus Shalishim ob idipsum, quod esset *primorum* sociorum Davidis exsulis, non erat futurus perpetuus. Quorum plures sine dubio ante Davidem supremum diem obiere, alii cap. 27 ad summa in exercitu imperia sunt promoti, praetorianos sibi mox providit Da-

vid alios et plures, in plures cohortes distributos. Quare extremo Davidis regno iam nulla habetur mentio Shalishim.

Audacius aliqui nomen *Shalishim* vertere *triginta* : v. 43-46 ita vocantur Shalishim viri 14, uti v. 26-41 viri 32.

Omnibus hisce Shalishim praeerat v. 11 (2 Reg. 23,8) Iesbaam : erat is ראש השלישים (Keri), non ראש השלושים (Kethib) vel ראש חשלשי (2 Reg. 23,8), erat *Rosh ha-Shalishim*. Ad quem *proxime accedebant* (אחריו, post eum v. 12 ; cf. 2 Reg. 23,9. 11) Eleazar et Semma (« adiutantes »?). Hi tres efficiebant *triadem*, השלשה, השלושה, שלשת הגבורים. Huic triadi *praeerat* Abisai frater Ioab, qui v. 20 (2 Reg. 23,18 Keri) scribitur fuisse *Rosh ha-Sheloshah*, quae est alia plane res quam Rosh ha-Shalishim; ipse vero (v. ib.) non adnumerabatur Shalishim, sed post Ioab erat שר, *dux* totius exercitus. Similiter Banaias non adnumerabatur Shalishim, sed ad altiorem dignitatem *praefecti praetorio* (v. 25; 2 Reg. 23,23) evectus erat.

Cum simillimae sint voces שלשים et שלשה, et Iudaeos vel ante Masorethas fugerit sensus textus v. 10-25, haud mirum est plurima haberi discrimina inter hunc textum et textum 2 Reg. 23, et inter Kethib et Keri. 2 Reg. 23, 8 השלשי, sed 1 Par. 11,11 השלישים, Keri השלושים; — 2 Reg. 23,13 השלשים, sed 1 Par. 11,15 השלושים: — 2 Reg. 23,18 השלשי, sed Keri השלשה et 1 Par. 11,20 השלושה; — 2 Reg. 23,19 השלשה, 1 Par. 11,21 השלישה; — 2 Reg. 23,23 השלשים, 1 Par. 11,25 השלושים. Praeter haec plures habentur formae radicis שלש, quibus indubie competit significatio *tres* : 2 Reg. 23,9. 13. 16. 17. 18. 22. 23 et 1 Par. 11,12. 15. 18. 19. 20. 24. 25. Hinc amplus patuit campus corruptioni textus et incertae interpretationi.

Elenchus heroum (v. 10-41) certe 2 Reg. 23,8-39 legitur *loco non suo* : adscribitur quippe narrationi actorum David *tamquam fragmentum* a contextu solutum. Post 1 Par. 11,9 legitur idem *loco suo* : sc. narrationem facinoris, quo Ioab promeritus est summi ducis honorem, excipiunt v. 10-25 facinora quinque aliorum ducum, dein nomina Shalishim. Facinus vero illud Ioab 2 Reg. ignoratur, elenchus longissime abest a narrata expugnatione Ierusalem.

Neque hinc sequitur, elenchum heroum aliquando partem fuisse continuae narrationis 2 Reg., illi infuisse post 2 Reg. 5,10 et narratam expugnationem Ierusalem. Potuit enim auctor 2 Reg., quem in *fonte* suo forte legebat elenchum *omittere* una cum factis illi connexis, sc. cum facinore Ioab, honore illi collato et sumptibus ab illo aedificationi urbis impensis; deinde potuit aliquis eum elenchum ex eodem vel ex alio fonte adscribere post 23,7, inter alia ib. fragmenta. Dum auctor 1 Par. delectatur tradendis prolixis elenchis, auctor 1 et 2 Reg. eiusmodi elenchos tradere utique non consuevit, totus est in narrandis *factis*, non in recitandis *documentis*. Prolixus ille heroum elenchus im-

pediturus potius erat continuam atque aequalem 2 Reg. narrationem.

Reperiebaturne idem elenchus post narratam expugnationem Ierusalem etiam in *communi fonte*, quo usi sunt scriptor tam 2 Reg. quam 1 Par.? Eos usos esse communi fonte, inde fit evidens, quod utrobique referant aliqua *ordine eodem, sed parumper diverso ab eo ordine quo res actae sint.* Utrobique Iebusitae Davidi conviciantur, David urbem Iebus expugnat, illis conviciis permotus David praemium proponit ei, qui primus in arcem penetrasset. Hoc ordine res utrobique narrantur : factae sunt res alio certe ordine, ut primum proponeretur praemium, postea expugnaretur arx. Ordine illo minus nativo narrabantur acta in ipso communi fonte. 2 Reg. 5,8, omissa accuratiore praemii propositi descriptione itemque nomine viri, qui praemium promeritus sit, narrator explicandum aggreditur proverbium ea occasione natum; narrator vero 1 Par. 11,6 praemium describit nomenque tradit. At, si communis fons narrabat facinus Ioab, num ideo idem dicendus est tradidisse elenchum heroum eorumque facinora recitasse? Id non consequitur. Commodum illum nexum inter v. 4-9 et v. 10 sqq. potuit efficere ipse chronista. Haberi duo, quae primitus distincta fuerint documenta, fere efficit inscriptio v. 10.11[a].

Inscriptio v. 10. 11[a].

v. 10 « *Hi principes virorum fortium David, qui adiuverunt eum, ut rex fieret super omnem Israel iuxta verbum Domini [quod locutus est ad Israel* », v. 11 « *et iste est numerus robustorum David* ». *Hebr.* : *Haec capita Gibborim David, qui strenue egerunt cum eo in regno eius super omnem Israel*, non super solum Iuda, *ut facerent eum regnare secundum verbum Iahve quoad Israelem, et hic est numerus Gibborim David.* De *Gibborim* cf. etiam CJ[1] p. 47 sqq. 106 sqq.

Magis explicita haec inscriptio inscriptione 2 Reg. 23,8[a], distinguens *capita Gibborim* a *Gibborim* iis, qui capita seu principes non erant. Quam alteram inscriptionis partem repetitam habes initio elenchi horum Gibborim v. 26 » Gibborim robusti » (cf. 2 Reg. 23,24 « inter Gibborim »). Inscriptionem fecerit magis explicitam chronista.

Sola *quinque capita* diserte affirmantur strenuos se exhibuisse in stabiliendo Davidis regno; tamen nexus inter v. 10 et v. 11 fere exigit, ut idipsum de reliquis 32 viris concedamus. Quod evidens est, si illos defendamus fuisse inter *primos* Davidis socios. Idipsum praestitit etiam Asael v. 26, qui mortuus quidem est antequam David fieret rex super omnem Israel, sed revera dimicavit pro regno Davidis substituendo

regno Saul. Ceterum sanctum opus exsequebantur heroes illi, quod sc. ipse *Iahve* praestituisset et praenuntiasset.

E voce *numerus* non illud consequitur, habuisse aliquando elenchum nostrum extremo v. 41 (cf. 2 Reg. 23,39) *summam* 37 : numerum habes, quia singula nomina habes omnia, quae si invicem addideris habebis etiam summam (cf. 12,23). Habes v. 26-41 Gibborim 32, 2 Reg. 23,24-39 item 32, dummodo, quod fieri oportet, v. 34 distinguas Eliphelet et Hepher : horum delendus Elica ib. 25, supplendus qui h. l. v. 39 habetur Zabad — manent 32. Quibus si addas 5 viros v. 10-25 (v. 8-23), habes summam 37. Quae ceteroqui videtur esse factitia atque fortasse ab auctore non inspirato 2 Reg. 23,29 adscripta. Sc. Abisai et Banaias explicite affirmantur in elenchum Gibborim non esse relati, ergo neque illa summa videntur fuisse includendi.

Elenchus primum tradit *viri* nomen, dein nomen *patris*, inde nomen *stirpis*, tandem nomen *loci originis*; non utique pro singulis singula. Pro *patre* bis *frater* scribitur (v. 20.26 Ioab), fortasse etiam tertio (v. 38 Nathan : cf. 2 Reg. 23,36), ubi sc. frater clarius sibi nomen comparavit quam pater.

Capita Shalishim Davidis v. 11b-25.

Arg. — Super reliquos Shalishim eminebat *trias* heroum, quorum insignia facinora omnium ore celebrabantur. Factum vero omnium maxime insigne, quodque ratio etiam aliqua fuit cur illis tribus David primatum inter Shalishim contulerit, fuit factum allatae ad Davidem per medios hostes aquae de cisterna Bethlehem. Primum igitur locum una cum titulo Rosh ha-Shalishim obtinuit Iesbaam, ad quem proximi accedebant Eleazar et Semma. Famosissimi item ob egregia facinora exstitere Abisai et Banaias; in album tamen Shalishim non sunt relati, sed ad altiorem gradum militarem promoti : Abisai factus est totius exercitus sub Ioab dux, Banaias factus est praefectus praetorio.

« *Iesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta* », *Rosh ha-Shalishim, dux Shalishim*. Cf. CR p. 436 sq. Cum idem vir 27,2 scribatur « filius Zabdiel », et cum חכמני formam habeat nominis ab urbe vel stirpe derivati, suspiceris aliquid e textu excidisse : *Iesbaam filius Zabdiel Hachmonaeus*. Sed viri frater 27, 32 scribitur « Iadiel filius Hachamoni ». At rursum perpende virum, qui v. 12 scribitur Eleazar filius Dudi Ahohites, 27,4 scribi Dudi Ahohites, et 2 Reg. 23,9 Eleazar, filius Dudi filius Ahohi. Unde verisimile videtur, Iesbaam revera fuisse filium Zabdiel Hachmonaeum. Dum describebantur elenchi nominum propriorum, plures utique irrepebant errores. Idem 27,3 affirmatur

fuisse de stirpe Phares, ergo Iudaeus. « *Iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice* ». 2 Reg. 23,8 : 800. Quam lectionem praefert *Then.*, quod 300 interfecti v. 20 etiam tribuantur Abisai, de quo narrandum fuerit factum *minus* insigne facto Iesbaam, qui inter heroas scribatur *primo* loco. Inanis ratio etiam ideo, quod v. 21 Abisai ad altiorem quam Iesbaam evectus esse dignitatem tradatur, ergo facile credatur facinoribus Iesbaamum aequasse. Utraque lectio 300 et 800 incerta; cum vero textus 2 Reg. 23,8 plurimum sit defiguratus, probabilior lectio 300. Latini ad indicandum numerum magnum scribunt 600 : cur non eodem sensu Hebraei scripserint 300? Quodsi adstruas, perspicies potuisse etiam unius viri facinus illustrius esse alterius viri facinore, licet de utroque idem scribatur numerus 300. Certe numerus 300 non est accipiendus pro numero *accurate determinato*. Tandem, cum textus alius nullus confirmet, consuevisse Hebraeos scribere numerum 300 sensu illo *exaggerativo*, et cum numerus 300 una vice occisorum sit *plane immanis*, oboritur suspicio, scribam aliquem adscripsisse illud *una vice* ideo praecise, ut Iesbaam, cuius nomen primum est in elencho, videretur plus praestitisse quam Abisai, qui illud « una vice » adscriptum non habet. Consuevisse autem heroas illos, generaliori saltem modo, computare numerum hostium, quos pluribus certaminibus et annis interfecissent, veri absimile non est.

v. 12 « *Et post eum Eleazar, filius patrui eius, Ahohites* ». Noli vertere *patrui eius*, sed cum *LXX* retine nomen proprium *Dudi*, דודי. Alium *Ahohiten* habes v. 29, sed quem locum vel stirpem nomen exprimat ignoramus. « *Qui erat inter tres potentes* », spectabat ad supremam *triadem* heroum, erat revera *post* Iesbaam primus, illi auctoritate secundus. v. 13 « *Iste fuit cum David in Phesdommim, quando Philisthiim congregati sunt ad locum illum in proelium* ». פס דמים, 1 Reg. 17,1 אפס דמים, locus inter Socho et Azeca, in finibus Sephelae et Montis Iuda, haud procul Odollam, ubi David iuvenis prostravit *Goliath*. Fuit ergo ibi Eleazar *cum David* nondum rege, militabat sub Saul, fuit fortasse e numero Gibborim Saul 1 Reg. 14,52. Reapse Eleazar, Semma et, quod opinor, item Iesbaam illustribus factis inclaruere Saule rege, quando David iunior prima stipendia merebatur. Quos coniicio Davidi exsuli inter primos adhaesisse, fortasse quod ipsi quoque essent amaris animis et in Saulis offensionem aliquam incidissent. Ceterum facinus Eleazari 1 Reg. 17 non commemoratur, quia ibi sola acta David enarrantur. An igitur Eleazar etiam in Phesdommim declinavit certamen singulare cum Goliath? Id non infitior, atque hinc facinus David tironis militis merito habitum sit illustrius, quam facinora Iesbaam, Eleazari aliorumque.

Excidisse porro 1 Par. 11,13 *facinus Eleazari* itemque *nomen tertii herois*, doceris comparato textu 2 Reg. 23,9 sqq., itemque eo quod soli Iesbaam et Eleazar non efficiant triadem illam ante Abisai, de qua v. 12. 15. 18 sq. Textus 2 Reg. 23,9 sqq. ita habet : « Et ascenderunt viri Israel » contra Philisthaeos adunatos in phesdommim. « Ipse vero stetit et percussit Philisthaeos, donec deficeret manus eius et obrigesceret cum gladio, fecitque Iahve salutem magnam in illo die, et populus reversus est tantum ad spolia colligenda. Et post eum *Semma filius Age de Arari*. Et congregati sunt Philisthiim in castra ». שמה בן אגא. *Ararites* alter habetur v. 33. CR p. 438 sq. coniiciebamus הררי corruptum esse ex ערערי, atque referri ad *Aroer* urbem Negeb 1 Reg. 30,28 (cf. CJ[1] p. 345). Virum censemus eundem esse atque « Samaoth Iezeriten » 27,8 (v. ib.), ergo *Iudaeum* Zaraitam.

Sequitur viri facinus. « *Et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philisthinorum* ». Populum intellige non exercitum Hebraeorum, sed *agricolas* : segetes suas non ausi sunt tueri contra Philisthaeos. Tuitus est Semma, illumque tractum a praedatoribus purgavit. Ubi haec facta sint, non edocemur; facta sunt autem ante eventum v. 15 sqq., quo tempore Semma, Iesbaam, Eleazar iam erant famosi Gibborim. v. 14 « [*Hi*] *steterunt in medio agri et defenderunt eum; cumque percussissent Philisthaeos, dedit Dominus salutem magnam populo suo* », toto illo tractu a praedatoribus servato immuni. *Hebr. Vulg.* scribunt verba numero plurali, *LXX* singulari; quaestio est de sola punctatione. Sed cum omnibus ad 2 Reg. 23,12 praeferendus *singularis* : narratur quippe facinus unius Semma. Ergo : *stetit... defendit... percussit.*

Post recensitos tres illos duces et enarratum uniuscuiusque illustrissimum facinus, refertur *facinus quod illi tres una perpetrarunt*, quoque summam regis David gratiam primumque inter Shalishim locum promeriti sunt.

v. 15 « *Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philisthiim fuerant castrametati in valle Raphaim* ». Est illud bellum 14,8 sqq.; 2 Reg. 5,17 sqq., quod initio regni gerendum fuit Davidi, quando ipse fuit in *munitione* מְצוּדָה, et Philisthaei in *valle Raphaim*. Agi de iisdem atque antea *tribus* heroibus : Iesbaam, Eleazar, Semma, vel inde patet, quod documentum nostrum sit elenchus *nominum*, neque *innominatorum* acta recitet. Neque supplendus articulus ante שלישה vel שלשים, sed scribendum שלשם, *illi tres*. Noli vertere *tres de triginta capitibus* (*LXX B*) : non enim inter 37 vel 32 *Shalishim* erant capita seu duces triginta; duces erant tantum 3 vel 5, de quibus agit paragra-

phus v. 10-25. Neque vocem *capita* referas ad *totum exercitum* Davidis, ut totus exercitus affirmetur non plus 30 habuisse capita seu duces : quodsi enim inter 37 vel 32 Shalishim erant capita seu duces omnino 3, totus profecto exercitus habebat plus quam 30 capita. Neque vox ראש, quae etiam 2 Reg. 23,13 legitur, expungenda, sed uti Iud. 7,19 sumenda adverbialiter : *initio, primi*. Igitur illi tres descendere ad Davidem *primi*, ante alios. Videtur mihi explicari ratio, cur illi tres heroes, qui iam ante tempore Saul inclaruerant, habiti sint prima trias inter reliquos Shalishim. Quae ratio reperiebatur non in solis eorum fortiter actis v. 11-14, Abisai quippe v. 20 utique totidem circiter atque Iesbaam hostes interfecit, et facinora Banaiae v. 22 sq. non minus illustria fuere facinore Semma; sed potissimum reperiebatur in eo, quod illi tres, quando David recens rex Israel factus versabatur in angustiis, per regionem hostibus obsitam *primi* ad eum iuvandum descenderint, atque ita aliis praeclarum dederint exemplum, mox etiam animos addiderint omnibus egregio facinore v. 19 sqq. Quando Saul primum creatus est rex, plures eum despexere neque ad eum accessere (1 Reg. 10,26 sq.) : bene profecto meriti sunt de David tres illi viri, iam tum ob insignem fortitudinem celebrati, quod ad eum in angustiis constitutum alacres descenderint eumque fortissime iuvarint.

v. 16 « *Porro David erat in praesidio, et statio Philisthinorum in Bethlehem* » : *statio* tantum, nam *castra* erant in valle Raphaim. Philisthaei tum « quaerebant » (14,8) Davidem recens factum regem Israel, ut eum ad tributa sibi pendenda adigerent. Credendus est enim David, qui ante fuerat subditus Achis regis Geth, Philisthaeis, dum Hebrone regnaret super solum Iuda, pendisse tributa, quando factus est rex super omnem Israel, tributa recusasse. Cf. *A. Kamphausen* ZATW 1885, p. 43 sqq., imprimis p. 55. Quaesierant igitur Philisthaei Davidem in *Bethlehem* urbe sua, eoque non reperto ib. reliquere *praesidium*. Inde ascendere ad *vallem Raphaim* adiacentem urbi Ierusalem. David, rem ex insidiis acturus, *descenderat* clam de Ierusalem ad *munitionem* natura firmissimam, ad *rupem* ubi erat *spelunca Odollam*. A tergo Philisthaeorum latitabat, eorum commeatum et reditum interclusurus, eosque inopinantes aggressurus, si id occasio ferret. Illi tres non videntur illuc *descendisse una cum ipso*; adfuerint Philisthaei ex inopinato, antequam David valuisset totum exercitum colligere. Heroes igitur illi a Davide libentissime excepti sunt, mox inaudito facinore omnibus, qui cum Davide erant, animos addidere.

v. 17 « *Desideravit igitur David et dixit : O si quis daret mihi*

aquam de cisterna Bethlehem, quae est in porta ». אוה non est *sitire*, sed *desiderare*. Non est veri simile, munitionem Odollam caruisse aquis, aut eas non potuisse e loco propiore et tutiore illuc comportari. David norat urbem suam Bethlehem suamque ib. haereditatem in potestate esse Philisthaeorum : verbis expressit desiderium recuperandi sua, verba ad literam interpretati sunt tres illi viri audaces. v. 18 « *Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt* ». — *perruperunt* : non sunt necessario eadem *castra* atque v. 15, quae erant in valle Raphaim, sed ipsa statio v. 16 sua *castra* habebat — « *et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quae erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet; qui noluit, sed magis libavit illam Domino* » v. 19 « *dicens : Absit, ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam* » *in animabus eorum*, « *quia in* [*periculo*] *animarum suarum attulerunt* [*mihi aquam*]. *Et ob hanc causam noluit bibere. Haec fecerunt tres robustissimi* », i. e. *Gibborim*. Pro יהוה 2 Reg. 23,17 planius מאלהי. Adscripto אשתה, *bibam*, tollitur dura aposiopesis 2 Reg. 23,17. Additur explicatio *quia in animabus suis attulerunt*. Cum ergo chronista totus sit in complanando textu, mirum est eum pro facilibus verbis *qui iverunt pro animabus suis*, ההלכים בנפשותם, scribere (num sanguinem bibam) *cum animabus eorum*? Quare probabiliter censet *Ber.*, prius בנפשותם errore in textum irrepsisse, et esse delendum.

Postquam egit auctor de triade capitum, qui super reliquos Shalishim eminebant, meminit aliorum duorum virorum Abisai et Banaiae, qui et ipsi capita erant et regni davidici insignia columina, sed Shalishim ipsi non erant, sed ad altiorem dignitatis gradum evecti sunt.

v. 20 « *Abisai quoque frater Ioab ipse erat princeps trium* », seu *caput triadis* v. 15, atque ita *mediate* erat caput etiam reliquorum Shalishim. « *Et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos* », non « una vice » : tot hostes successivis certaminibus prostravit. « *Et ipse erat inter tres nominatissimus* », v. 21 « *et inter tres secundos inclitus* ». Minus feliciter *Vulg.* superlativum *nominatissimus* scribit. *Hebr.* : *Et ipsi nomen in triade, et plus quam trias honoratus est* בשנים; maior vero hic honor illico explicatur, ut fuerit Abisai constitutus שר, *dux* exercitus. Sensus hic : famosus exstitit instar triadis, et ad maiorem quam trias militarem dignitatem promotus est. Non dicit *famosiorem* exstitisse triade, quia tandem etiam Iesbaam gloriabatur 300 interfectis, et reliquorum facinora fuere plane illustria : at promovendus tandem fuit illorum quatuor unus, et promovendum curavit Ioab *fratrem suum*.

Textus esset sat planus, nisi adscriptam haberet vocem בשנים, quam *LXX* vertunt ὑπὲρ τοὺς δύο, sed id esset משנים. *Vulg. tres secundos* ortum dedit coniecturae, quam tuiti sunt *Cai.* aliique, sermonem esse de *secunda aliqua triade* : Abisai, Banaia et fortasse Ioab. Sed non habetur in textu altera trias, sed soli Abisai et Banaias; omittendus erat *articulus* ante trias, שלישה בשנים est modus inauditus exprimendae *secundae triadis*. Voci בשנים correspondet 2 Reg. 23,19 obscura vox הכי : et plus quam trias *nonne profecto* honoratus est? הכי secus (Gen. 27,36; 29,15; 2 Reg. 9,1; Iob 6,22) non scribitur nisi in veris interrogationibus. Quare iudico illud הכי corruptionem esse vocis הנו, *ecce ipse*, quae in eadem plane sententia legitur infra v. 25 et 2 Reg. 23, 19 : et plus quam trias *en ipse* honoratus est. Scribebatur autem ea vox commode, quia, postquam dictum erat Abisai fuisse famosum *instar* triadis, inexspectatum potuit esse lectori, eundem honoratum esse *plus* quam triadem. Ceterum salvo contextu omitti potuit ea vox, et omittitur 2 Reg. 23,23. Porro בשנים non videtur esse corruptio vocis הכי vel הנו. Suggero nihil harum vocum primitus habuisse v. 21, uti neque 2 Reg. 23,23; בשנים margini primum adscriptum esse ab aliquo amanuensi, qui censeret sermonem esse de *secunda* aliqua triade; e margine irrepsisse in textum.

Explicatur porro, ad quam militarem dignitatem promotus fuerit Abisai : « *et princeps eorum* ». Distinctius *Hebr.* : *et factus est eis princeps*, non eorum solorum, sed post Ioab totius exercitus dux : שר, non ראש, Ioab vero erat שר הצבא, dux exercitus (cf. 2 Reg. 10,10 etc.). « *Verumtamen usque ad tres* [*primos*] *non pervenerat* ». Quomodo ad illos tres non pervenit, qui uti Iesbaam trecentos confecit, et ad altiorem ipso dignitatis locum evectus est? *Hebr.* : *sed usque ad triadem non venit*. Sed pro עד, in eadem adamussim sententia, v. 25 et 2 Reg. 23, 23 אל : *sed ad triadem non venit*. Verbum בוא sume, quo sensu sumitur 1 Par. 4,38 : אלה הבאים בשמות, « illi nominibus relati sunt » in elenchum (cf. ib. v. 41). Ergo : *sed inter triadem non est relatus*. Quodsi ille in triadem referebatur, non erat ea iam trias, sed quaternio. Quare tam v. 21. 25 quam 2 Reg. 23,19. 23, qui textus omnes certissime idem edicunt, praefero lectionem quam habet Keri 2 Reg. 23,23 : השלשים pro השלשה : *sed inter Shalishim non est relatus*. Sensus planus : Vir famosus exstitit etiam Abisai, imo ad altiorem quam tres duces Shalishim gradum militarem est evectus; sed in album Shalishim non est relatus ideo, quia gradus secundi exercitus ducis fuit gradu Shalishim altior. De eo autem h. l. sermo habetur, cum quod fuerit vir famosus etiam ipse, tum quod contulerit etiam ipse plurimum fortitudine ad firmandum regnum David (v. 10).

v. 22 « *Banaias filius Ioiadae, viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel* ». Non satis perspicitur, quo referatur illud *filius viri roboris*, utrum ad Banaiam an ad Ioiadam. Sensus maxime obvius est, quem 2 Reg. 23,20 exprimunt *LXXL* : *filii Ischai*. Sed cur unius Banaiae *avus* recenseatur, et is quidem aliunde plane ignotus? Sed *LXXR* ib. ignorant בן et pro חיל videntur legisse הוא, ita ut textus primigenius fuerit hic : *vir ipse exstitit multorum facinorum*; textus omnino facilis. קבצאל seu יקבצאל, urbs Negeb, haud procul extremitate australi Maris Mortui : cf. Ios. 15,21. Fuit autem Banaias etiam *sacerdos* 27,5. « *Ipse percussit duos Ariel Moab* ». *LXX* 2 Reg. 23,20 *duos filios Ariel*, i. e. illud בן quod v. 22ª ignorant, legunt v. 22ᵇ forma בני. Sed quis *Ariel*, et cur dicitur *Ariel Moab*? אריאל h. l. vix sonat *leo Dei*, cum leo mox exprimatur voce ארי, dempto אל. Et quid est *leo Moab* vel *leo Dei Moab*? Sed vox אריאל Ez. 43,15 sq. certe designat *focum altaris* seu *altare*, et forma אראל, quae 2 Reg. 23,20 scribitur, legitur lin. 12. 17 inscriptionis Mesae regis Moab. Quare significatio *altaris* h. l. videtur praeferenda, Banaias diruit duo altaria Moabitarum, in ea sane Davidis contra Moabitas expeditione, de qua 18,2; 2 Reg. 8,2. « *Et ipse descendit et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis* ». v. 23 « *Et ipse percussit virum aegyptium, cuius statura erat quinque cubitorum* », — 2 Reg. 23,21 « virum procerum » (Keri), nihil de 5 cubitis — « *et habebat lanceam ut liciatorium texentium* » (20,5; 1 Reg. 17,7; 2 Reg. 21,19); « *descendit igitur ad eum cum virga* », cum baculo pastorali, « *et rapuit hastam quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua* ». Accuratiora de his Banaiae facinoribus comperta non habemus. Cf. CR p. 441 sq. *Plura* certe Banaiae quam reliquorum heroum facinora laudantur : subvertit aras idolorum, interfecit leonem, prostravit gigantem. Leonem interfecit alienissimo loco, ad ipsum se demittens in cisternam, quod summae erat ac temerariae audaciae. Quare non sine tripudio pergit narrator v. 24 : « *Haec fecit Banaias filius Ioiadae, qui erat inter tres robustos nominatissimus* ». Sed ultimum incisum (cf. v. 20) divide a paenultimo, et iunge sequentibus : v. 25 « *inter triginta primus, verumtamen ad tres* [*usque*] *non pervenerat* ». Verte uti v. 20 sq. : *Et ipsi nomen instar triadis, et plus quam Shalishim honoratus est*, qua voce etiam illa trias includitur. Quem vero honorem assecutus sit, produnt sequentia : « *Posuit autem eum David ad auriculam suam* » (1 Reg. 22,14; 2 Reg. 23,23), i. e. fecit eum *praefectum praetorio* (CR p. 212). *LXX* : ἐπὶ τὴν πατριὰν αὐτοῦ, legentes משפחתו pro משמעתו.

Igitur heroum David v. 10-25 recensentur ii, qui plurimum contulere ad eius regnum firmandum. Fuere ii, praeter Ioab v. 6 sq.,

viri tres ex ordine Shalishim : Iesbaam Rosh ha-Shalishim et, qui proxime ad illum accedebant, Eleazar et Semma. Dein alii duo, qui illos aequavere fortitudinis laude, antecessere officiorum gravitate : Amasai post Ioab exercitus dux, et Banaias praefectus praetorio.

Shalishim reliqui v. 26-41.

v. 26 « *Porro fortissimi [viri in exercitu]* », — *Hebr.* : *Gibborim robusti* : est *inscriptio* sequentis elenchi, quem 2 Reg. 23,24 soli LXX h. l. forma habent hac : « Haec sunt nomina Gibborim regis David », qui est ipse titulus 1 Par. 11,11[a] translatus in locum maxime proprium. Tamen eundem locum ib. non esse nativum eius tituli, inde infero quod ib. nomen Asael adscriptam habeat etiam apud LXX vocem « inter Shalishim », quae eius tituli vicem supplet, neque ad solum Asael, sed ad omnes qui sequuntur heroas refertur.

« *Asael frater Ioab* » : cf. 2,16; 2 Reg. 2,17 sqq. Asaeli defuncto tribuitur etiam 27,7 turma exercitus, cui patris nomine praefuit filius.

« *Et Elchanan filius patrui eius de Bethlehem* ». Non *patrui eius*, sed *Dodo* seu *Dudi*, idem nomen atque v. 12 : non tamen Eleazari ib. frater, cum nulla sit ratio confundendi Dudi Ahohitae cum Dudi Bethlehemita. v. 27 « *Sammoth Arorites* », שמות ההרורי, qui idem est atque 27,8 Samaoth Iezerites, שמהות היזרח, id est *Zaraita* Iudaeus; nomina quippe ibi eodem atque h. l. ordine se excipiunt, et Samaoth ille legitur inter Asael et Ira. Sed non est idem cum 2 Reg. 23,11 Semma de Arari, שמה הררי, licet 2 Reg. 23,25 pro שמות vel שמהות scribatur שמה. Frequens nomen שמה.

Nomen « Elica Arorita » deest h. l., et 2 Reg. 23,25 apud LXX Syr. Cum vero huic viro idem nomen loci vel stirpis adscribatur atque praecedenti viro, suggero textum primitus habuisse *Samaoth filius Elica, Harodaeus* vel *Arorites*. Ergo vir utique diversus a Semma filio Age. Fortasse *Arorites* h. l. est error pro *Zaraita*.

« *Helles Phalonites* ». חלץ הפלוני, sed 23,26 הפלטי; 1 Par. 27,10 Ephraimita, ergo non de Bethphelet tribus Iuda. — v. 28 « *Ira filius Acces Thecuites* », de Thecoa tribus Iuda : 27,9; 2 Reg. 23,26. — « *Abiezer Anathothites* », Beniaminaeus; 27,12; 2 Reg. 23,27. — v. 29 « *Sobbochai Husathites* », 27,11 Zaraita, ergo Iudaeus. Nomen 2 Reg. 23,27 defiguratum legitur מבני, Mobonnai. — « *Ilai Ahohites* », cf. v. 12. עלי, pro quo 2 Reg. 23,28 צלמות, 'Ελλων, 'Ελιμαν. — v. 30 « *Maharai Netophathites* », 27,13 Zaraita, ergo Iudaeus; cf. 2 Reg. 23,28. — « *Heled filius Baana Netophathites* », 27,15 de

stirpe Othoniel, ergo Iudaeus; cf. 2 Reg. 23,29. — v. 31 « *Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin* »; cf. 2 Reg. 23,29. — « *Banaia Pharatonites* », 27,14 Ephraimita; cf. 2 Reg. 23,30. — v. 32 « *Hurai de Torrente Gaas* » seu de Nahal Gaas; cf. 2 Reg. 23,30, ubi הדי pro הרי. Est mons Gaas in monte Ephraim Ios. 24,30; Iud. 2,9, ergo fuerit vir Ephraimita. — « *Abiel Arbathites* », i. e. de Betharaba, urbe primum Iudaeis, postea Beniaminitis attributa Ios. 15,6. 61; 18,22. Pro אביאל 2 Reg. 23,31 אבי עלבון, Abialbon: annon in בון latet patronymicum aliquod, *filius x*, ut textus primitus habuerit nomen patris? — « *Azmoth Bauramites* », הבחרמי, 2 Reg. 23,31 הברחמי, de Bahurim (?) tribus Beniamin. — « *Eliaba Salabonites* », de שעלבין, Salebim Ios. 19,42, urbe danita. — v. 33 « *Filii Assem Gezonites* », aut viri nomen fuit Benihassem aut Benihassen, aut excidit viri nomen qui exstitit filius Hassem vel Hassen (השם, 2 Reg. 23,32 ישן). — « *Ionathan filius Sage, Ararites* ». v. s. v. 27. Cum 27,8 Semma Arorites idem sit Iudaeus Zaraita, fuerit etiam hic Arorites Iudaeus. Pro Sage, שגא, 2 Reg. 23, 33 Semma, שמה; quam lectionem si sequaris, fuerit Ionathan Semmae v. 27 (cf. 2 Reg. 23, 11) filius. — v. 34 « *Ahiam filius Sachar, Ararites* », ergo sane item Iudaeus. Pro שכר 2 Reg. 23,33 שרר, Sarar. — v. 35 « *Eliphal filius Ur* », v. 36 « *Hepher Mecherathites* », seu verius Maachathites, qui duo viri 2 Reg. 23,34 in unum confunduntur. — « *Ahia Phelonites* ». Sed אחיה הפלני utique corruptum est e 2 Reg. 23,34 אליעם בן אחיתפל הגלני, Eliam filius Achitophel de Gilo Ios. 15,51, urbe Montis Iuda. — v. 37 « *Hesro Carmelites* », de Carmel civitate Iudaeae 1 Reg. 25,2. — « *Naarai filius Asbai* ». Pro נערי 2 Reg. 23, 35 פערי, Pharai, et tacito patris nomine adscribitur הארבי, Arabaeus, quod videtur referri ad ארב, Arab Ios. 15,52 civitatem Montis Iuda, nisi tamen ארבי sit corruptio vocis אזבי. — v. 38 « *Ioel frater Nathan* », 2 Reg. 23,36 Igaal filius Nathan, qui erit intelligendus vir notissimus Nathan propheta. — « *Mibahar filius Agarai* ». מבחר בן הגרי: 2 Reg. 23,36 corrupte מצבה בני הגדי. Fuitne hic vir de tribu arabica Agaraeorum (5,10. 19. 20; 27,31)? — v. 39 « *Selec Ammonites* » 2 Reg. 23,36. — « *Naarai Berothites, armiger Ioab filii Saruiae* », de Beroth Beniamin Ios. 18,25. Cf. 2 Reg. 23,39. — v. 40 « *Ira Iethraeus* », de Iether Ios. 15, 48 prope fines meridionales Iudaeae. — « *Gareb Iethraeus* ». Cf. 2 Reg. 23,38. — v. 41 « *Urias Hethaeus* » 2 Reg. 23,39; 11,3. Additur vero h. l., qui non habetur 2 Reg. 23 : « *Zabad filius Oholi* ».

Habes *Iudaeos* 19 : Iesbaam, Semma (?), Abisai, Banaia, Asael, Elchanan, Sammoth (?), Ira, Sobbochai, Maharai, Heled, Abiel (?), Ionathan (?), Ahiam (?), Ahia, Hesro, Naarai (?), Ira, Gareb; — *Ephrai-*

mitas 3 : Helles, Banaia, Hurai (?) ; — *Beniaminitas* 4 : Abiezer, Ethai, Azmoth (?), Naarai; — *Danitam* 1 : Eliaba ; — *Ammonitam* 1 : Selec; — *Hethaeum* 1 : Uriam ; — incertioris originis 8 : Eleazar, Ilai, Benihassem, Eliphal, Hepher, Ioel, Mibahar, Zabad.

Gibborim suos David potissimum nactus est e tribu sua, non tamen ex ea sola sed, uti Saul 1 Reg. 14,52, « quemcunque viderat virum fortem et aptum ad proelium, sociabat eum sibi ».

Inter Gibborim *Iudaeos*, praeter tres cognatos David filios Saruiae et Elchanan Bethlehemiten, fuere *Montis Iuda* viri 8 : sc. Netophaei et Ietheritae bini, singuli de Thecoa, Gilo, Carmel, Arab; *Negebitae* 5 : sc. Cabseelita unus, reliqui Araritae (?); *Arabaeus* 1.

Gratuito adstruit *Wellh. P.* p. 180, recenseri fere constanter viros, qui in *posterioribus* Davidis bellis praeclara egere. Quodsi virorum aliqui tamdiu vixere quam ipse David, non inde sequitur, eos non iam initio regni illum fortiter adiuvisse.

β. Elenchus Shalishim Ruben 1 Par. 11,42-46.

Arg. — Egregie de stabiliendo Davidis regno meriti sunt etiam Rubenitae, qui suum illi exercitum submisere cum duce et 14 Shalishim.

Novum orditur documentum, quod non habetur 2 Reg. 23; affine praecedentis documenti, est enim *elenchus Shalishim*, non Shalishim Davidis, sed *Shalishim tribus Ruben*. Quae tribus prospere egerat tempore Saul. Postquam enim Saul 1 Reg. 11 fregit insolentiam Naas regis Ammon, praefuit Rubenitis Ioel 1 Par. 5, qui Gaditis sociatus felici bello contra Agareos deserti dimicavit. Habuit is exercitum bene ordinatum, et in eo constitutos Shalishim. Porro inter eos, qui plurimum contulere ut David fieret rex super universum Israel, reperti sunt transiordanici. De Gaditis v. 12,8 sqq., de Manassaeis (?) 12,19 sqq. : h. l. doceris ad Davidis partes transiisse exercitum Rubenitarum cum suo duce et Shalishim.

v. 42 « *Adina filius Siza Rubenites, princeps Rubenitarum, et cum eo triginta* ». *Hebr.* : *super eum*, sc. Rubenitam seu Rubenitas, *Shalishim*; ergo vere *Vulg.* : *cum eo*, sc. cum Adina, sub Adina capite. Dicitur porro Adina ראש, *caput*, qui est titulus *militaris* (cf. v. 6). Adina scribitur non Rosh ha-Shalishim sed Rosh : videtur fuisse exercitus Rubenitarum summus dux.

v. 43 « *Hanan filius Maacha* », quod est nomen patris *hebraei*. Non videtur esse alienigena de gente Maacha Ios. 13,13 (*Ber.*) : gentis nomen non adscribitur voce *filius*, sed Maachataeus (2 Reg. 23,34), uti i. v. 46 « Moabites ». — « *Et Iosaphat Mathanites* », de *Matthana*, מתנה Num. 21,18 sq., urbe Rubenitidis (*Calm.*). — v. 44 « *Ozia*

Astarothites », de *Astaroth Carnaim* Gen. 14,5; Deut. 1,4, Basanitidis. — « *Samma et Iehiel filii Hotham Arorites* ». הערערי, ergo de *Aroer*, non illa prope Rabbath Ammon Ios. 13,25, sed de altera Aroer Rubenita, ad aquilonem Arnonis sita Num. 32,34. v. 45 « *Iedihel filius Samri* » — « *et Ioha frater eius Thosaites* ». Cur non *Thosaitae*, si *fratres* erant? Sed אחיו easdem atque ויאה consonantes habet diverso ordine dispositas, estque fortasse ea vox expungenda : ergo *Ioha Thosaites*. — v. 46 « *Eliel Mahumites* », ubi *Ber*. המחוים emendat in המחנימי, de *Mahanaim* Gaditidis. — « *Et Ieribai et Iosaia filii Elnaem* ». — « *Et Iethma Moabites* ». — (v. 47) « *Eliel et Obed et Iasiel* [*et*] *Masobia* ». Dele copulam. המצביה iam existimabat *Malv*. esse nomen regionis cuiusdam. Corrige cum *Ber*. מצבה (cf. 2 Reg. 23,36), *de Soba* regno Syriae, quod postmodum debellavit David.

Igitur sub Adina militabant Shalishim omnino 14, numerus in una tribu vel $2^1/_2$ tribubus haud spernendus comparatione 32, qui habentur v. 26-41. Quorum erant Rubenitae 3 : Iosaphat, Samma, Iehiel; — Manassaeus 1 : Ozia; — Gadita 1 : Eliel; — alienigenae 4 : Iethma, Eliel, Obed, Iasiel; — non accuratius descripti 5 : Hanan, Iedihel, Ioha, Ieribai, Iosaia, quorum aliqui credendi sunt fuisse Rubenitae, nullus cisiordanicus. Describuntur, uti illi v. 26-41, adscripto nomine patris vel stirpis vel patriae. Elenchus v. 42-46 eiusdem indolis est atque ille v. 10-41, atque eandem fidem meretur.

B. Elenchi eorum, qui accessere ad David exsulem 1 Par. 12,1-22.

Arg. — Quando David profugus sedem fixit in Siceleg, relictis partibus Saul se Davidi iunxere viri *Beniaminitae* auctoritate et fortitudine inter suos plane insignes. Prima vero ad Davidem secessio facta est, quando is prope Odollam latebat, transfugientibus ad eum pluribus chiliarchis et centurionibus *Gaditis*. Qua vero ad se venientes comitate exceperit David, ostenditur exemplo *Beniaminitarum* et *Iudaeorum* quorumdam, qui circa idem tempus ib. ad eum transfugere. Tandem, quando circa tempus proelii apud montem Gelboe David versabatur in Siceleg, accessere ad eum *Manassaei* plures eique utilem in redigendo ad disciplinam exercitu operam navavere.

Documenta haec omnino agunt de bellatoribus iis, qui etiam ipsi contulere ad regnum Davidis stabiliendum (11,10). Non sunt ea plane eiusdem indolis atque documenta cap. 11. Non tradunt nudos elenchos nominum, uti 11,26-46; non narrant singulorum quorumdam hominum facinora, sed singulis *tribubus* laudis aliquid adscribunt, generaliorem fere laudem fortitudinis armorumve peritiae.

Queritur *Wellh. P.* p. 180, haberi cap. 12, praeter nomina virorum antiqua, recentiora alia, vix ulla quae solo cap. 12 legantur; vix usquam describi virorum

originem; non referri egregia facinora, leonum interfectiones, sed profundi epitheta ornantia, quandoque etiam misceri spirituales sermones. Documenta cap. 12 diversae esse indolis non infitiamur, neque tamen ideo illis fides deneganda. Illud de nominibus propriis ridiculum. Nonne etiam cap. 11 habentur nomina, quorum pars est nomen Iahve : Ioab, Banaias, Ioiada, Ioel, Ioha, Ozia? Debuerene uno tempore omnium nomina eiusdem esse formae, etiam in diversis tribubus? Num in sacris libris nusquam aut nominibus appenditur יה vel יהו aut omittitur, aut permutatur cum אל? Nonne potuit ipse fons, unde ea documenta petebat auctor, eadem nomina habere « modernizata », v. g. Elchanam mutatum in Iochanan, Zabad in Zabadiam, et ita porro? Quare e sola nominum forma non exsurgit efficax argumentum ad infirmandam documentorum auctoritatem.

α. Defectio ad Davidem Beniaminitarum auctoritate et fortitudine plane insignium 1 Par. 12,1-7.

Cap. XII v. 1 « *Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis* ». *Hebr.* : *cum esset exclusus a facie etc.* Verba respiciunt verba v. 19 : haec acta sunt florentibus adhuc rebus Saul, ante supremum eius contra Philisthaeos certamen, quando David insidiis Saul pressus se receperat in Siceleg (1 Reg. 27,6); illa acta sunt, quando Philisthaei ad illud certamen prodierant, sed Davide uti socio detrectaverant. Generosior Beniaminitarum illorum animus, qui ad Davidem oppressum *ivere,* quam Manassaeorum v. 19, qui desperatis paene rebus Saul ad Davidem *defecere* (נפלו). « *Qui erant fortissimi et egregii pugnatores* », — *Hebr.* : *hi erant Gibborim, subsidium pugnae,* minoris enim notae homines h. l. non recensentur — v. 2 « *tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa iacientes et dirigentes sagittas* ». *Hebr.* : *tendentes arcum dextera et sinistra, lapidibus et sagittis in arcu.* Sensus planus, constructio impedita; fortasse in fine excidit ובקלע : *in arcu et in funda.* Etiam Iud. 3,15; 20,16 laudantur Beniaminitae, quod fuerint ambidextri. Pergitur : « *de fratribus Saul ex Beniamin* ». Ideo *fratres,* quia *eiusdem tribus* homines.

v. 3 « *Princeps Ahiezer et Ioas, filii Samaa Gabaathites* », de Gabaa Saul, ergo *fratres* magis etiam quam ceteri. Haec videtur esse ratio, cur horum defectio *prima* referatur : defectio aliis longe gravior fuit defectio virorum ex ipsa urbe Gabaa Saul. Cur scribitur *articulus* ante *Samaa*? Eratne vir ille notus ob aliqua facta, quae auctor documenti supponebat nota esse lectoribus, sed quae chronista non commemoravit? Ad 8,6 suggerebamus, iubente *Saul* tres familias stirpis Bela transmigrasse de Gabaa in Manahath, quo totam Gabaa permitteret Gabaonitis suis. Id facile Belaitarum aliqui aegre tulerint atque, abdicato Saulis obsequio, ad Davidem secesserint. Fuerit *Samaa* inter eos, qui maiorem his in turbis a Saule passi sint iniuriam.

Quorsum dicitur Ahiezer *caput*? Non ut fuerit caput alicuius exercitus (11,42); neque textus habet, eum fuisse Rosh ha-Shalishim; arbitror eum dici caput transfugarum illorum, virum uti reliquos viros v. 3 auctoritate gravem, licet fortasse titulo militari non insignitum, virum uti reliquos illos Sauli speciali nomine exosum. Cui adscribitur *Ioas* frater : « *et Iaziel et Phallet, filii Azmoth* », — an forte eius viri de Bahurim, qui 11,32 accensetur Shalishim Davidis? Ceterum cum virorum nomina v. 3-7 omnia adscriptam habeant descriptionem a *loco* petitam (Gabaathites etc.), potuit etiam descriptio *filii Azmoth* derivari ab urbe עזמות (1 Esdr. 2,24; 2 Esdr. 12,29) vel בית עזמות (2 Esdr. 7,28); — « *et Baracha et Iehu Anathothites* ». Versus habet tria *paria* virorum : licet *Anathothites* singulari numero scribatur, crediderim vocem referri ad utrumque virum Baracha et Iehu; idemque fortasse dicendum de singularibus « Gaderothites » v. 4 et « Haruphites » v. 5.

v. 4 « *Samaias quoque Gabaonites, fortissimus inter triginta et super triginta* ». Vides, quot Beniaminitidis locis reperti sint tum homines animis a Saule rege alienatis. Quid vero sibi vult : *Gibbor inter Shalishim et super Shalishim*? Adverte 2. Reg. 23,24 nomen Asael adscriptam habere vocem בשלשים, qua indicetur omnes v. 24-39 viros ordinis fuisse *Shalishim*. Similiter h. l. voces גבור בשלשים ועל השלשים accipio ut *inscriptionem*, quae referatur ad viros v. 4-7. Cum sc. in singulis noluerit auctor aut non potuerit definire, qui fuerint *Shalishim* tantum quive *Rosh ha-Shalishim*, utramque dignitatem unica inscriptione indiscriminatim complexus est. Quodsi porro tum 17 omnino Shalishim Beniaminitae a Saul deficiebant, patet quam desperatae tum fuerint eius regis res. Dices : si viri illi omnes Shalishim erant, cur non recitantur in elencho cap. 11? Respondeo primum, eos tandem recitari hic, idque sufficere. At praeterea arbitror, viros 11,10-41 fuisse Shalishim Davidis *in exercitu suo iudaeo,* uti viri 11,42-46 fuere Shalishim *exercitus Ruben*; viros 12,4-7, etiam post David regem factum super universum Israel, militasse in *exercitu Beniamin*; tandem cap. 27 describere, quomodo aliquando copiae tribuum omnium commissae sint ducibus iudaeis.

Sequuntur reliquorum Shalishim nomina : « *Ieremias et Iehesiel et Iohanan et Iezabad, Gaderothites* » — Gaderothitae omnes (v. ad v. 3), Gedor, Gadera, Gaderoth (CJ[1] p. 42) in finibus Iuda sita, partim Calebitis et partim Zaraitis concessa, urbs Ios. 12,13 vel ante Iosue adventum munitissima. Quomodo vero ib. reperiebantur *Beniaminitae*? Rem explico ita. Saul plurimum pugnavit contra Philisthaeos : sine dubio erectis munitionibus et immissis Beniaminitarum suorum prae-

sidiis munivit urbes aliquas ex iis, quae proxime aberant a Philisthaeorum finibus, et ante et post Iosuen claruere munitionibus. E quarum numero fuit Gedor Iudaeae. Hinc aliquae familiae Beniaminaeae ib. nactae sint sedem.

v. 5 « *et Eluzai et Ierimuth et Baalia et Samaria et Saphatia Haruphites* ». V. s. ad v. 3. Comparatis v. 3 sq. dixeris חריף vel חרִיף esse nomen *loci*. Etiam v. s. ad 2,50 : Haruphitae hi potuere esse Gabaonitae de Bethgader, quae pars fuit Cariathiarim, et Gabaonitae illi tempore Saul bene potuere accenseri Beniaminaeis, quod ipse Saul origine esset Gabaonita. v. 6 « *Elcana et Iesia et Azareel et Ioezer et Iesbaam de Carehim* ». קרחים sunt *Coritae*, levitae oriundi a Core, neque est cur ab eo sensu recedamus. Utique intra fines Beniamin sedes lege attributae fuerant non levitis sed sacerdotibus. At quis ambigat, levitas plures prope sanctuarium Gabaon sedes fixisse, imo figere debuisse? Quodsi porro Banaias sacerdos exstitit bellator famosus, nihil obstat hos quoque levitas coritas eadem laude floruisse. v 7 « *Ioela quoque et Zabadia, filii Ieroham de Gedor* ». De *Gedor* diximus ad v. 4.

Kittel rem iudicat esse veri dissimillimam, tot Beniaminitas illustres defecisse a Saul Beniaminita; videri eas defectiones effictas esse a scriptore exsilio posteriore, quo tempore tribus Beniamin fuerit tribui Iuda coniunctissima. Tamen quae narrantur optime consonant iis, quae de Saulis indole vehementi et inconstanti comperta habemus. Saul, quod esset Gabaonita ipse, nequaquam erat Beniaminitis universis acceptus; Gabaonitas suos gravissime exasperavit; Belaitas, quae nostra est opinio, e Gabaa eiecit; Davidem sibi fidissimum finibus expulit. Porro enumeratos habes v. 3 viros duos de Gabaa, v. 4 Gabaonitam, v. 5 Haruphitas quinque qui fortasse fuere Gabaonitae etiam ipsi. Sunt omnia plane consona.

β. Prima ad Davidem defectio virorum de Gad, Beniamin et Iuda 1 Par. 12,8-18.

Recensitis v. 1-7 viris illis Beniaminitis auctoritate gravissimis, qui regno Saul ad finem vergente a partibus Saul transiere ad partes Davidis, *redit auctor ad ordinem temporis* ac primas ad Davidem refert defectiones. Recte *Net.* monet, *munitionem in deserto* Iuda esse rupem *Odollam* : v. 8.16 מצד, cf. 11,16 מצידה. Ibi convenerunt ad David primum « omnes, qui erant in angustiis constituti et oppressi aere alieno et amaro animo, et factus est eorum princeps » (שר), « fueruntque cum eo quasi quadringenti viri » (1 Reg. 22,2). Qui numerus mox (23,13 ; 27,2; 30,10) auctus est ad viros sexcentos. Uterque numerus rotundus.

v. 8-15. 16-18 describit eius turbae successiva incrementa, accedentibus ad Davidem viris insignibus de Gad, Beniamin et Iuda.

Quid querelarum contra Saul habuerint *Gaditae* v. 8-15, non edocemur. Erant *centuriones* et *chiliarchae* (v. 14). Fortasse bellatores illi, qui aspectu aemulabantur leones et velocitate gazellas, inique ferebant amatissimum suum ducem David iniuste trusum esse in exsilium. Modus, quo se in Iordanem proiecere et per valles et montes prorupere, certe prodit specialem viri affectum. Fuerat David, vel antequam ab aula Saul se proriperet, plurimis longe carior ipso rege.

v. 8 « *Sed et de Gaddi* », de tribu Gad, « *transfugerunt ad David, cum* [*lateret*] *in deserto* », *Hebr. ad munitionem in deserto,* « *viri robustissimi et pugnatores optimi* », Gibborim, hi quippe soli h. l. enumerantur praetermissis minoris fortasse notae viris, « *tenentes clypeum et hastam* », pugnantes cominus, dum Beniaminitae potius pugnabant eminus; « *facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreae* », i. e. gazellae, « *in montibus* ». Quanti esset ea velocitas in certaminibus, disce e 2 Reg. 2,18 sqq. v. 9 « *Ezer princeps* ». Dicitur vir הראש, *primus*, respectu secundi, tertii etc. Facile crediderim, virum praeterea ita vocari *caput,* uti v. 3 Ahiezer, ergo defectionis illius antesignanum. « *Obdias secundus. Eliab tertius* ». v. 10 « *Masmana quartus. Ieremias quintus* ». v. 11 « *Ethi sextus. Eliel septimus* ». v. 12 « *Iohanan octavus. Elzebad nonus* ». « v. 13 « *Ieremias decimus. Machbanai undecimus* ».

v. 14 « *Hi de filiis Gad principes* » (ראשי, *capita*) « *exercitus : novissimus centum militibus praeerat, et maximus mille* ». *Ber.* appellans Lev. 26,8 censet illud enuntiari, ita fortes fuisse illos viros, ut eorum minimus aequalis esset fugandis 100, fortissimus fugandis 1000 hostibus. Sed laus fortitudinis habebatur v. 8. Modo auctor referebat eos fuisse *capita exercitus,* nunc addit (*Vulg., Nct.*) fuisse *centuriones* et *chiliarchas.* Erant capita seu duces inferiores (des officiers subalternes), centuriones, chiliarchae ordinatores militiae; erant duces superiores (des officiers supérieurs), Shalishim, qui militibus moderabantur in proelio. Putabat *Cai.*, exprimi gradum militarem quem illis viris contulerit aliquando David, praemium fortitudinis et fidei. Sed, uti v. 4.20, agitur de gradu, quem nacti erant in exercitu Saul, et habebant quando ad Davidem transiere. Qui ad Davidem accessere, non fuere vulgi homines tantum, sed viri fortitudine et auctoritate graves : optimi quique a Saul secedebant.

v. 15 « *Isti sunt, qui transierunt Iordanem mense primo, quando inundare* [*consuevit*] *super* » *totas* « *ripas suas, et omnes fugaverunt,* [*qui morabantur*] *in vallibus ad orientalem plagam et occidentalem* »,

non fluminis, sed vallium per quas incedebant. Uno verbo : fugaverunt omnes, e qualicunque plaga illi sibi obiicerentur. Textus utique non accuratius explicat, « quando et quomodo res haec gesta fuerit » (*Cai.*). Tamen sensus obvius est (*Calm.*); rem gestam esse eodem quo reliqua v. 8-14 tempore. Saul haud ignarus transiordanicorum etiam plures favere Davidi, constituerit custodes qui vada fluminis observabant. Hi rem segnius egere tempore inundationis, quo nemo nisi audacissimus transitum tentaret. Viri illi flumen traiecere, et per devias Iudaeae valles, ubi plures Davidi favebant, citato itinere procedentes, obvios quosque in fugam egere et ad Davidem pertigere.

v. 16 « *Venerunt autem et de* » *filiis* « *Beniamin et* [*de*] *Iuda ad praesidium* », munitionem Odollam, « [*in quo morabatur David*] ». Ad Davidem quidem in Siceleg commorantem venit aliquando v. 1-7 solidum Beniaminitarum agmen. Verum antea iam, in Odollam ad eum accesserant Beniaminitae quidam Iudaeis mixti, pauciores fortasse numeris, quorum praeter unum nomina non recensentur. Haec sc. non videntur referri, quibus edoceamur quibus viris fortibus accedentibus auctae sint Davidis res, sed quibus modum edoceamur quo David excipiebat transfugientes ad se sibique devinciebat. Hinc pulcherrima est haec narratio, atque perbelle complet descriptionem rerum Davidis exsulis.

v. 17 « *Egressusque est David obviam eis et ait : Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis; si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum et iudicet* ». Porro *Amasai*, עמשי, idem sane est atque *Amasa*, עמשא, Davidi affinitate iunctus (2,17; 2 Reg. 17,25; 19, 13 [14]; 20,4 sqq.), qui hic divino veluti instinctu (cf. Iud. 6, 34) Davidem salutavit eique prospera quaeque apprecatus est, postea fidem fefellit factus dux exercitus Absalomis, atque a Ioab per insidias interemptus est.

v. 18 « *Spiritus vero induit Amasai principem inter triginta* », *Rosh ha-Shalishim*. Quam vel etiam potiorem dignitatem vir postmodum habuerit in exercitu Davidis. Sed obvius verborum sensus est, eum habuisse eam dignitatem tum quando Davidem alloquebatur. Habuerit eam in ipso Saulis exercitu : sed quod Davidi esset affinitate iunctus, regis suspicionem incurrerit atque fuga se subduxerit — « *et ait : Tui* [*sumus*], *o David, et tecum, fili Isai, pax. Pax tibi et pax adiutoribus tuis, te enim adiuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David et* » postea « *constituit principes turmae* ». Ceterum גדוד non tam est *exercitus*, quam *turma praedonum*, quo nomine non inepte designantur exsules circa David collecti. *Constituit eos capita* potius est ויתנם ראשי, non בראשי;

planius legebat *Syr.* בראש : *constituit eos in primo agmine*, summam testatus fiduciam : quodsi enim, qui in primo agmine militant, ad hostes transfugiunt, totum post se agmen perturbant.

γ. Extremae ad Davidem exsulem defectiones 1 Par. 12,19-22.

Conieceris Manassaeos v. 19 sqq. fuisse transiordanicos, cum hi credendi sint Davidi favisse uti reliqui transiordanici, Rubenitae 11,42-46, Gaditae 12,8-15. Dum Saul colligebat exercitum in monte Gelboe, vada Iordanis non iam custodiebantur, liberum erat transiordanicis iter ad Davidem. E contra Manassaei cisiordanici proxime aberant a Saul, ac facile defectionis poenas erant laturi. Ex alia parte Manassaei hi describuntur v. 21 (v. i.) Davidi perutilem praestitisse operam in ordinando exercitu, erant ergo rei militaris apprime periti. Non perspicitur, unde nacti sint Manassaei transiordanici eximiam illam prae aliis peritiam, laudatur cap. 5 bellica virtus Rubenitarum et Gaditarum eius temporis, non laudatur Manassaeorum : cur curam instruendi exercitus non commisit David Gaditis illis, qui leones aequabant aspectu et gazellas velocitate? Sed Manassaei cisiordanici habuerint eam peritiam : habebant enim intra fines suos Chananaeorum urbes munitas plures, ac facile credentur aliquid eorum artis militaris imitati esse. Potuere autem ad Davidem accedere *post* cladem Saul, viri qui etiam post eam cladem de salute Israel non desperaverint, sed suum obsequium transtulerint in Davidem tamquam unicam suarum rerum restituendarum spem. Igitur quaestionem in medio relinquo, fuerintne Manassaei v. 19-22 cisiordanici an transiordanici.

v. 19 « *Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthaeis adversus Saul ut pugnaret, et non dimicavit cum eis* », — *Hebr.* : *et non adiuvit eos*, sc. Philisthaeos 1 Reg. 29 — « *quia inito consilio remiserunt eum principes Philisthinorum dicentes : Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul* ». v. 19 describebat tempus *generalius*, v. 20 illud *accuratius* definit : Manassaei illi Davidem convenere, non quando cum Philisthaeis egrediebatur ad dimicandum contra Saul, sed quando reversus est in Siceleg : v. 20 « *Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse : Ednas et Iozabad et Iedihel et Michael* [*et Edna*] » — hoc nomen dele — « *et Iozabad et Eliu et Salathi, principes millium* » seu chiliarchae « *in Manasse* ». Quorum adventus commemoratur, ob eximium officium quod viri illi rei militaris periti Davidi praebuere in ordinando exercitu, cuius numeri crescebant in dies. v. 21 « *Hi praebuerunt auxilium David adversus latrunculos* ». Quos *Cai.* aliique

interpretantur Amalecitas 1 Reg. 30. Sed expeditionem contra Amalecitas suscepit David, quando v. 9 ib. 600 tantum habebat pugnatores; et voci גדוד articulo determinatae idem sensus v. 21 tribuendus est atque v. 18. Verto igitur : *Hi praebuerunt auxilium Davidi quoad turmam* suam. Ratio, cur apti fuerint ad eum in ea re iuvandum, habent verba : « *omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu* ». *LXX* ἐν (τῇ) δυνάμει videtur esse altera versio vocis בצבא. שר est vox generalissima ad designandum *ducem* militum : quandoque (27,34; 11,20) designat supremum ducem, sed Num. 31, 14; 1 Reg. 22,7 etc. centuriones quoque et chiliarchae vocantur שרים. Quaeritur igitur, quo sensu Manassaei illi facti sint שרים. Ubi notes discrimen vocum גדיד et צבא : praebuerunt auxilium quoad *turmam*, et facti sunt שרים in *exercitu*. Rem explicat v. 22 : « *sed et* », seu potius *etenim*, « *per singulos dies veniebant ad David* » variarum tribuum homines « *ad auxiliandum ei* », potissimum postquam exercitus Saul fusus est in monte Gelboe, « *usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei* ». *Hebr.* : *grandia castra sicut castra Dei*. Quodnam igitur auxilium Manassaei illi praestitere Davidi? Dices, quoties transfugae illi numerum 100 vel 1000 bellatorum implessent, unum ex illis Manassaeis illis attributum esse centurionem vel chiliarcham : sed ita Manassaei illi adiuturi erant Davidem potius quoad *exercitum* quam quoad *turmam*. Coniicio igitur, Manassaeos illos adiuvisse Davidem quoad *turmam*, quae utique tum excrevit in *exercitum*, ut milites formarent quoad perfectiorem illam *disciplinam*, quam ipsi callebant, ut turma revera fieret iusti nominis exercitus.

Eo usque turma illa videtur habuisse plures, qui duces ante fuissent vel ob insignia facinora digni plane essent qui ducibus accenserentur, quam gregarios milites. Erat istud utile, quamdiu David minores tantum suscipiebat expeditiones, quales 1 Reg. 27 describuntur, quae magnam partem singularibus certaminibus heroum dirimebantur. Res non carebat periculo, si Davidi congrediendum erat cum Philisthaeis vel cum domo Saul. Igitur, quod equidem coniicio, officium docendae *disciplinae militaris*, non necessario perpetuo sed fortasse ad tempus tantum, commisit Manassaeis illis qui, quod essent eius rei prae ceteris periti et tribus primogenitae Ioseph homines, minorem reliquis moturi erant invidiam.

C. Elenchus eorum, qui accessere ad Davidem regem Iuda factum 1 Par. 12,23-40.

Arg. — Ad Davidem Hebrone regnantem accessere permulti tribuum milites bene instituti cum suis centurionibus et chiliarchis :

plurimi omnium transiordanicorum, plurimi item Galilaeorum, pauciores eorum, qui firmius adhaeserant domui Saul, sacerdotes plerique, imo fortasse omnes, levitae pauciores.

Non cogimur adstruere, hos omnes *una* Hebronem confluxisse, eo fere tempore quo ipse Abner cum Davide manus iungebat. Advenerint deinceps illis 6½ annis, quibus David 2 Reg. 3,1 continuo invalescebat contra domum Saul. Nota item tradi summas eorum tantum, qui ad Davidem accessere Hebrone iam regnantem, non summam totius exercitus David, non Beniaminitarum, Manassaeorum aliorumque quos secum de Siceleg adduxit Hebronem : traduntur sola incrementa Hebrone accepta. Quaesieris, cur non potius summas universi exercitus descripserit chronista. Respondeo, non scripsisse, quod non habuerit. Chronista tradit ea documenta tantum, quae nactus est, non fingit documenta.

v. 23 « *Iste quoque est numerus principum* » militum *expeditorum* « *exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum iuxta verbum Domini* ». Inscriptio haec utique similis formae est atque 11,10 sq. ; 12,1. 8. 16. 19, quae erant de *ducibus*. Exspectabis igitur, etiam v. 23-40 tradi elenchum *ducum* : traduntur vero summae *militum*. ראשי החלוץ לצבא, ubi ignorant *LXX Vulg.* החלוץ. Coniicit *Kittel* loco eius vocis habuisse textum primitus אשר post צבא, quod pronomen requirat constructio : tamen omitti potuisse pronomen, doceris CG p. 90. *Oe.*, appellans Iud. 7,16. 20 ; 1 Reg. 11,11, vertit : ista sunt *agmina* expeditorum exercitus : sed ראש in hisce elenchis constanter designat *duces*. Ob eandem rationem nolo vertere *capita*, i. e. homines; neque « exercitus et duces » (*Tost.*). Neque placet cum *Ber.* adstruere, elenchum primitus habuisse nomina ducum et numerum militum : solum numerum militum in nostro textu haberi. Tot cap. 11 sq. recitatos habes duces *superiores*, ut merito affirmaveris v. 23-40 tradi duces *inferiores*. Horum v. 23 promittit *numerum*, non *nomina* : neque enim erat, cur ducum inferiorum nomina recitarentur. *Numerum* habes v. 24 sqq. : divide summas per 1000, et habes *chiliarchas*; divide per 100, et habes *centuriones*; divide per 10, et habes *decanos*. Igitur auctor, volens priores elenchos ducum complere numero ducum inferiorum qui ad Davidem transiere Hebronem, tradit numerum militum, e quo numerus ducum inferiorum facili computo derivatur. Lectorem supponit divisionis arithmeticae non plane ignarum ; plus tradit quam promisit, praeter numerum ducum etiam numerum et indolem militum. Documentum, quo utitur, tradit plane tale quale reperit : laudandus hac in re, non reprehendendus.

v. 24 « *Filii Iuda portantes clypeum et hastam sex millia octingenti expediti ad proelium* ». v. 25 « *De filiis Simeon virorum fortissimorum ad pugnandum septem millia centum* ». v. 26 « *De filiis Levi quatuor millia sexcenti* ». v. 27 « *Ioiada quoque princeps de stirpe Aaron, et cum eo tria millia septingenti* ». נגיד : 27,16 nomen dignitatis civilis. Ioiada hic non erat pontifex. Coniicio eum fuisse, absente apud Davidem exsulem Abiathare, Ithamaridarum caput, qui alias praeter familiam Achimelech familias habebant. Levitis h. l. non adscribitur specialis laus militaris excellentiae. Unus pontifex Abiathar iam erat cum Davide (cf. 1 Reg. 30,7) : ad Davidem porro accedit pontifex alter Eleazarida, *iuvenis fortis robore* (*Hebr.*), numerosa stipatus domo : « v. 28 « *Sadoc etiam puer egregiae indolis, et domus patris eius principes viginti duo* ». Igitur iunior tum erat Sadoc. Non otiose Sadocum h. l. effert chronista : a partibus Davidis Hebrone steterunt *uterque* pontifex, ipse etiam Sadoc qui Gabaone intra fines Beniamin 16,39 pontificatu fungebatur. v. 29 « *De filiis autem Beniamin fratribus Saul tria millia; magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul* ». Coniicit *Net.*, ideo reliquas tribus tantis numeris accessisse Hebronem, quo cogerentur Beniaminitae hi victas dare manus. v. 30 « *Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis* ». Ut auctor hebraeus hos omnes bellatores *liberaliter* laudet atque epitheto גבורי חיל, *heroes robusti* (cf. v. 25. 28) ornet, non est cur mireris. Neque cogeris inferre, singulos illos Ephraimitas aliqua edidisse facinora, quae in ore omnium essent : sufficit certe statuere, singulas *turmas* cum laude antea dimicasse. Quicunque Gibborim vocantur, eos facile concedes *bene armatos* prodiisse ad certamen. Suggerebamus porro CJ[1] p. 107 sq., modum unum comparandorum armorum eum fuisse, ut ea quis detraheret hosti a se interempto; quicunque ita arma sibi comparasset, fortitudinis specimen ediderat, erat *heros*, non merus tiro. Erant tamen alii etiam modi procurandorum armorum : haereditas, emptio etc. Sed, quicunque bene armati prodibant, *heroes robusti* habebantur. Credo igitur, hanc expressionem v. 30 et alibi illud imprimis edicere, fuisse illos bellatores *bene armatos*, gladiis, scutis, pilis, lanceis, arcubus, non solis baculis, fundis.

v. 31 est de Manassaeis cisiordanicis (cf. v. 37) : « *Et ex dimidia tribu Manasse decem et octo millia; singuli per nomina sua venerunt, ut constituerent regem David* ». Ad 16,41 ostendemus, אשר נקבו בשמות sensum habere *nominatim designati fuerant*. Non suo privato tantum consilio adfuere, non a ducibus inducti, sed a populo deputati : num ab *universo* populo Manassaeorum cis flumen? v. 32 « *De filiis quoque*

Issachar [*viri*] *eruditi, qui noverant* [*singula*] *tempora ad praecipiendum, quid facere deberet Israel, principes ducenti; omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur* ». Verte : *De filiis Issachar, habentes intelligentiam* (cf. 2 Par. 2,12) *temporum, ut scirent quid faciendum esset Israeli, duces 200, et omnes fratres eorum ad os eorum.* Sententia a reliquis plurimum differt, primum eo quod *ducum* numerum tradat, non *militum*; dein quod non loquatur de *universo Issachar*, sed de ea *tribus parte*, quae *intellexerit* necessitates temporum, perspexerit nullam esse spem restituendarum rerum domus Saul, sed unam Israelis salutem in eo reperiri, ut omnes suum obsequium ab illa domo transferrent ad Davidem. Merito igitur ait *Cai.*, laudari eorum virorum « prudentiam politicam »; perperam auctores alii diversas enumeravere prudentiae species, quibus excelluerint Issacharitae (quoad astronomiam, agriculturam etc. : v. apud *Calm.*). Ubi miratur *Ber.*, Issachar, « asinum osseum » (Gen. 49,14), ad tantam aliquando prudentiae laudem pertigisse.

Ceterum ei *parti* virorum prudentium necessario apud Issacharitas opponebatur *pars altera*, qui ea *intelligentia* carebant, qui mordicus partes domus Saul tuebantur aut certe cum Davide non iungebant manus. Fuisse hanc partem numerosam, imo altera fortasse parte numerosiorem, inde inferas quod numerus militum taceatur. Traditur solus ducum numerus, qui, si supponantur fuisse decani, habebant consentientes sibi milites 2,000, si centuriones 20,000; si supponantur tot pro portione numero fuisse apud Issacharitas, quot v. 34 apud Nephthalitas, habuerint sub se milites 18,500. At vero paucis annis post numeravere Issacharitae 7,5 viros expeditos ad bellum etiam plures (v. ib.). Sc. documenti scriptor in eo est, ut cuique tribui aliquid *laudis* pendat, durius loquatur nihil. Non potuit laudare *totam* tribum Issachar, laudavit *partem*; eius partis obscuravit *numeros*, extulit *prudentiam*; extulit ducum cum omnibus suis militibus *concordem animum*. Etenim *fratres* non sunt Issacharitae omnes, sed sola tribus pars illis ducibus consentiens, imprimis quibus illi moderabantur milites : hi omnes *ad os eorum* erant, illis per omnia parebant.

v. 33 « *Porro de Zabulon, qui egrediebantur ad proelium, et* [*stabant*] *in acie instructi* » *omnimodis* « *armis bellicis, quinquaginta millia* [*venerunt*] *in auxilium, non corde duplici* ». Pro insueta voce לעדר codices plures hebraei cum *LXX Vulg.* legunt לעזר, *ad adiuvandum.* Sed eadem vox habetur v. 38 (ubi 3 codices legunt ערכי), et vox insueta facile potuit in vocem minus insuetam defigurari. Ea vox v. 38 ob adscriptum מערכה, *acies*, indubie sensum habet *explicare aciem*, qui accusativus h. l. facile suppletur. Ergo : *instruentes pugnam omni*

genere armorum, et explicantes (aciem) *non corde duplici.* Erant bene armati et animis generosis. v. 34 « *Et de Nephthali principes mille, et cum eis instructi clypeo et hasta triginta et septem millia* ». Magnus principum numerus comparatione numeri militum : 37,000 militibus correspondent chiliarchae et centuriones c. 400 ; neque ideo tamen numerus ille repudiandus. v. 35 « *De Dan etiam praeparati ad proelium viginti octo millia sexcenti* ». v. 36 « *Et de Aser egredientes ad pugnam et in acie provocantes quadraginta millia* ». v. 37 « *Trans Iordanem autem de [filiis] Ruben et de Gad et dimidia parte tribus Manasse, instructi* » omnis generis « *armis bellicis, centum viginti millia* ». Praevalebant hi et bellico apparatu et numeris.

v. 38 « *Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel, sed et omnes reliqui ex Israel uno corde erant, ut rex fieret David* ». Cuiusmodi generales expressiones semper admittunt exceptiones, quarum una v. 29 explicite statuitur. v. 39 « *Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes et bibentes ; praeparaverant enim eis fratres sui* » Iudaei. v. 40 « *Sed et qui iuxta eos erant* », tribus Iudaeorum finitimae, « *usque ad Issachar et Zabulon et Nephthali* », — haec non videntur sumi sensu *inclusivo* (*Calm.*) : etiam remotissimi usque ad extremos limites terrae sanctae, nam Issachar non ita procul aberat a Iudaea ; sed sensu *exclusivo. Zabulon* et *Nephthali* non attulere comeatum, quod longius a Iudaea abessent ; *Issachar*, quod nondum omnes faverent rebus Davidis (v. s. ad v. 32). Dices excludendum item fuisse *Aser* : sed fines Aser austrum versus complectebantur Dor, quae non ita procul aberat a Iudaea — « *afferebant panes in asinis et camelis et mulis et bobus ad vescendum* », — sed hanc vocem iunge sequenti : *cibos farinae* — « *farinam, palathas* » seu ficus compressas, « *uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes ad omnem copiam* ; *gaudium quippe erat in Israel* ».

Comparamus numeros inter se.

v. 24 Iuda	6,800	v. 30 Ephraim	20,800	v. 33 Zabulon	50,000
v. 25 Simeon	7,100	v. 31 Manasse	18,000	v. 34 Nephthali	37,000
v. 26 Levitae	4,600	v. 32 Issachar	200?	v. 35 Dan	28,600
v. 27 sq. Aaronitae	3,700			v. 36 Aser	40,000
v. 29 Beniamin	3,000				

Summa cisiordanicorum v. 24-36	219,800
Summa transiordanicorum v. 37	120,000
Summa universorum	339,800

Haec fuit summa bellatorum expeditorum ad *bellum*, exceptis iis qui sequebantur domum Saul vel nondum sequebantur Davidem, vel eidem

iam ante adhaeserant. Postmodum (cap. 27) tempore *pacis* habebat David bellatores 288,000 seu 12 × 24,000, e quibus singulis mensibus 24,000 penes regem erant. Recole, quae initio Commentarii monebamus, nos interim illud unum quaerere, quid dicat chronista, non vero qua veritate quove genere literario dicat.

Transiordanici supplevere plus quam 35 0/0 totius illius numeri bellatorum. Instar Gaditarum v. 15 summa alacritate traiecere Iordanem, ut Davidem facerent regem.

Post transiordanicos alacerrimi fuere *Galilaei* : Zabulon 50,000, Aser 40,000, Nephthali 37,000, quibus fortasse addendus Dan 28,600, quod nomen fuerit potissimum vel unice referendum ad Danitas septentrionales circa Dan Lais. Galilaei supplevere 45 0/0 (demptis Danitis 38 0/0) totius numeri bellatorum.

Bellatores comparatione paucos submisit *Beniamin*, propter studium partium Saul; paucos ob eandem forte rationem *Issachar*, in cuius tribus finibus supremum dimicavit Saul. Desidiores item videntur fuisse tribus populosissimae *Ephraim* (20,800) et *Manasse* (18,000); sed recordare, Manassaeorum plures iam antea se iunxisse Davidi. Exiguus specie tenus numerus *Iuda* 6,800 : sc. ii soli v. 24 recensentur, qui *Hebrone* tandem ad Davidem accessere ; reliqui 2 Reg. 2,4 ad ipsum accesserant tum, quando eum unxere regem super Iuda. Comparatione profecto notabilis numerus *Simeon* 7,100, quae tribus nondum a tribu Iuda videtur fuisse absorpta. At *levitarum* utique exigua pars, 4600 de 38,000 (23,3), Davidis tum partes sustinuit, nisi supponas plurimos iam ante ad ipsum accessisse. Quot tempore Davidis fuerint *sacerdotes*, nusquam traditum habemus. Cap. 24 habes *familias* 24 : quodsi audacius supponas, illos 3,700 sacerdotes v. 27 esse sacerdotes tum superstites fere omnes, habebit familia viros ferendis armis pares fere 125. Sed haec non satis certa.

II. ARCA TRANSLATA A CARIATHIARIM IN DOMUM OBEDEDOM 1 PAR. 13.

Arg. — Consilium traducendae arcae communicavit David primum cum ducibus exercitus omnibus, dein cum populo. Tandem totus cum Davide populus arcam deduxit de Cariathiarim plaustro impositam. Quam cum irreverenter attigisset Oza, percussus est a Deo in loco Perez Oza. Quare David ad tempus a deducenda Sionem arca destitit, eamque reliquit in domo Obededom, quae illico divinam benedictionem experta est.

Cap. XIII v. 1 « *Iniit autem consilium David cum tribunis* » — seu verius *chiliarchis*, non cum *senibus* (*LXX L*) — « *et centurionibus et*

universis principibus ». *Hebr.* : *usque ad omnes principes.* נגיד etiam 2 Par. 32,21 duces *militares* designat : ergo consilium iniit David cum ducibus militaribus *omnibus*, ab imis ad summos. Initium fecit a ducibus *inferioribus*, neque neglexit duces *superiores*, Shalishim aliosque, atque ita effecit ut totum tandem exercitum sibi haberet consentientem. Rem non effecit una aliqua publica ducum omnium concione, in qua *primi* nominandi fuere duces *superiores*, sed singulorum uti videtur alloquiis. Per duces totum exercitum ad suam sententiam pertraxit. Res acta est non Hebrone 12,23, sed post captam Ierusalem, nectitur quippe narratio cap. 13 narrationi 11,1-9; neque fortasse ea res brevi tempore ad felicem exitum perducebatur.

Perspicis iam nexum narrationis cap. 11-13, diversum a nexu 2 Reg., ubi 6,1 sq., nulla facta mentione ducum exercitus, David cum populo totam rem agit. Hic e contra cap. 11 sq., post narratam expugnationem Iebus, subiicitur descriptio *exercitus* David, imprimis elenchi ducum, quorum magna pars nominibus recensetur. Dein narrantur transferendae arcae potissimi adiutores Davidi fuisse non *clerus*, sed *exercitus*. Sacerdotes et levitae in translatione de Cariathiarim certe non principe loco prope arcam incedebant, quem neglectum causam fuisse interitus Ozae ipse postea David 15,2 confessus est. Clerus sc. regnante Saul prostratus iacuerat, sanctuarium neglectum (h. l. v. 3). Diuturno labore fuit clerus Davidi reformandus atque nativae dignitati restituendus.

Alia ratio exercitus primum adhibendi consiliis ea potuit esse, expeditionem illam sacram non fuisse *periculi* expertem. Quod periculum crediderim fuisse non tam a parte alienigenarum, v. g. Philisthaeorum, quam a parte Israelitarum, quorum plures rem laturi esse crederentur iniquius, atque aliquid fortasse acturi contra, nisi nossent totum exercitum stare a parte regis.

Sc. arca et tabernaculum antiquitus *una* fuerant in finibus *Beniamin*. Post captam a Philisthaeis arcam tabernaculum ib. perseveravit, ubi antea; sed redux arca substitit tandem intra fines *iudaeos* in Cariathiarim. Iudaei arcam transmittere ad Beniaminaeos recusabant, hi exigebant ut eadem ad tabernaculum rediret : inde factum est, ut arca tanto tempore procul tabernaculo perseveraret. David ratus, tutissimum fundamentum unitatis regni esse unitatem cultus, constituit arcam educere e finibus iudaeis in fines beniaminaeos. Verum, licet Ierusalem iure esset civitas beniaminaea, et quadamtenus etiam facto, at erat eadem etiam civitas iudaea atque in dies magis iudaea efficiebatur. Fuit igitur consilium Davidis sapiens, specie satisfaciens Beniaminitarum querelis, re favens Iudaeis, plurimum aliquando collaturum ad id, ut Beniaminaei et Iudaei fierent gens unica.

Annon David aliquando etiam conatus est Beniaminitis persuadere, ut *tabernaculum* mosaicum transferrent in Ierusalem? Si fecit, illi certe non sunt ei obsecuti, veriti se passuros auctoritatis lucrorumque imminutionem. Videntur existimasse restituendam aliquando fore arcam tabernaculo, non suspicabantur aliquando repudiatum iri « tabernaculum Silo » (Ps. 77 [78], 60). Videntur etiam parvi fecisse tabernaculum illud novum, quod aliquando confecit David : Salomon tandem res composuit exstructo templo.

Ubi David exercitum ad suum consilium pertraxit, vocavit coetum *totius Israel*, potissimum seniorum, coetum minus numerosum eo qui, adscitis v. 2 « reliquis fratribus », congregabatur v. 5. v. 2 « *Et ait ad omnem coetum Israel : Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur* [*sermo quem loquor*], *mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, et ad sacerdotes et levitas, qui habitant in suburbanis urbium* », certas cum pascuis sedes e Moysis praecepto Num. 35 obtinent, « *ut congregentur ad nos* ». Vocem נפרצה ad sequentia trahit *Cai.* : dividamus nuntios in diversas partes mittendos; *Mar.* : multiplicemus nuntios (cf. Gen. 28,14); *Malv.* : erumpamus, i. e. mittamus cursores. Similiter *Keil*, *Ber.* Quae explicationes omnes sunt perquam improbabiles. Ut נפרצה cum *LXX Vulg.* ad praecedentia trahas, fere exigit parallelismus, cum sententia : *Si vobis placet, et si a Iahve Deo nostro* — sit evidenter manca. Vocis explicationem tentant versiones. Quae secundum etymon erit fere vertenda *perruptio*, qui sensus h. l. non est aptus. Rara nomina, quae praefixo נ derivantur a coniugatione niphal : habes 1 Reg. 3,1 adiectivum נפרץ, *rarus*, sed neque ea significatio h. l. quadrat. At facilis sensus habetur, si pro נפרצה scribas נפרשה, *accurata declaratio* (cf. Lev. 24,12; Num. 15,34; 2 Esdr. 8,8 — et chald. פירוש, *clarum effatum, declaratio*). Ergo, ut nuntios circummittat, exigit David conditiones duas, consensum populi et *oraculum* divinum : sane, nisi annuente oraculo divino, non erat David translaturus arcam. Porro facili errore נפרשה mutabatur in נפרצה : cum sc. in hac narratione nomina Perez Oza et Baal Pharasim ludant in radice פרץ, eandem radicem cum aliquo verborum lusu subodoratus sit scriba aliquis in voce נפרשה, ideoque scripserit נפרצה.

Vocabantur etiam *reliqui*, ii quoque qui fortasse minus alacres essent in novo rege salutando : id agens sibi hos etiam devincturus erat David. Habiturus illos erat socios expeditionis suae, commensales sacrorum epulorum, religione firmaturus erat regnum recens acceptum. Ubi Vulg. *et ad*, *Hebr.* : *Et cum ipsis* (*sunt*), ergo : *et cum ipsis* (mittamus) *ad*. Consilii participes fecit David primum duces militares, non, uti videtur, sacerdotes et levitas quoslibet. Sacerdotes ii, qui in urbibus

Beniamin et potissimum Gabaone (Ios. 21,17) sedes habebant, non erant fortasse alacribus animis istud consilium approbaturi, studebant etiam rebus tribus cui erant adscripti : si populum ipsi non traherent, trahendi erant a populo et ab exercitu.

v. 3 « *Et reducamus arcam Dei nostri ad nos* ». Cariathiarim habebat incolas, non tantum *Iudaeos* et *Beniaminitas* (v. s. 8, 6 sq.), sed etiam *Hevaeos* (Ios. 9,17; 11,19) et, licet hi cultum Iahve profiterentur, non erant (Ios. 9,27) reliquorum Israelitarum per omnia aequales. Arca, dum subsistebat in Cariathiarim, non erat plane apud *nos*. Decebat porro arcam sedem habere in urbe, cuius incolae omnes fruerentur iuribus omnibus seminis Abrahae. « *Non enim requisivimus eam in diebus Saul* ». Suffixum referunt *LXX Vulg.* ad *arcam*. Sed cur David vitio vertit Hebraeis, quod non *reduxerint* arcam in diebus Saul? quo reducturi tum erant? num Gabaonem? Potest vero suffixum etiam referri ad *Deum nostrum*. Israelem in diebus Saul non requisivisse Iahven, erat res notissima, comprobata atroci interitu Saul. Porro modus rursum requirendi Iahven erat restitutio cultus, ea exigebat translationem arcae in locum digniorem quam Cariathiarim et, si fieri posset, translationem tam arcae quam tabernaculi mosaici in locum eundem. v. 4 « *Et respondit universa multitudo, ut ita fieret; placuerat enim sermo omni populo* ».

v. 5 « *Congregavit ergo David cunctum Israel a Sihor* » seu *flumine* « *Aegypti* », i. e. a Torrente Aegypti (v. ad Ios. 13,3), extremo limite Chanaanitidis Aegyptum versus, « *usque dum ingrediaris Emath* », usque ad fauces Emath seu urbis Hamath Dor (CJ [1] p. 431 sq.), urbis in extremo aquilone Chanaanitidis sita, « *ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim* ». v. 6 « *Et ascendit David et omnis vir Israel ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda* », — verte non *ad collem*, sed *Baalam* : sc. Cariathiarim Ios. 15,9 antiquiore nomine vocabatur *Baal*, monebamusque etiam 2 Reg. 6,2 restituendam esse lectionem *Baal Iuda*. Noster auctor v. 6 eundem textum sequitur atque 2 Reg. 6,2, sed, quod v. 5 locum appellaverit Cariathiarim, etiam v. 6 hoc nomen inserit : *Baalam, Cariathiarim, quae est iudaea*; e civitate potissimum iudaea transferebatur arca in civitatem iure beniaminitam, futuram mox potiore etiam iure iudaeam quam Cariathiarim — « *ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen eius* ». Auctor evidenter eundem atque 2 Reg. 6,2 textum exprimit :

2 Reg. 6,2 :	אשר נקרא שם שם יהוה צבאות ישב הכרבים עליו
1 Par. 13,6 :	יהוה יושב הכרבים אשר נקרא שם

Nomen *Sabaoth* in Chronicis rarum (1 Par. 11,9; 17,7. 24) omittitur.

Sensus certe est : *arcam Dei, super quam invocatum est nomen Iahve sedentis inter cherubim.* v. 7 est idem fere textus atque 2 Reg. 6,3 : « *Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum* » — 2 Reg. 6,3 « et tulerunt eam » — « *de domo Abinadab* » (cf. 1 Reg. 7,1), qui vir nequit demonstrari fuisse Levita, et probabilius non erat. « *Oza autem et frater eius* », seu verius *et Ahio* — 2 Reg. 6,3 « filii Abinadab » — « *minabant plaustrum* ». Ignorat chronista sententiam 2 Reg. 6,4, quae nihil addit ante dictis nisi unum illud, Ahio incessisse ante plaustrum eique, uti videtur, ob eam rationem non venisse in mentem tangere arcam. v. 8 « *Porro David et universus Israel ludebant coram Deo omni virtute in canticis et in citharis et psalteriis et tympanis et cymbalis et tubis* ». Versus fere idem atque 2 Reg. 6,5. Omittitur בית, *domus* ante ישראל, *Israel*. Pro ה *Iahve* scribitur אלהים, *Deus*. Pro בכל עצי ברשים, *in omnibus lignis cypressinis*, verius בכל עז ובשירים, *in omni virtute* et, omissa cum *Vulg.* copula, *in canticis*. מצלתים, *cymbala*, in solis legitur libris Par. et Esdr., pro quo 2 Reg. 6,5 (cf. Ps. 150,5) צלצלים. חצצרות, *tubae*, subintrat in locum ἅπαξ λεγομένου מנענעים, *sistra*. Sensus verborum est : instrumentis musicis omnis generis; qui sensus verus est in utroque textu.

Quaestionem de *nominibus divinis* pro universo V. T. funditus discussit *P. Vetter* in : Theologische Quartalschrift, Tübingen 1903, p. 12 sqq. 202 sqq. 520 sqq. Chronista 1 Par. 10-2 Par. 36 scribit *Elohim* sine articulo 33^{es}, cum articulo 86^{es}, nomen *Iahve* 489^{es}. Mitto alia nomina divina rariora, uti Iahve Elohim. Scribit 17^{es} *Elohim*, ubi loci paralleli habent *Iahve* : 1 Par. 13,8.12 = 2 Reg. 6,5.9; 1 Par. 14,10. 11.14.15.16 = 2 Reg. 5,19.20.23.24.25; 1 Par. 16,1 = 2 Reg. 6,17; 1 Par. 17,2 = 2 Reg. 7,3; 1 Par. 21,17 = 2 Reg. 24,17; 2 Par. 3,3 = 3 Reg. 6,2; 2 Par. 5,1 = 3 Reg. 7,51; 2 Par. 10,15 = 3 Reg. 12,15; 2 Par. 15,18 = 3 Reg. 15,15; 2 Par. 22,12 = 4 Reg. 11, 3; 2 Par. 23,3.9 = 4 Reg. 11,4.10. Scribit 1 Par. 17,1 *Iahve*, ubi 2 Reg. 7,2 *Elohim*. Ceterum in laudatis textibus 2 Par. praeter 10,15 omnibus vocatur *templum* « domus Dei », loco « domus Iahve ». Sequebatur sc. chronista *usum loquendi sui temporis* : dum libri exsilio anteriores, itemque chronistae fontes ii qui exsilio fuere anteriores, praeferebant nomen *Iahve*, aequales chronistae praeferebant nomen *Elohim*. Cf. l. c., p. 45 sqq. 536 sq. 539.

v. 9 « *Cum autem pervenissent ad aream Chidon* », qui areae possessor 2 Reg. 6,6 scribitur *Nachon*, « *tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam* ». Non ob illud reprehendendus Oza quod, cum *levita* non esset, arcam vexerit plaustro. Quando arca primum substitit in domo Abinadab, 2 Reg. 7,1 Eleazar filius Abinadab « sanctificatus est, ut custodiret arcam », non fuere ad hoc deputati levitae. Conieceris igitur, quando arca esset removenda de domo Abinadab, vindicasse Abinadab sibi officium honorificum educendae arcae; eduxerit per filios suos. At illud non satis reverens, quod non humeris filiorum

extulerit, sed *plaustro* vexerit, modum non satis firmum atque decorum. Fortasse tota etiam ratio, qua arca tot annis habita est in domo Abinadab, non fuerat Iahve satis digna; occasione sumpta ab illo *irreverenti attactu Ozae*, voluerit Iahve iustam poenam infligere domui Abinadab (*Cai.*), imo quadamtenus toti populo (*Van H.* p. 75 sq.). Id agens simul « repudiabat tabernaculum » Cariathiarim (Ps. 77 [78], 60), manifestabatque se nolle *eo* reduci. Quando post tres menses arca removenda fuit de domo Obededom, eam removere non iam domus Abinadab, sed levitae. « *Bos quippe* [*lasciviens paululum*] *inclinaverat* [*eam*] ». Similiter *LXX*. Vulgata *explicat* verbum שמטו, cuius subiectum non est bos *unus*, sed boves; adstruit suffixum (*eam*), quod textus ignorat. *Syr*. supponit, conspecta *area* boves ad aream properasse : quod est praeter textum. שמט, *dimittere*, *eiicere*. Facile, secundum genium linguae hebraeae, obiectum supplebis *pedem* : dimittere pedem, *cadere fallente vestigio*, puta in loco non satis plano. Cuius rei effectus utique futurus erat is, ut *inclinaretur* arca.

Textus v. 9-14 evidenter idem est atque textus 2 Reg. 6, 6-11. v. 11 pro obscuro על של, « ex improviso » (?), scribitur planum על אשר שלח ידו, *quia misit manum suam*, non necessario quod is textus sit utroque loco primigenius : potuit quippe chronista textum obscurum et fortasse mancum, non critice quidem restituere, sed explicare vere. v. 10 « *Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam; et mortuus est ibi coram Domino* ». *Hebr.* : *coram Deo* (cf. 2 Reg. 6,7). Qua igitur inflicta poena crediderim Deum manifestasse iram suam, non propter solam Ozae arcam contingentis irreverentiam, sed propter totam rationem non satis reverentem, qua arca habebatur in Cariathiarim. Illud proxime effecit, ut in locum plaustri vectoris sufficerentur Levitae gestatores, atque ita inciperent Levitae esse *unici* ministri omnis cultus Iahvae in terra promissa reddendi.

v. 11 « *Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam, vocavitque locum illum Divisio Ozae, usque in praesentem diem* ». *Hebr.* idem verbum habet atque v. 10, cui propria est significatio *iratus est*, quae tamen quandoque (Ion. 4,4. 9; 2 Esdr. 5,6) attenuatur, ut significet *contristatus est*. Igitur contristatus est David, *quia inflixit Iahve percussionem Ozae*, vocavitque locum *Percussio Ozae*. Contristatus est quia, re infecta, sibi dimittendus fuit populus frequentissimus, quia pro tempore differendum sibi fuit consilium transferendae arcae Sionem; imo potuit quibusdam videri illud consilium non satis probari Iahvae. De situ loci Perez Oza v. p. 253. v. 12 « *Et timuit Deum tunc temporis dicens : Quomodo possum ad me intro-*

ducere arcam Dei? » Timuit *tunc temporis* : etenim aliquamdiu post dimisit 15,25 timorem. Non potuit tum arcam traducere Sionem ope usus domus Abinadab, quae censeretur a Deo esse reprobata; non aliorum, qui officium periculi plenum essent recusaturi; non Levitarum, qui nondum essent in certos ordines distincti. Neque Sion neque locus alius erat libenter excepturus arcam, quae non divinos favores, sed divinae indignationis argumenta spargeret circum : exspectandum erat, donec quibusdam editis favoris redintegrati argumentis Iahve rursum animos addidisset populo. Quare relinquenda interim fuit arca, non in area Chidon, qui locus poena divinitus inflicta notatus non iam erat locus purus cultuique aptus, sed in domo Obededom, quae videtur ab ea area proxime abfuisse.

v. 13 « *Et* [*ob hanc causam*] *non adduxit eam ad se*, [*hoc est*] *in civitatem David, sed avertit* » — *divertit eam* — « *in domum Obededom Gethaei* ». Hic nequaquam (*Ber.*) est idem vir atque Levita ianitor 15,18. 24; 16,5 : erat enim *Gethaeus*, oriundus e Gath Philisthaeorum, quem tamen uti Uriam Hethaeum (CJ[1] p. 32) omnino censeo sacra hebraea esse professum. Uti Philisthaei arcam, quae ipsis infligebat plagas, mittebant de urbe in urbem (1 Reg. 5), ita nunc vir origine non israelita compellebatur arcam recipere apud se ut, si quae porro ferendae essent plagae, ferret ipse potius quam aliquis sanguine Abrahae natus. v. 14 « *Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus* ». Ita etiam *LXX R Syr.*, et 2 Reg. 6,11 omnes. Sed h. l. *Hebr.* : mansit *cum domo* seu familia *Obededom, in domo sua*, quod suffixum cum *Ber.* omnino referendum est ad arcam, ut arca affirmetur in domo Obededom habuisse *domum propriam*, puta tabernaculum aliquod. Eiusmodi vero circumstantiam efferre, omnino est e genio chronistae. « *Et benedixit Dominus* », Iahve Deus arcae, « *domui eius et omnibus, quae habebat* », imprimis segetibus et gregibus.

Pro iis, quae inter arcae in domum Obededom adventum eiusque indidem profectionem narrantur, non videtur sufficere *trimestre* : ergo videntur ab illo adventu effluxisse tres menses, quoad evidens fieret *benedictio Iahve* domui Obededom collata. Et nota, illam benedictionem fuisse ita manifestam, ut regi *renuntiaretur* 2 Reg. 6,12. Coniecerim viri segetes ante reliquorum segetes maturuisse, gregum partus fuisse praecoces simul et robustos, omnia abundantissima et excellentia. Quae cum post trimestre rescivisset David, resumpsit animum, translationem arcae de domo Obededom praeparare aggressus est, aedificavit palatium, ordinavit ea quae sacerdotes levitasque spectabant.

B. De domo Obededom in domum Davidis 1 Par. 14-16.

I. PRAEAMBULA TRANSLATIONIS ARCAE 1 PAR. 14.

Arg. — Mox David expertus est restituti divini favoris argumenta. Ab Hiram rege Tyri salutatus, ab eo nactus est aedificandi palatii materiam. Familiam auxit novis procreatis filiis. Divino fretus oraculo Philisthaeos ex insidiis adortus fudit bis : primum in ipso aditu urbis Ierusalem prostravit, secundo e Monte penitus eiecit.

Legationem Hiram, conspectum familiae David, duo proelia contra Philisthaeos 14,1-16, praeter v. 17 hoc solo loco adscriptum, eadem habes 2 Reg. 5,11-25, sed in diverso contextu. Sc. postquam ibi narrabatur David salutatus esse rex ab universo Israele et expugnasse Ierusalem, agebatur de exstructo Davidis palatio et de aucta eius familia, dein de duobus contra Philisthaeos bellis, ac tandem de arca in domum Obededom atque inde Sionem translata. Sed bella illa acta esse *ante* aedificatum palatium, fere produnt verba v. 17 (h. l. v. 8) : « audierunt ergo Philisthiim, quod unxissent David in regem super Israel ». Haud credendum est longius effluxisse tempus, quoad id Philisthaei *audirent*. Suggerebamus sc. p. 224 Davidem, qui in Siceleg tributarius fuerat regis Geth, etiam dum Hebrone regnaret perrexisse tributa pendere Philisthaeis. Quae tributa pendebantur *quotannis*. Ubi primum David salutatus est rex universi Israel atque successor Saul, qui tributa non solverat, desiit tributa pendere Philisthaeis. Translationem arcae in domum Obededom fuisse bellis philisthaeis priorem, infero e nominibus Perez Oza (« percussio Ozae ») et Baal Pharasim (« Baal percussionum »). Sc. nomen Perez Oza inditum in ipsa ea translatione : nomen Baal Pharasim inditum intuitu *antea* inditi nominis Perez Oza. Postquam David territus est « percussione Ozae », non ante rediit ad conceptum prius consilium transferendae arcae Sionem, quam plaga apud Baal Pharasim Philisthaeis inflicta certior factus est se Iahven habere propitium. Censeo igitur in his chronistam adhaerere nativo ordini narrationis.

Cur autem chronista inter cladem Perez Oza et victoriam Baal Pharasim *inserit* 14,1-7, quae sunt de palatio et familia David? Chronista illud potissimum in animo habet scribere historiam arcae. Traducta de Cariathiarim in domum Obededom arca, extremo cap. 13 caput unum narrationis concludit. Sequente capite narraturus est translationem arcae de domo Obededom Sionem, in novum tabernaculum prope novum palatium praeparatum. Igitur initio capitis refert initia aedificati palatii, tradit conspectum familiae David, dein historiam

arcae inde producere aggreditur, quo eam praecedente capite perduxit, narrat victoriam Baal Pharasim quae secuta est cladem Perez Oza.

Auctor 2 Reg. primum narrat Davidem regem salutatum, Ierusalem expugnatam, totam palatii aedificationem, tradit conspectum familiae David; post generaliora haec expedit duo bella philisthaea, tandem una *continua* narratione refert translationem arcae tam de Cariathiarim in domum Obededom, quam de hac domo Sionem.

1. *Davidis domus et familia* 1 *Par.* 14,1-7.

Cap. XIV v. 1 « *Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices parietum lignorumque, ut aedificarent ei domum* ». Textus fere verbotenus idem atque 2 Reg. 5,11, nisi quod solum exprimat *consilium* aedificandi palatii (cf. 15,1), dum ibi ipsa aedificatio brevissime refertur. Praeponuntur ibi *artifices lignorum*, alii artifices distinctius vocantur *artifices lapidum parietum*. Ligna et artifices misit sane Hiram a Davide *rogatus*, sed novum regem salutavit fortasse ipse *prior*, uti postea Salomonem : quando David salutatus est rex totius Israel, fuit eius regnum Tyriorum conterminum; plurimum intererat Tyriis mercatoribus, ut cum Hebraeis conterminis amicitiam haberent.

v. 2 « *Cognovitque David, quod confirmasset eum Dominus in regem super Israel, [et] sublevatum esset regnum suum super populum eius Israel* ». Verbotenus uti 2 Reg. 5,12. Tamen, omissa ante alterum כי copula, subordinatur v. 2^b versui 2^a : *exinde, quod sublevatum esset sursum regnum eius, cognovit etc.* Expressio כי נשאת למעלה מלכותו est passiva, dum expressio 2 Reg. 5,12 וכי נשא ממלכתו, *et quia sublevavit* (Iahve) *regnum eius*, est activa. Cur adscribitur h. l. superlativa vox למעלה, *sursum*, cum nihil praecedat immediate praeter solum consilium aedificandi palatii et « plagam Ozae », quibus haudquaquam « sublevabatur » regnum? et *unde* cognovit David, sublevatum esse regnum suum? Sensus obvius hic est. Plaga Ozae eiusmodi erat divinae indignationis argumentum, quod facile fracturum erat Davidis animum; suspicari potuit regnum suum non esse Iahvae acceptum neque ab eo *confirmatum* iri. Sed merito alia praeterea animo volvebat David : evidens erat regnum suum esse *elevatum* in locum regni Saul, et esse *elevatum in altum*, altius quam fuisset elevatum regnum Saul : habebat quippe David universum populum sibi consentientem, habebat validiorem exercitum quam unquam habuisset Saul, habebat expugnatam Iebus. Ex qua non obstante plaga Ozae

florenti suarum rerum conditione perspexit David, suum regnum acceptum esse Iahvae, a Iahve fore confirmandum, potissimum *propter populum suum Israel*, cui Iahve hoc stirpis Iuda regnum ante promiserat. Quare David nequaquam passus est suos animis frangi propter plagam Ozae.

v. 3 « *Accepit quoque David alias uxores in Ierusalem, genuitque filios et filias* ». Omittuntur *concubinae* 2 Reg. 5,13, nomen fortasse male sonans tempore chronistae. Ignorantur voces « postquam venerat de Hebron ». v. 4 « *Et haec nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem : Samma et Sobab, Nathan et Salomon* », v. 5 « *Iebahar et Elisua et Eliphalet* », v. 6 « *Noga quoque et Napheg et Iaphia* », v. 7 « *Elisama et Baaliada et Eliphalet* ». Elenchus evidenter idem cum 2 Reg. 5,14-16. Pro אלידע, forma h. l. utique magis nativa בעלידע, quam *LXX* habent item 2 Reg. 5,16, sed non habetur 1 Par. 3,8. Additum habes uti 1 Par. 3,7 *Noga*, Ναγεθ, Ναγε; repetitur uti ib. *Eliphalet* : v. quae dicebamus p. 88 sq.

2. *Victoriae de Philisthaeis reportatae 1 Par.* 14,8-17.

v. 8 « *Audientes autem Philisthiim,* [*eo*] *quod unctus esset David in regem super universum Israel, ascenderunt omnes ut quaererent eum* ». Ergo haec expeditio suscipiebatur non diu post unctionem. Opportunum tempus potuit videri illud, quod « plagam Ozae » proxime secutum est, quae certe non auxit Davidis apud Israelitas auctoritatem. *Quaerunt* porro Philisthaei Davidem, uti is 1 Reg. 23,25; 24,3; 26,2 *quaerebatur* a Saul. David non videtur tum habuisse universum Israel secum, sed viros suos, maxime Gibborim : reliqui post « plagam Ozae » dilapsi erant in sua. Licet v. 9 Philisthaei tandem perveniant usque ad vallem Raphaim, quae proxime attingit Ierusalem, non videntur a primis pro certo habuisse Davidem ibi eis fore obstiturum : videntur exspectasse, Davidem rem fore acturum eo ritu, quo ante consueverat, ducentem agmen lectum, expeditum, non numerosum, quocum non facile reperiretur quaesitus, inopinatus lacesseret securos.

« *Quod cum audisset David, egressus est obviam eis* ». Monet *Oe.*, expressionem *egressus est ante eos* potius scribi (cf. v. 15) de duce *exercitum* praecedente, non obviam *hostibus* incedente. Id utique verum est de scriptoribus sacris antiquioribus, sed expressio tempore *chronistae* etiam de hostibus adoriundis scribebatur, uti hic textus docet. Ceterum ea expressione explicat chronista expressionem 2 Reg. 5,17, quae suo iam tempore videtur fuisse obscurior : *descendit ad* המצודה. Quam vocem vertunt *munitionem*, et interpretantur Iebus aliamve ali-

quam arcem : sed ad arces non *descenditur*, cum eae locis altioribus construi consueverint, eratque adscribendum nomen arcis.

v. 9 « *Porro Philisthaei venientes diffusi sunt in valle Raphaim* » (cf. 11,15). *Vulg.* vertit uti 2 Reg. 5,18 (וינטשו); idem utroque loco verbum videntur legisse *LXX* (συνέπεσαν). *Hebr.* h. l. ויפשטו, *et praedati sunt.* Philisthaei, proxime advecti ad urbem Ierusalem, *expandere* agmen quo facilius urbem adorirentur; potuit iam facilius David, uno aliquo loco eos nec opinantes aggressus, eorum *perrumpere* agmen. v. 10 « *Consuluitque David Dominum dicens : Si ascendam ad Philisthaeos, et si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus : Ascende, et tradam eos in manu tua* ». Textus, paucis exceptis, idem atque 2 Reg. 5, 19. v. 11 « *Cumque illi ascendissent in Baal Pharasim* », qui locus sc. postea ob cladem illis inflictam ita vocabatur, « *percussit eos ibi David et dixit : Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquae* ». Verte : *plaga Iahve in inimicos meos per manum meam, sicut plaga aquarum.* Plagam aquarum concipias vel validos imbres desursum effusos, vel eruptionem quandam aquarum e montibus defluentium vel e solo assurgentium. Sane etiam « plaga aquarum » oppressi sunt aliquando Aegyptii in Mari Rubro. 2 Reg. 5,20 *et ivit David*; utrumque verum. « *Et idcirco vocatum est nomen illius loci Baal Pharasim* », « Deus plagarum ». Nomen *Baal* Hebraeis tum erat non nomen idoli, sed nomen etiam divinum : cf. v. 7 nomen Baaliada filii David.

Philisthaei *ultra* vallem Raphaim *ascendentes* impingebant in urbem Ierusalem : unde coniectura definiri potest, ubi fuerit *Baal Pharasim.* Recole, locum natura infirmiorem munitionum Ierusalem fuisse (3 Reg. 11,27; etc.) פרץ illud seu *voraginem*, locum demissiorem quem postea obturavit Salomon, exstructa validissima munitione Mello. Ludit vero tota haec narratio in voce פרץ (13,11; 14,11). Coniicio igitur ad eam voraginem *ascendisse* Philisthaeos, iam in eo fuisse ut per eam in urbem penetrarent, cum eos a tergo adortus David fugavit. Hinc loco inditum nomen *Baal Pharasim*, quod etiam sensum admittit « Deus voraginum ». Quanta fuerit distantia inter Perez Oza et Ierusalem, non edocemur; fortasse fuit perexigua, fortasse Perez Oza situm erat in ipsa ea voragine, non necessario intra urbem, nam vorago extra muros sane excurrebat. 13,13, perculsus David interitu Ozae, nolebat arcam inducere Sionem, sed reliquit in domo Obededom : e qua *antithesi* fere intuleris, hanc domum proxime abfuisse urbe. Victoria a Davide reportata propemodum eodem loco, quo percussus fuerat Oza, insigne erat argumentum divini in Davidem favoris.

v. 12 « *Dereliqueruntque ibi deos suos* », 3 Reg. 5,21 *simulacra sua,*

estque ibi evidens lusus verborum inter עזב, *relinquere*, et עצב, *formare* (simulacra). « *Quos David iussit exuri* ». 3 Reg. 5,21 : *et tulit ea David et viri eius*. Ubi noster *Hebr.* accurate explicat, quid egerit David, quid viri eius (*Klost.*) : *et iussit David et combusserunt igni*. Simul praescindit suspicionem, illa simulacra esse reservata. Si recipis ea, quae supra de situ Baal Pharasim et Perez Oza coniiciebamus, videbis verba v. 12 minime esse otiosa : ipsa Philisthaeorum idola victa sunt ad radices montis Sion ac veluti in ipso arcae conspectu; plenam ultionem habuit prior illa clades quando, Israele fuso, arca incidit in manus Philisthaeorum. Restituta apud Israelitas post « plagam Ozae » Davidis auctoritas.

v. 13 « *Alia etiam vice Philisthiim* [*irruerunt et*] *diffusi sunt* » — *Hebr.* : *praedati sunt*, uti v. 9; item *LXX* vertunt, uti ib. — « *in valle* ». Nomen vallis non adscribitur, quod certe uti v. 9 habebat fons. 2 Reg. 5,22 adscribitur nomen *Raphaim*, quod tamen facillime adscribebatur ad imitationem ib. v. 18. Contra vallem Raphaim illud facit, v. 16 Philisthaeos fusos esse Gabaone usque Gazer, quae loca nimio intervallo separantur ab illa valle. Collatis v. 14 sqq., pro רפאים suggero nomen simillimae scriptionis בכאים, qua voce exprimitur vel *morus* vel *pirus* vel aliquod genus *balsami* (*L. Fonck* : Streifzüge durch die biblische Flora, Freiburg i. B. 1900, p. 47). Habes ergo *vallem Bekaim*, quam coniicio eundem esse locum atque Iud. 2,1. 5 *Bokim* seu « locum flentium ». Est sc. in his lusus verborum, idem qui Ps. 83 (84),7. Locus vero ille CJ[1] p. 169 sq. situs erat prope Bethel, ergo neque longe aberat (v. 16) Gabaone vel Gabaa. Censeo porro v. 13 sqq. agere de expeditione Philisthaeorum diversa ab illa v. 8 sqq., non de altero eiusdem expeditionis proelio. Etenim v. 12 prodit Philisthaeos apud Baal Pharasim ita funditus esse devictos, ut haud credendi sint eiusdem expeditionis alterum aliquod proelium tentasse.

v. 14 re idem est cum 2 Reg. 5,23 : « *Consuluitque rursum David Deum* », — quid quaesierit, h. l. non exprimitur. Quaesivit sane idem, quod v. 10 : « Ascendamne ad eos? » Ibi quaerebat iam in insidiis pone hostes constitutus, et iussus est ascendere; hic quaesivit de hostibus recta petendis, et iussus est eos item adoriri a tergis — « *et dixit ei Deus : Non ascendas post eos, recede ab eis* ». Idem edicitur quod v. 23, ibi fortasse clarius : *Ne ascendas, deflecte post eos*, seu ad terga eorum. Per insidias rursum hostes sunt circumveniendi. « *Et venies contra illos ex adverso pirorum* » (v. s.).

v. 15 « *Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc egredieris ad bellum* ». Ad 2 Reg. 5,24 illum *sonitum gradientis* interpretabamur sonitum illum, quem ventus in cacuminibus arborum

excitat, tempore potissimum vespertino vel, quod h. l. praeferimus, matutino : Philisthaei quippe supponuntur in *castris* secure quiescere. Est ergo sonitus ille plane naturalis, nihil habens miraculi, determinat tempus adoriendorum castrorum, atque adnexam habet promissionem divini auxilii. Pro obscura voce תחרץ scribit chronista planius *exibis ad pugnam*, cui belle opponitur sequens *exibit* (Deus) : « *egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim* ». v. 16 « *Fecit ergo David, sicut praeceperat ei Deus, et percussit castra Philisthinorum de Gabaon usque Gazera* » seu Gazer, Tell-el-Djezer. Sed 2 Reg. 5,25, qui idem est textus, pro *Gabaon Gabaa*, de qua v. ib. Legitur item pro *usque Gazer* ib. *usque dum ingrediaris Gazer*. Cum porro expressio « usque dum ingrediaris Emath » designet *fauces Emath*, locum ab Emath distinctum, analoga expressio « usque dum ingrediaris Gazer » designat *fauces Gazer*, angustias quasdam montium e Beniaminitide descendentes Gazeram versus, quas crediderim fuisse ad meridiem Descensus Bethhoron.

Philisthaei ita fere, uti tempore Saulis 1 Reg. 13 sq., Beniaminitiden ingressi sunt : reiiciuntur eadem fere qua venerant via, necnisi postquam montibus se extricaverant, animum recepere. Prioribus expeditionibus credendi sunt habuisse Iebusaeos amicos aut certe non adversarios : nunc Ierusalem in manibus erat Davidis.

v. 17 non habetur post 3 Reg. 5,25; est veluti *clausula* narrationis 11,10-13,16, similiter atque 11,9 claudit narrationem praecedentem : « *Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem eius super omnes gentes* ». David iam aliquamdiu fruebatur pace, potuitque de condendo palatio, praeparatione tabernaculi et distributione Levitarum cogitare.

II. ARCAE TRANSLATIO E DOMO OBEDEDOM IN DOMUM DAVIDIS
1 PAR. 15,1-16,3.

Arg. — Postquam domi suae praeparavit arcae locum David, providit ut arca digne eo transferretur humeris levitarum imposita. Quare collegit et collectos convocavit sacerdotes nescimus quot, levitas vero e sex familiis 862. Per pontifices duos sexque familiarum leviticarum principes, monuit ut sacerdotes illi et levitae omnes pro solemnitate translationis arcae sanctificarentur. Iussit illos sex principes, ut e levitis designarent cantores musicos. Constituti item sacerdotes tibicines, et e levitis magister ceremoniarum, ianitores custodes arcae. Solemni igitur pompa delata est arca. Quae ubi impune se humeris attolli passa est, illico immolatae sunt victimae. Pontifices et sacerdotes illi sacras

suas vestes induti incedebant; qui in comitatu arcae erant levitae, induti erant vestes byssinas; ipse David super vestem byssinam gestabat ephod lineum. Concrepantibus igitur instrumentis musicis pompa ingressa est urbem. Ubi factum Michol per transennam attingitur.

Cap. XV v. 1 « *Fecit quoque sibi domos in civitate David, et aedificavit locum arcae Dei, tetenditque ei tabernaculum* ». 2 Reg. 5,11 aedificatio palatii David incidenter tantum commemorabatur, hic 14,1 annuntiabatur, nunc breviter una cum tabernaculi praeparatione commemoratur. Quid *locus* arcae? Certe non murus (*Cai.*), intra quem constitueretur tabernaculum. *Malv.* sentire videtur, idem esse *locum*, quod tabernaculum. Cur locus ille non fuerit plane instar « habitaculi » lignei, quod fecit Moyses operuitque tabernaculo suo? Quo sensu *LXXL* pronomen לו referunt ad *locum*. Cur David novum hoc sanctuarium fecerit diversum ab antiquo, cujus exemplar Moysi a Deo ostensum fuerat in monte Sinai? cur fecerit humilius? Suggero igitur, eum illud fecisse omnino tale, quale vetus tabernaculum : at efficere non potuit, ut illud populo videretur magis aut aeque venerandum, atque vetus illud quod erat Gabaone. Quaesieris cur non hoc vetus tabernaculum David transtulerit Sionem : id fortasse non erant permissuri Gabaonitae, Beniaminitae; fortasse etiam in novo *loco* omnia oportuit esse *nova*.

1. *Levitis suae in translatione arcae partes assignatae*
1 *Par.* 15,2-24.

v. 2 « *Tunc dixit David : Illicitum est, ut a quocunque portetur arca Dei, nisi a levitis, quos elegit Dominus ad portandam eam* » — *Hebr.* : *arcam Dei* — « *et ad ministrandum sibi* », quod suffixum retuleris item ad *arcam,* « *usque in aeternum* ». « Scrutatus David causam percussionis Ozae, invenit peccatum fuisse contra legem Moysis, eo quod arca Dei super humeros levitarum, et non super plaustrum vehenda erat, ut sancitur Num. 4 » (*Cai.*). Ceterum *Hebr.* non habet *illicitum est,* sed *non est portanda.* Quae verba omnino accipi possunt de applicatione et extensione legis Num. 4 a Davide legitima auctoritate facta. Fuerat ea lex condita proxime pro deferenda arca per desertum, neque per se evidens erat eam legem nullas admittere exceptiones. Certe non sunt 2 Reg. 7,1 puniti viri Cariathiarim, quando arcam de Bethsames transtulere in Cariathiarim. Aequum visum erat ipsi Davidi ut, quando arca educenda fuit de domo Abinadab, ei domui permitteretur honorificum officium educendae arcae.

Neque Oza ideo percussus est, quod arcam eduxerit plaustro, quam ob causam etiam percutiendus fuit Ahio frater eius, sed quod irreverenter eam tetigerit. Verum David « scrutatus causam percussionis » iam intellexit, id certe esse minus decens minusque e mente legis Num. 4 ut, excepto casu necessitatis (v. g. 1 Reg. 7,1), arca per alios quam levitas efferretur. Levitae utique fuerant « electi, ut ministrarent arcae perpetuo », ut essent eius ministri ordinarii ex officio.

v. 3 « *Congregavitque universum Israel in Ierusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem praeparaverat ei* ». Sententia plane similis sententiae 13,5; simplicius 2 Reg. 6,12[b] : *abiit*. Hic refertur primum esse *convocatus populus*, dein *distributio levitarum* a Davide instituta, fortasse iam ante convocatum populum (*Net.*) : chronista sc. hanc distributionem ex diverso fonte mutuatus hoc loco narrationi contexuit. Ut convocaretur *totus populus*, id exigebat rei gravitas; neque minus solemniter transferenda erat arca de domo Obededom, quam fuerat translata de domo Abinadab (*Tost.*); totus Israel testis fuerat translationis per Ozae percussionem interruptae, aequum erat ut totus Israel testis esset resumptae translationis, atque ita Davidis auctoritas confirmaretur.

v. 4 « *Necnon* » — pro qua voce *Hebr.* : *et collegit David* — « *et filios Aaron et levitas* ». Primum v. 4 *colliguntur*, dein v. 11 *convocantur*. Colligebantur fortasse, qui passim per regionem habitabant vel vagi circumferebantur, et in urbes sibi Ios. 21 attributas adunabantur. Ceterum sicut *non omnes* v. 11 narrantur esse *convocati*, sed praeter Aaronitas stirpes tantum levitarum sex, ita *neque omnes* v. 4 sqq. traduntur esse *collecti*. Levitae dicuntur esse collecti *quoad filios Caath, quoad filios Merari* etc., ergo *nequaquam omnes*.

v. 5 « *De filiis Caath, Uriel princeps fuit, et fratres eius centum viginti* ». v. 6 « *De filiis Merari, Asaia* » (עשיה) « *princeps, et fratres eius ducenti viginti* ». v. 7 « *De filiis Gersom, Ioel princeps, et fratres eius centum triginta* ». v. 8 « *De filiis Elisaphan, Semeias princeps, et fratres eius ducenti* ». v. 9 « *De filiis Hebron, Eliel princeps, et fratres eius octoginta* ». v. 10 « *De filiis Oziel, Aminadab princeps, et fratres eius centum duodecim* ». Eosdem sex viros habet v. 11. De *Uriel*, *Asaia*, *Ioel* seu Ioah, et de *Aminadab* v. p. 138 sqq. *Ioel* v. 7 idem est cum Ioele Gersomita 23,8 sq., filio Lobni vel Leedan, qui cum Iahiel et Zethan describitur fuisse *princeps*; idem vir 26,21 sq. accuratius describitur fuisse Zethani frater, sed Iahielis filius, et a Davide constitutus esse *praepositus thesauri domus Iahve*. Ioel igitur gratia regis utique fruitus est. *Semeias* et *Eliel* alias non commemorantur.

Quoad sex stirpes levitarum, quae enumerantur, cf. Schema XI p. 32.

Caath, *Merari*, *Gersom* sunt nomina trium filiorum Levi patriarchae, et trium stirpium ex eisdem prognatarum Ex. 6,16 : sed *Gersom* a primo ib. loco (cf. 1 Par. 6,16) h. l. conspicitur delapsus esse ad locum extremum. Caathitas aevo Davidis et numero et auctoritate superasse et Gersomitas et Meraritas, disce e cap. 23. Id explicat, cur *Caath*, non explicat, cur *Merari* anteponatur *Gersomo* : suspiceris initio regni Davidis stirpis primogenitae levitarum tenuem fuisse conditionem; magis florebant Caathitae, qui propius sanctuarium sedes habebant.

Neque Caathitae unicum habent v. 5-10 principem, sed *quatuor*. Sc. Caathitarum quatuor sunt rami : *Amram*, ad quem spectant v. 11 Sadoc et Abiathar ac praeterea posteri Moysis (26,24 sq.), *Isaar*, *Hebron*, *Oziel*. Habes porro v. 8-10 principes ramorum Hebron et Oziel, sed pro Isaar habes alterum principem Ozielitam stirpis Elisaphan. Sc. primogenitus Isaar Ex. 6,21 fuit *Core* rebellis, Num. 16 divino iudicio probrose interemptus; reliqui filii Isaar Nepheg et Zechri (Ex. 6,21) secus commemorantur nusquam, utique non florebant numeris et auctoritate. Praeterea Uriel 6,24 erat ipse Corita, neque est visum alterum adhibere principem e posteris Core a Deo reprobati : in cuius locum assumptus est alter Ozielita stirpis *Elisaphan*. Ipse vero Elisaphan fuit vir de sacris mosaicis optime meritus; Lev. 10,4 cum fratre Misaele extulerat cadavera Nadab et Abiu filiorum Aaron, qui ipsi quoque divino iudicio fuerant interempti.

Numeri levitarum v. 8-10 comparati numeris v. 5-7 evincunt, agi de *sex stirpibus distinctis inter se* : stirps Caath exsistebat distincta a stirpibus Elisaphan, Hebron et Oziel ex ipsa derivatis. Levitae certe non adfuere ii omnes, qui 12,26 scribuntur numero 4,600 Davidem salutasse regem. Habentur h. l. levitae omnino 862; levitae caathitae 512 longe numerosiores Meraritis et Gersomitis 350 una sumptis. Caathitae nacti erant 10 in cisiordanica civitates, in Ephraim, Manasse et Dan, ergo propius Gabaonem quam reliqui levitae. Meraritarum civitates 12, quarum duae tertiae erant trans flumen in Ruben et Gad, tertia pars in Zabulonitide. Gersomitarum civitates 13 in reliqua Galilaea et apud Manassaeos trans flumen reperiebantur. Ceteris florentior fuit ea levitarum stirps, quae propius sanctuarium incolebat : id nemo mirabitur.

Quot *sacerdotes* praesentes adfuerint, silet textus. Praeter duos pontifices v. 11, habes v. 24 septem sacerdotes tibicines. Adfuerintne omnes illi 3,700, qui 12,27 Davidem regem salutaverant, omnisque cum suis 22 principes domus Sadoc ib. v. 28, mox inquiram. Aliquos certe oportuit in sanctuario Gabaone remanere, alios in novo sanctuario opperiri adventum arcae.

Circumspicere iuvabit h. l. aliqua sacri textus vestigia, quibus edoceamur, *habueritne David levitas suo consilio transferendae arcae consentientes necne.*

13,2 decreverat David omnes levitas ad primam arcae translationem *convocare*, sed eorum in pompa 13,5 sqq. nulla habetur mentio. Non commemorantur v. 8 inter eos, qui arcam deducebant. Ubi facta est musica « valida » ab universo populo, non ab eruditis cantoribus levitis.

Quando rediit David ad consilium transferendae Sionem arcae, fuere illi 15,4 levitae primum *colligendi* quam *convocandi* : nondum utique collecti fuerant 13,2. Facilius ad nutum aderant sacerdotes, quibus assignatae erant 13 civitates in finibus luda, Simeon et Beniamin, ubi praesentior regis auctoritas; Caathitae credi possunt in sedibus sibi a Iosue attributis *collecti* habitasse; sed reliquorum aliquae urbes in potestate erant Chananaeorum, plures vagi per varia loca circumferebantur. Fuere *colligendi* : num, quicunque collecti sunt, *vocati* etiam adfuere?

Levitas non potuit latere regis consilium transferendi in Ierusalem non solum arcam, sed aliquando *totum sanctuarium*; non potuit eos latere eiusdem consilium *totius rei sacrae reformandae*, ac praecidendae licentiae ministrorum sacrorum. Sunt homines natura licentiae amantiores quam temperationis, malunt secure vivere procul rege quam eius continuo oculis subiici. Habebant Gabaone sua iura et emolumenta ministri sacri, quae non facile erant abdicaturi. Profecto, spectata humanae naturae nativa infirmitate, prudenter coniicies, Davidem a suo consilio reformandae rei sacrae magnam levitarum partem habuisse, si non aperte, at certe tacite alienam. Quam coniecturam omnino confirmat noster textus : levitae advocati adfuere 862 tantum.

Tantopere pollebant numero et auctoritate Caathitae, ut sine illis nihil efficere posset rex : nactus est e principibus 6 principes caathitas 4.

Pauca notanda quoad *nomina virorum* v. 17-24. Cum alias (cap. 6; 25) *cantorum* nomina choros exprimant, crediderim nominibus v. 17-21 exprimi *choros*, fortasse duodenorum uti cap. 25 cantorum : non incedebant 17 tantum viri pulsantes instrumenta. Neque erant v. 23 sq. tantummodo 4 *custodes* armati, sed 4 quod opinor *centuriae.* Choneniae v. 22 magistri ceremoniarum filii et fratres ubique locorum distributi pompae ordinem atque decorem procuraverint. Sed v. 24 *sacerdotes tibicines* certe erant 7 numero tantum, uti in translatione arcae a Iosue facta; *gestatores arcae* v. 26 erant pauciores numero, fortasse per vices humeros oneri supponebant.

Habebis igitur 17×12 = 204 cantores, quibus additi custodes 400 efficiunt 604. Manent de 862 levitis 258, quos distribues inter portatores, ceremoniarios et sacrorum ministros.

Subiicimus *conspectum pompae*, quae 15,15 sqq. describitur.

Cantores. v. 17-21
- 3 chori levitarum primi ordinis pulsantes cymbala;
- 8 chori levitarum secundi ordinis plectentes nabla;
- 6 chori levitarum tertii ordinis plectentes citharas;

Comitatus arcae v. 22-24
- magister ceremoniarum;
- 2 turmae levitarum custodum arcae;
- 7 sacerdotes tibicines;
- *arca* humeris levitarum imposita;
- 2 turmae levitarum custodum arcae.

Crediderim *circa* hos omnes servatum esse *intervallum*, similiter atque Ios. 3,4. Ubi fuerint reliqui sacerdotes et levitae, non edocemur; plures utique occupabantur offerendis sacrificiis v. 26; aliqui fortasse in novo sanctuario opperiebantur arcam, non enim decebat sanctuarium relinqui custodibus vacuum. Neque docemur, an in hoc itinere, quod potuit esse *brevius*, levitae in choros distributi decantaverint cantica, quod minus facile fiebat in ascensu montis et intra urbem; canticum 16,7-36, perpenso v. 37, potius videtur decantatum esse *in sanctuario*. David, seniores, chiliarchae v. 25 utique antecedebant musicos, veluti monstrantes viam. Populus undique, quantum locorum angustiae ferebant, comitabatur arcam.

a. Gestatores arcae 1 Par. 15,11-15.

v. 11 « *Vocavitque David Sadoc et Abiathar sacerdotes, et levitas Uriel, Asaiam, Ioel, Semeiam, Eliel et Aminadab* », principes illos v. 5-10, fuit enim illud concilium principum tantum. Esto, *Sadocum* ideo scribi ante *Abiathar* pontificem, quod fuerit caput *primogenitae* stirpis Aaronitarum : sed nonne ob eandem rationem Ioel *Gersomita* scribendus erat ante Uriel *Caathitam*? Ad explicandum ordinem, quo nomina scribuntur, hanc profero coniecturam. Sadoc pontificis officio fungebatur *Gabaone*, Uriel, Asaias, Ioel, Aminadab 6,21. 22. 24. 30 erant choragi *Gabaone*. Coniicio igitur concilium istud habitum esse cum praesulibus *gabaonensibus* eo fine, ut totus clerus gabaonensis, vel certe cantorum chori omnes aut plures, interessent solemni translationi arcae. Debuit fere David illos omnes invitare, qui non invitati certe non erant adfuturi; si adessent eo ipso publice approbaturi erant eam translationem et novum sanctuarium in Sion ratum habituri. Quare praesulum nomina, qui ad concilium vocabantur, recitantur ordine aucto-

ritatis, quam Gabaone habebant : primus Sadoc, qui ib. pontificis officio fungebatur; ante reliquos levitas Uriel Caathita, quia ib. Caathitae omnino praevalebant numero et auctoritate. Etiam Semeias et Eliel Gabaone ministrabant, sed uti videtur non rem musicam procurabant; neque enim stirpes omnes neque principes omnes musicae incumbebant. Concilio porro non potuit David non adhibere Abiathar pontificem, qui porro scribitur post Sadoc. Concilium plenum effectum non habuit : non sunt concessi Davidi chori gabaonenses; designavere principes tres viros musicae peritissimos, Heman, Asaph et Ethan, quorum tamen nomina 6,20-30 non leguntur; concessere cantores alios 14, qui totidem choros formarent. Rationes, cur existimemus aliquos ante Davidem Gabaone fuisse choros, explicabimus infra.

v. 12 « *Et dixit ad eos : Vos,* [*qui*] *estis principes familiarum leviticarum* », — dele *qui* : *Vos estis principes*, ideo vos alloquor. *Levitae* erant et vocabantur etiam *sacerdotes* : Deut. 18,1; 27,9; Ios. 3,3; Ez. 44,15. Cf. CD p. 364. Ceterum *pontifices* erant etiam *capita patroeciarum* simplicium levitarum, capita superiora sc. et mediata, et, quando v. 11 sq. iubebantur pontifices sanctificari *cum fratribus suis*, sanctificabantur etiam simplices sacerdotes, qui erant eorum fratres primogeniti. « *Sanctificamini cum fratribus vestris* », puta lotionibus, abstinentia a venere (Ex. 19,10. 15; et cf. Ios. 3,5 ; 7,13 itemque Num. 11,18; 1 Reg. 16,5 etc.), « *et afferte* », non plaustro sed humeris vestris (*Tir.*), « *arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei praeparatus est* », seu *quem ei praeparavi* (*Hebr.*); v. 13 « *ne ut a principio, quia non* [*eratis praesentes*], *percussit nos Dominus, sic et nunc fiat illicitum quid nobis agentibus* ». Sensum *Vulg*. exprimit. למבראשונה (cf. *Syr.*!) contractum e למה בראשנה. Verte : *quia pridem vos non* — et supple cum *LXX Vulg.* : *adfuistis praesentes*, sc. in translatione a Cariathiarim facta — *plagam* (פרץ) *fecit Iahve Deus noster inter nos, quia non quaerebamus eum uti oportebat.* v. 14 « *Sanctificati sunt ergo sacerdotes et levitae, ut portarent arcam Domini Dei Israel* », v. 15 « *et tulerunt filii Levi arcam Dei sicut praeceperat Moyses iuxta verbum Domini, humeris suis in vectibus* ». *LXX* pro כדבר, *sicut verbum*, בדבר, *in verbo*; et pro בכתפם, *humeri eorum*, certe falso ככתב, *uti scriptum*. Iubentur levitae portare arcam *humeris* Num. 7,9. *Vectes* vocantur מטות etiam Lev. 26,13; Num. 13,24 (23), dum Ex. 25, 13 sqq.; Num. 4,6; 3 Reg. 8,8 audiunt בדים. Nota, portatores arcae scribi non *filios Levi*, sed *filios levitarum*. Portatores non fuere pontifices neque sex illi principes, qui sine dubio prope arcam incedebant. Cum (cf. ad v. 26) levitas timor obsideret, ne, qui arcam essent contacturi, instar Ozae percuterentur, iusserunt aliquos *filios levita-*

rum, viros fortasse iuniores, non primae notae, ut humeros arcae supponerent.

b. Cantores 1 Par. 15,16-21.

v. 16 « *Dixitque David principibus levitarum* » illis sex v. 5-10, « quia de sacerdotibus nullus cantor constituendus erat, sed de levitis » (*Tost.*), « *ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet et lyris et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus laetitiae* ». *Nabla* seu *nablia*, gall. « la harpe ». Pro *lyra* v. 21. 28 *cithara*. אֶת ante *fratres* non eum sensum habet, *omnes* 862 levitas institutos esse cantores : instituti sunt primum ii, quorum nomina illico recensentur. Vox efficit, *solos* levitas instituendos fuisse cantores. Quod David voluerit, ut cantores hi instituerentur auctoritate *principum* levitarum, inde non sequitur, eum non antea cum principibus consilia contulisse, *quinam* essent instituendi; aut sine consiliis probe norant principes, quinam regi futuri essent ceteris acceptiores. ל ante שמחה videtur ortum esse dittographia, cum praecedat בקול (cf. Vulg.). הרים etiam construitur cum ב (Ex. 7,20), verte igitur : *insonantes*, vel *insonantia* (sc. instrumenta, *Ber.*) *in edendo laetitiae sono*. Expressio obscurior : an forte in translatione arcae ea instrumenta non comitabantur cantum aliquem, qui in ascensu praecipiti montis haud edi posset, sed erant signa laetitiae et comitabantur exclamationes, tripudia, alleluia (cf. 16,36)?

v. 17 « *Constitueruntque levitas : Heman filium Ioel, et de fratribus eius Asaph filium Barachiae, de filiis vero Merari fratribus eorum Ethan filium Casaiae* ». Auctor supponit lectorem nosse, Hemanum esse Caathitam et Asaphum Gersomitam, licet id ipse nondum scripserit : supponit id notum esse e genealogiis. Cur illos *tres* designavere principes? Quia *prophetae* erant (v. ad 25,1). Cum levitae v. 18 scribantur fuisse « secundi ordinis », ergo tres levitae v. 17 erant *primi ordinis*. המשנים, οἱ δεύτεροι, οἱ δευτερεύοντες, vertendum est *secundi*. Heman, Asaph, Iduthun erant primi dignitate, choragi ceterorum, hinc etiam primi *ordine* seu *statione*, quod ante reliquos vel certe a reliquis separati adstiterint. Cf. 16,5, ubi Asaph dicitur *caput*, et Zacharias, qui Asapho suberat, *secundus*; item 16,41 Heman et Iduthun et *reliqui electi*. Erant tamen *secundi* illi veri Levitae, e Levi oriundi. Cf. *Van H.* p. 157 sqq. Neque e textu illud consequitur, *secundos* illos fuisse e solis familiis Oziel, Elisaphan, Hebron. v. 18 « *Et cum eis fratres eorum in secundo* [*ordine*] : *Zachariam* [*et*] *Ben et Iaziel et Semiramoth et Iahiel et Ani, Eliab et Banaiam, et Maasiam et Mathathiam, et Eliphalu et Maceniam et Obededom et Iehiel, ianitores* ».

Delenda vox בן, *filius*, cum desit nomen patris Zachariae, neque huius unius e tot viris pater credendus est in textu fuisse descriptus. Vocem ignorant *LXX R*, et v. 20 omnes. Neque cum solis *LXX L* legendum *Zachariam filium Iaziel* : Iaziel vel Oziel v. 20 non est pater Zachariae. *Iaziel*, יעזיאל; sed v. 20 עזיאל; Ὀζιήλ. *Iahiel*, יעיאל, Ἰειήλ, Ἰαιήλ. *Iehiel*, יעיאל, Ἰειήλ. Quibus v. 18 addendus erit, quem *LXX* habent h. l., et v. 21 omnes, *Ozaziu*. השערים utique est *ianitores*. Num igitur omnes levitae secundi ordinis ianitores erant? Hinc *Net.* supplet copulam *et ianitores*, quorum nomina habeantur v. 23 sq. : sed nonne nomina oportebat item v. 18 describi? *Ber.* vocem censet esse appositionem ad Obededom et Iehiel v. 18, qui iidem sint atque Obededom et Iehias v. 24 : atqui non sunt, cum sint iidem cum Obededom et Iehiel v. 21. Et cur non v. 18 item adscribuntur Barachias et Elcana v. 23, qui erant etiam ipsi ianitores? Rem explico ita. Distinguuntur v. 19-21 horum cantorum *ordines tres*, quorum v. 17. 18[a] habes primum et *secundum* : habes v. 18[b] *tertium*, dummodo pro השערים (cum articulo!) emendes השלישים, *tertios*.

Textus v. 18 ita habet : Et cum eis fratres eorum *secundos* Zachariam et Iaziel et Semiramoth et Iahiel et Ani et Eliab et Banaiam et Maasiam; — Mathathiam vero et Eliphalu et Maceniam ef Obededom et Iehiel et Ozaziu (cf. ad v. 21), *tertios*.

v. 16 iubebantur institui musici, משררים : eadem voce orditur v. 19. De iisdem v. 19-21 atque v. 17 sq. musicis agit, eadem sunt nomina, v. 18 supplendus Ozaziu qui excidit; ut pro v. 18 Banaia et Maasia legatur v. 20 Maasias et Banaias, id fortuitum fuerit. Reapse de una eademque re agunt v. 17 sq. et v. 19-21 : discrimen est, v. 19-21 nihil habere earum genealogiarum, quas v. 17 habet, nihil habere de tribus « ordinibus » (v. 18), sed viros v. 17 sq. recensitos rursum in tres classes dispertiri, et singulorum ordinum officia explicare. v. 19 « [*Porro*] *cantores* », seu musici : « *Heman, Asaph et Ethan, in cymbalis aeneis concrepantes* ». להשמיע, τοῦ ἀκουσθῆναι ποιῆσαι, τοῦ ἀκουτίσαι. v. 20 « *Zacharias autem et Oziel et Semiramoth et Iahiel et Ani et Eliab et Maasias et Banaias in nablis arcana* [*cantabant*] ». על עלמות, ἐπὶ ἀλαιμωθ, περὶ τῶν κρυφίων. v. 21 « *Porro Mathathias et Eliphalu et Macenias et Obededom et Iehiel et Ozaziu in citharis pro octava* [*canebant*] *epinicion* ». על השמינית לנצח, ἀμασενιθ τοῦ ἐνισχῦσαι, περὶ τῆς ὀγδόης τοῦ ἐνισχῦσαι εἰς νῖκος.

Igitur *cymbala* adhibebantur להשמיע, *ad faciendum audire*, *nabla* et *citharae* לנצח, *ad eminendum supra*. Erat vero etiam discrimen inter *nabla* et *citharas*; illa resonabant על עלמות, hae על השמינית. De quarum expressionum significatione praeter coniecturas habetur nihil.

Coniecerim equidem, להשמיע scribi de simplici sono, לנצח de eodem cum emphasi, fortius et distinctius proferendo. Quandoque solis cymbalis « sonus laetitiae » (v. 16) edebatur, postea idem sonus augebatur consonantibus nablis et citharis. על השמינית secundum etymon utique dicit *octavam* (supposito hunc conceptum musicum habuisse veteres Hebraeos), על עלמות. plures referunt ad *virgines*, quae solent *sopranum* cantare; ut ergo nabla insonuerint fere octavam supra, citharae octavam infra sonum cymbalorum. Haec attigisse h. l. sufficiat, cum tractatus de musica sacra remittendus sit ad Commentarium Psalterii. Cf. etiam, quae dicturi sumus explicantes cap. 25.

Cur *tres classes* cantorum 15,17 sq. institutae? Fuere tres classes Gabaone ante davidicam reformationem 6, 20-30, fuere item post eandem 6, 31-47; fuere item Nathinaeorum tres classes cap. 25. Harum discrimen repetebatur a tribus *stirpibus* levitarum cantorum, Gersomitis, Caathitis, Meraritis. Sed hoc discrimen confundebat David v. 19 : Heman Caathitam, Asaph Gersomitam, Ethan Meraritam coniecit in classem *unam*. Veri simillimum est, etiam 2ae et 3ae classis viros v. 20 sq. fuisse e variis stirpibus mixtos. Discriminis ratio v. 19-21 petitur non e stirpibus, sed ab *instrumentis musicis* : 1a classis habet cymbala, 2a nabla, 3a citharas. An idem discrimen etiam alibi observatur? Sione 16,5 Asaph cymbala quatit, reliqui pulsant nabla et citharas, fortasse alii nabla, alii citharas. Idem dixeris Davidem tum sanxisse ut Gabaone fieret v. 41 sq., qui textus est de cantoribus ib. universis. 25,3 solis Iduthunitis tribuitur cithara, unde inferre pronum est, Asaphitas usos esse nablis, Hemanitas cymbalis, vel vice versa. 25,6 videtur tribuere Hemanitis cymbala, nabla et citharas; sed versus *potest* accipi de omnibus tribus classibus, et fortasse verius de illis accipitur. Cf. 1 Par. 5,12 sq. etc. Quare probabile apparet, *discrimen classium constanter repetitum esse ab instrumentis musicis*, ut una classis uteretur cymbalis, alia nablis, alia citharis. Haec item ratio, cur ubique *tres classes* sint adhibitae.

Probabile est, non tamen certum, *Nathinaeos* singularum classium usos esse instrumentis *iisdem*, atque levitas eiusdem classis, ergo v. g. Iduthunitas tam levitas quam Nathinaeos pulsasse citharas (25,3).

Habuerint igitur Asaphitae omnes vel plures cymbala, Iduthunitae citharas, Hemanitae nabla.

v. 19-21 explicabantur officia eorum, qui de mandato Davidis v. 16 a sex principibus levitarum constituti fuerant pro musica sacra. Portatores arcae sanxerat David universim oportere esse levitas, sed « iuvenes levitas » v. 15 credendi sunt ipsi levitae designasse. Sequuntur officia quorumdam, qui non scribuntur constituti esse ab illis princi-

pibus, neque ab illis solis omnes constituendi fuere. Explicatur sc. officium *magistri ceremoniarum*, qui quodammodo praeerat ipsis etiam pontificibus et sacerdotibus tibicinibus; dein officium *apparitorum* arcae, qui v. 23 sq. vocantur « ianitores *arcae* », itemque *sacerdotum tibicinum*.

c. Comitatus arcae 1 Par. 15, 22-24.

v. 22 « *Chonenias* » (כנניה, Χωνενια, Ἰεχονιας) « *autem princeps levitarum prophetiae [praeerat] ad praecinendam melodiam; erat quippe [valde] sapiens* ». Verte : *Chonenias autem, princeps levitarum in portatione, dirigebat portationem.* Fuit Chonenias postmodum 26,29 *princeps Isaaritarum*, videtur fuisse de numero eorum Caathitarum, de quibus v. 5. Cum alios praeter Coritas Isaari posteros post Ex. 6,21 sileat scriptura, fuerit Chonenias item Corita; ergo viro Coritae detulerit David honorificentissimum hoc officium. Dicitur autem h. l. Chonenias non *princeps levitarum*, sed *princeps levitarum in portatione*, pro hac solemnitate specialiter creatus princeps eorum, qui partes habebant in arcae translatione. Consentior enim *Ber.*, in pericope, quae tota sit de *translatione* arcae, nomen משא accipiendum esse nativa significatione *portationis*, non *effati* (*Vulg. prophetiae*) et multo minus *musices* (*Vulg. ad praecinendam melodiam, LXX* τῶν ᾠδῶν), quae significatio pro hoc uno textu effingitur. Neque primum במשא cum *LXXR* est omittendum. Verte igitur uti supra. Incedebat Chonenias post musicos et ante arcam, eo ipso viam monstrans, subsistens primus quando pro sacrificiis offerendis (v. 26) esset subsistendum, etc. Non inepte virum vocaveris *magistrum ceremoniarum*.

Obiicit *Oe.*, multo magis opus fuisse praefecto *musices*, quam portationis. Respondeo, praefectos musices fuisse et constanter scribi Heman, Asaph et Ethan; adhibendum vero praeterea fuisse magistrum ceremoniarum, ob rei non tam necessitatem quam dignitatem. Urget idem, in *media* descriptione musicae sacrae producendum fuisse non magistrum ceremoniarum, sed praefectum musices. Respondeo, nos non versari in *media* descriptione musices *levitarum*, quam claudit v. 21; tibicines vero v. 24 non erant levitae sed sacerdotes : inter hos et illos recensetur v. 22 magister ceremoniarum, quia in pompa inter hos et illos *incedebat*. Erantne musici ianitores v. 23? Instat idem, 25,7 et 2 Par. 34,12 *sapientiam* (מבין) praedicari quoad *musicam* : respondeo, variis locis pro subiectis materiis sapientiam praedicari de variis rebus.

Nondum plenam rationem reddidimus incisi *quia sapiens ipse*. *Oe.* « denn er verstand's ». *Kittel* « er verstand sich nämlich darauf ». Quod

videatur alicui otiose adscriptum : sane non erat David tam grave officium commissurus viro minus sapienti. Adverte 26, 29 ipsum Choneniam et filios eius constitutos esse « scribas et iudices ». Profecto מבין h. l. non est epitheton, sed titulus honorificus ab ea petitus *sapientia*, quae certis officiis congruebat : fuit Chonenias *iuris consultus*. Decebat eum levitam, qui toti praefuturus esset pompae ipsisque etiam sacerdotibus, seligi virum graviorem ex ordine iudicum : ceremoniae quippe sunt pars iuris.

v. 23 « *Et Barachias et Elcana ianitores arcae* ». Ianitores levitas non habuit arca in Cariathiarim, cui « custodiendae » 1 Reg. 7,1 deputabatur Eleazar filius Abinadab. Sed habuit sane tabernaculum mosaicum Gabaone. Erant vero ianitores iidem arcae *custodes* : cui enim committitur custodia ianuae, committitur item custodia rei. Porro incedebant custodes duo (v. s. p. 259) v. 23 *ante*, et custodes duo v. 24 *pone* arcam. Id requirebat arcae dignitas.

v. 24 « *Porro Sebenias et Iosaphat et Nathanael et Amasai et Zacharias et Banaias et Eliezer sacerdotes clangebant tubis coram arca Dei* », ergo immediate ante illam uti Ios. 6,4 incedebant; « *et Obededom et Iehias* » (יחיה, 'Ιειχ, 'Ιειηλ) « *erant ianitores arcae* ». In sacris tubis canebant *sacerdotes* : habes tubas duas Num. 10,1-10, tubas septem Ios. 6,4 sqq. : cf. 2 Par. 5,12; 7,6; 29,25 sqq. etc.

2. *Arcae solemnis translatio* 1 *Par.* 15,25-16,3.

v. 4-24 non habentur 2 Reg. 6. Reditur porro ad narrationem utrique libro communem, cum 2 Reg. 6,12^{b} consonat fere v. 25 : « *Igitur David et* [*omnes*] *maiores natu Israel et tribuni* », i. e. *chiliarchae*, « *ierunt ad deportandam arcam foederis Domini de domo Obededom cum laetitia* », i. e. laete resonantibus instrumentis musicis (v. 16). v. 26 « *Cumque adiuvisset Deus levitas, qui portabant arcam foederis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes* ». Vide, quae CR p. 312 sq. dicebamus de textu 2 Reg. 6,12 sq., qui aliquas corruptiones passus est. Quod ibi refertur *progressos esse sex passus*, hic explicatur *adiuvisse eos Deum*. Adiuvit eos, non quod gestatores arcae pondus arcae sentirent nullum (*Sa*), neque quod experti sint mirabilem quamdam alacritatem (*Men.*), quas explicationes « fabulis » accensebat *Tir.*, sed quod eos non illico instar Ozae percusserit Deus (*Mar.*). Igitur, quod ignorarent an Deus passurus esset arcam ab ipsis portari, sacrificia *ante* non obtulerunt; ubi eam impune sex primis passibus detulere, probe iam gnari se Deum habere propitium substitere, et in altari antea ibi exstructo victimas obtulere.

Describitur porro *vestitus* virorum v. 4-24, ubi 2 Reg. 6,14 unum illud habet de ephod lineo Davidis. Nihil erat dicendum de *pontificibus* et de *sacerdotibus* tibicinibus, qui induebantur vestibus suis sacris. v. 27 « *Porro David erat indutus stola byssina* », pallio texto e lino bombyce (v. ad Ex. 25,4), eodemque erant induti « *et universi levitae, qui portabant arcam, cantoresque et Chonenias princeps prophetiae* [*inter*] *cantores* ». Verte uti v. 22 *princeps portationis*, magister ceremoniarum, et pro המשררים, *cantores*, audacter cum *Net.* corrige והשערים, *et ianitores* : de *horum* quoque vestitu edoceamur oportet, et Chonenias non pertinebat ad *cantores*. Porro David super hoc pallium, quod levitae item gestabant, indutus erat ephod seu veste scapulari (CR p. 49) : « *David autem* [*etiam*] *indutus erat ephod lineo* ». Ephod pontificum nunquam scribitur ephod *lineum*.

v. 28 « *Universusque Israel deducebant arcam foederis Domini in iubilo et sonitu buccinae, et tubis et cymbalis, et nablis et citharis personantes* ». *Hebr. edentes sonum in nablis et citharis*; ipsa constructio distinguit sonum *fidium*, quarum quaeque variis edendis sonis aptae erant, a sono instrumentorum magis uniformi. Ipsa item constructio prodit, תרועה nativa significatione designare *iubilum vocum*. Idque magis patet 2 Reg. 6,15, ubi praeter *iubilum* et *vocem buccinae* alia instrumenta non leguntur. Erat autem שופר potissimum *cornu*, instrumentum magis bellicum quam sacrum. Unde patet, quae hic adscribuntur tubae, cymbala, nabla, citharae, *posse* intelligi eas, quas v. 19-21.24 habebant levitae et sacerdotes. Neque affirmantur *singuli* Israelitae habuisse instrumentum aliquod : qui non habebant, iubilum edebant vocibus, clamantes alleluia vel similia quaedam; qui habebant, sonos instrumentis edebant. Ceterum cf. 13,8. Non erat ea « melodia » aliqua, sed continuus fragor musicus exprimens « laetitiam » (v. 16), quod arca pateretur se humeris levitarum deferri. In ipso illo, ut puto breviori itinere, non fuere decantati psalmi aliqui. Cymbala v. 19 suis temporibus sonum edebant, mox nabla et citharae eum sonum producebant et augebant, inter haec vel in horum interstitiis insonabant tubae sacerdotum iustis intervallis observatis, praeterea erat continuus fragor iubili etc. populi. v. 29 « *Cumque pervenisset arca foederis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo* ». Uti 2 Reg. 6,16. Sed pro מפזז ומכרכר, *exsilientem et saltantem*, h. l. מרקד ומשחק, eadem significatione, vocibus quae fortasse planius intelligerentur tempore chronistae. Agitur uti 13,8 de saltibus iunctis musicae, de qua v. 28. Reliqua 2 Reg. 6,20-23, quae Michol attinent, non refert chronista, qui acta etiam Saul cap. 10

brevissime perstrinxerat. Indicat solummodo : Michol *despecto* Davide e gratia Davidis excidit, prole mascula caruit; fides a Davide arcae exhibita occasio fuit, ut Sauli, qui arcam neglexerat, successio regia vel per filiam obtinenda denegaretur.

Cap. XVI. Textus v. 1-3 re idem atque 2 Reg. 6,17-19ᵃ. v. 1 ויביאו pro ויבאו, discrimen est punctationis verius quam lectionis. Ignoratur במקומו, *in loco suo*. Eodem retento subiecto sententiae principalis, ויקריבו pro ויעל דוד. ושלמים (cf. *LXX*) anteponitur vocibus לפני האלהים : sc. chronista inculcat, etiam pacifica immolata esse in altari *sanctuarii*, loco fortasse angustiore, dum ordo verborum 2 Reg. 6,17 admittit sensum, immolata esse extra sanctuarium. Cf. 2 Par. 7,7. — v. 2 extremo versu ignoratur צבאות, *Sabaoth*, epitheton divinum tempore chronistae inusitatum. — v. 3 *quibus* dederit David, planius exprimit chronista. Pro חלת, voce fortasse antiquata, ככר. Omittuntur, quod alias etiam similiter fit, duo אחת et unum אחד, *unus* : sed cf. *LXX*.

v. 1 « *Attulerunt igitur arcam Dei et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, et obtulerunt holocausta et pacifica coram Deo* ». v. 2 « *Cumque complesset David offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini* », invocato super populum nomine Iahve. Benedictio haec non videtur esse eiusdem plane indolis atque illa 3 Reg. 8,55 sqq., quae habebatur *ante* completa sacrificia. Non dicit (*Net.*) meram invitationem ad epula sacra, sed videtur (cf. *Tir.*) respicere *dimissionem* populi a functione sacra ad epula sacra in tabernaculis celebranda, quod locus prope novum sanctuarium esset fortasse angustior, quam ut ib. totius populi epula sacra celebrarentur. v. 3 « *Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulierem, tortam panis, et partem* [*assae carnis bubalae*], *et frixam oleo similam* ». De his cf. CR p. 314 sq. Illud de *carne* plane incertum. Fortasse *carnis* nullam v. 3 habet mentionem, quod ea distribueretur non a rege, sed a Levitis; sed enumerantur ea, quae distribuit rex comedenda una cum carnibus sacris.

III. APPENDIX PRAECEDENTIS NARRATIONIS 1 PAR. 16,4-43.

Arg. — Ubi meminit scriptor arcae in novo sanctuario collocatae, explicat distributionem ministrorum sacrorum in *duobus sanctuariis*. In novo suo *Sione* sanctuario constituit David chororum suorum novem, ostiarios etiam et sacerdotes tibicines. *Gabaone* uti antea sacris praeerat Sadoc, subordinatos sibi habens alios sacerdotes. Illuc misit David chororum suorum, quos recens constituerat, octo constituitque ostiarios.

Inter v. 3 et v. 43, quae comparata cum 2 Reg. 6,19 sq. deprehenduntur una pridem fuisse narratio, inserit chronista documentum, quod agit de *distributione ministeriorum sacrorum tam Sione quam Gabaone*. Quod documentum intime necti cum 15,1-24 docent vel nomina levitarum plura, quae in utroque documento habentur eadem; habebat illud sane post 15,24 aliquam etiam descriptionem, quomodo arca in novum tabernaculum sit illata.

Igitur *Sione*, post translatam illuc arcam, Asaph aliique levitarum 15,18 sqq. ministrabant (v. 5.37[b]), ubi etiam v. 6 habetur mentio sacerdotum tibicinum et v. 38 ianitorum. *Gabaone* sacris praeest Sadoc Eleazarida v. 39, adsunt v. 41 sq. Heman et Iduthun aliique 12,18 cantores. Habetur item v. 42 mentio tubarum et ianitorum.

Unde illico consequitur, uti Gabaone Eleazaridam, ita Sione Ithamaridam sacris praefuisse, sc. Abiathar pontificem eiusque vice filium Achimelech. Haud dubium, Eleazaridas etiam ante translationem arcae sacra Gabaone obiisse ministeria : qua in re vix quidquam mutaturus erat David initio regni. Ithamaridae sacerdotes 24,4 numeris pauciores; domus pontificia Ithamaridarum a Saul e medio fuerat sublata praeter Abiatharum 1 Reg. 21; 22,20 sqq., quem benigne exceptum David voluit esse summum pontificem, sacrisque in suo Sione sanctuario praeesse.

Verum documento de distributione officiorum apud duo sanctuaria alterum documentum inserit chronista v. 7-36. Facta sc. v. 5 mentione Asaph, tradit *psalmum*, quem concinnavit David ab Asaph aliisque cantoribus decantandum in arcae translatione.

1. *Ministri sanctuarii in Sion* 1 *Par.* 16,4-6.37 sq.

v. 4 « *Constituitque coram arca Domini de levitis, qui ministrarent et recordarentur* [*operum eius*] *et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel* ». Constituit *ministros*, post quam vocem LXX ignorant copulam : *ministros ad commemorandum, laudandum, iubilandum*, sane canticis sacris. Agitur de institutis non sacrorum ministris, sed potissimum de institutis *choris sacris*. Mirantur aliqui, vix quidquam dici de *sacerdotibus*, nihil de *levitis sacrorum ministris Sione*. Habes sacerdotes tibicines v. 6; e v. 39 inferas, Ithamaridas versatos esse Sione. Habebas item cap. 15, si excipias sacerdotum generalem mentionem v. 4.14, solos pontifices v. 11 et sacerdotes tibicines v. 24; de levitis sacrorum ministris nihil.

Ut quaestionem explices, circumspice, cuiusnam generis sit documentum illud 15,2-24; 16,4-7.36[b]-42. Quod vel 15,2 perspicitur

esse potissimum de *levitis*. Postea de nulla re agit copiosius, quam de levitis *cantoribus*. Dicas ergo, cap. 16 non esse in describendis rebus *sanctuarii* potissimum neque *levitarum* universim, sed esse in describendis rebus *cantorum*, esse fragmentum veluti quoddam cuiusdam historiae chororum. Cui tamen opinioni illud obstat, v. 39 sq. pro sanctuario in Gabaon recenseri pontificem, sacerdotes, sacrificia hisque omnino subordinari cantores (v. 41 « post hos »). Ergo fortasse verius affirmabis, sanctuarium in Sion primum caruisse *sacerdotibus*. Cur caruit? quia carebat *altari mosaico*, in quo uno sacerdotibus aaronitis fas esset coram arca immolare victimas. Nulla habetur mentio sacrificiorum in Cariathiarim oblatorum. Dices, oblata esse 1 Reg. 6,14 sq. sacrificia a Bethsamitis quando arca ad eos delata est, itemque, h. l. v. 1 et 15,26 : sed erant haec sacrificia *extraordinaria* in adventu et profectione arcae, e quibus non est inferre oblata esse sacrificia *ordinaria* coram arca in *altari non mosaico*. Neque id inde efficitur, quod v. 37 videatur affirmari in sanctuario Sion quotidie institutas esse *cantiones* sacras : ad cantiones non opus erat altari; quod non offerrentur ibi quotidiana sacrificia, erat ratio cur quotidianis saltem cantionibus honoraretur Iahve; erant praeterea eae cantiones Davidi occasio erudiendorum chororum suorum.

Obiicies, e 24,5 *habuisse utrumque sanctuarium sacerdotes*. At sacrificia sua in solemnitatibus maioribus 21,28 sqq. certe non offerebat David Sione sed Gabaone, post visionem angeli cap. 21 in monte Moria. Sacerdotes plures, imo sacerdotum familias cum summo pontifice fuisse cum rege Sione et aulicos favores captasse, per se solum non efficit, sacerdotibus illis Sione creditum esse *cultum quemdam sacrificiorum ordinarium*.

Recole, 1 Reg. 7,1, quando arca recepta est in domum Abinadab in Cariathiarim, eius viri filium sanctificatum esse *custodem* arcae, scribi 2 Reg. 8,18 filios David, 20,26 Iram Iairiten « sacerdotes David », imo sub Salomone ante exstructum templum 3 Reg. 4,5 Zabud filium Nathan « sacerdotem amicum regis ». Unde oritur suspicio, quando arca versabatur in domo aliena, visum esse non esse deneganda domino domus aliqua in sacris privilegia. Qua in re David, longius progressus quam Abinadab ille, obtulerit etiam per filios sacrificia. Valebit etiam in his axioma, exceptione confirmari regulam. Quam opinionem si sequaris, illud etiam efficies, viros illos, qui in *elenchis officiorum* scribuntur *sacerdotes*, vero etiam aliquo *sacerdotio* fuisse honestatos. Ab antiqua consuetudine, quae sacrificia extra sanctuarium permittebat offerri a non-aaronitis, ad legem posteriorem, quae sacrificia quaelibet offerri iubebat ab aaronitis, transitus effectus est non subito, sed gradatim.

Recole tandem, *novorum institutorum* eam consuevisse esse regulam, ut non unico conatu perfecta evolvantur, sed gradatim evolvantur. Cui indoli simulque textibus omnibus satisfacies adstruens, Davidem, post translatam Sionem arcam, primum ib. constituisse filios suos sacerdotes eius cultus, qui ib. esset, qui certe non habebat sacrificia solemnitatum et fortasse neque habebat sacrificia quotidiana; pontificem cum sacerdotibus pluribus adhaesisse regi tanto arctius, quod fortasse clerus gabaonensis non in omnibus conspiraret cum rege, v. g. non in re chororum, et quod Gabaone praeesset sacris Sadoc Eleazarida. Licet porro filii regis a rege constituti essent sacerdotes sanctuarii sui, veri simillimum est sacerdotes eos, qui Sione sedem habebant, una cum summo pontifice, libentissime eius cultus partem aliquam suscepisse in se, in eum cultum se ingessisse velut in rem suam, pro filiis regis sacra fecisse : reperti quippe sunt saepe numero filii regum promptiores ad dignitates ecclesiasticas accipiendas, quam ad officia ecclesiastica obeunda. Neque his obest, Achimelecho filio Abiathar mox collatam esse dignitatem pontificis vicarii, primum quia pontificatus aaronitarum erat, non filiorum regis, deinde quia aequum videbatur, uti Eleazaridis Gabaone, ita Ithamaridis Sione suum permitti pontificem vicarium.

Ergo Sione habuerint sacerdotes potissimum ithamaridae partem sacrorum, maiorem extremo regno Davidis quam antea. David tandem 29,22, hoc clero aulico repudiato, Sadocum ungi summum pontificem procuraverit.

Quae si tibi non satis probentur, sequere alteram hypothesin, 16,4 sqq. nihil tradi de ministris sacris quod illud documentum res levitarum cantorum potissimum respiciat.

Constituit igitur David Sione v. 5 « *Asaph principem* », primatem, etiam primum, proxime quoad musicam sacram Sione, nam Asaph constitutum esse primatem universae musicae sacrae habes tandem cap. 25; « *et secundum eius Zachariam* » (15,18.20) : ita *secundus* Sione Zacharias, uti v. 41 sq. Gabaone Iduthun. Cum his duobus constituit David « *porro Iahiel et Semiramoth et Iehiel et Mathathiam et Eliab et Banaiam et Obededom* ». Idem *Iahiel*, qui in inciso mox recitando scribitur *Iehiel* : יעיאל; qui idem est atque *Iehiel*, 15,18.21, sed diversus a *Iahiel*, יחיאל 15,18.20. « *Iehiel* », seu Iahiel, « *super organa psalterii et lyras, Asaph autem ut cymbalis personaret* ». Verte : *Iehiel super vasa nablorum et super citharas*, ad augendum sonum (15,21), *et Asaph super cymbala ad intonandum sonum* (15,19). Zachariam, quod « secundus » esset, crediderim, uti Gabaone Iduthunum cymbala pulsasse, non nabla (15,20). Semiramoth,

Iehiel (יחיאל), Eliab, Banaias 15,20 scribuntur pulsasse nabla; Iahiel (יעיאל), Mathathias, Obededom 15,21 pulsasse citharas. Igitur res est plana. Chori Asaph (15,19) et Zacharias (?) cymbala quatebant, chori certe quatuor pulsabant nabla, chori tres citharas; Iehiel, qui ipse nabla pulsabat, praeerat tam iis qui nabla, quam qui citharas pulsabant. Cur ita? quia hi *omnes una* sonum *augebant*, quem cymbala *intonaverant*; commode igitur ab uno Iehiele regebantur. Genus hoc musices simplex, non multum habens artis. — Otiosa vox *vasa* solis *nablis* praefixa : an forte כלי ortum duxit e defigurata voce [ם] [נ]בלי, *nabla*?

v. 6 « *Banaiam vero* » (15,24) « *et Iaziel* » (יחזיאל, 'Οζιηλ, 'Ιεζιηλ) « *sacerdotes, canere tuba iugiter coram arca foederis Domini* » — *iugiter*, ut natura rei fert et v. 37 explicite affirmat, tempore sacrarum functionum; idemque dicas de viris v. 5.

Emblema : psalmus pro solemni arcae translatione a Davide concinnatus 1 *Par.* 16,7-36.

v. 7 « *In illo die* », *tunc* — ipse pleonasmus suturam prodit, chronista inculcante rem factam esse *tunc*, i. e. *ipso tempore* translationis, — « *fecit David principem ad confitendum Domino Asaph et fratres eius* ». Sed *Hebr.* : *dedit David in capite ad laudandum Iahve, in manu Asaph et fratrum eius*. Textus durus. בראש secus non scribitur sensu adverbii *primum* (*Ber.*). Et quid est *dedit primum*? num postmodum etiam dedit secundo? Si ב explices ב essentiae (!) vertasque *fecit principem*, exquiram a te, *quem* fecerit principem : sane *Asaph* (*Vulg.*). At quomodo iam explicabis id, quod sequitur, *in manu Asaph*? נתן ב constructio rara, quae h. l. aptum sensum non habet.

Cum v. 7 comparandus v. 37, qui interiecto cantico ab illo separatur : « Et reliquit ibi coram arca foederis Iahve Asapho et fratribus eius, ad ministrandum coram arca iugiter quotidie ». Utrobique habentur *Asaph et fratres eius*, idem est v. 7 *ad laudandum Iahve* et v. 37 *ad ministrandum etc.*; eadem evidenter res *relinquitur* v. 37, quae *datur* v. 7. Sc. aliquando v. 7.37 erant unus continuus textus, qui postea diffindebatur inserto cantico. Quid *reliquit* David? Canticum. Quid *dedit*? Canticum. At non habetur cantici mentio v. 7. Non habetur v. 7, sed habetur initio v. 8 : *tunc dedit David in manus Asaph et fratrum eius Laudate Iahven*, et describitur porro totum canticum.

Quid vero sibi volunt verba *in caput ad laudandum Iahve*? Suntne ea *appositio* ad *in manus Asaph etc.*, ut affirmentur Asaph et fratres

eius constituti esse a Davide *rectores* musicae sacrae Sione? At dure aequiparantur ב et ביד : commode datur canticum *in manus Asaph,* non datur *in Asaphum.* Scribendum fuit ל pro ב : datum est *Asapho.* Erit fere adstruendus scribae error scribentis ב pro ל, cum chronista constanter utatur particula ל, constructionibus etiam in libris antiquioribus haud scribi solitis, neque credendus sit h. l. pro ל scripturus fuisse durum istud ב. Praeterea *appositio* scribenda fuit post *Asaph et fratres eius*, expressionem cui apponitur; atque inconvenientius factum illud in contextu cap. 15 sq. gravissimum, Asaph esse constitutum rectorem musices, relegatur in appositionem illam.

Reapse v. 7 *duo facta* narrat, et Asaphum constitutum esse archimusicum, et Asapho commissum esse canticum. *Prius* constituendus fuit archimusicus, *postea* ei communicanda fuere quae musicam spectabant. Censeo igitur, chronistam v. 7 duriore zeugmate sententias duas confundere in unam : dedit David seu *constituit Asaphum rectorem laudationis Iahvae, et dedit in manus Asaph et fratrum eius* canticum *Laudate Iahven.* Sensum verborum vere expressit *Vulg.*, sed non integrum.

Igitur in ipsa solemnitatis die constituit David Asaphum rectorem musices *pro sanctuario Sion.* Fuit enim Asaph unus e tribus rectoribus musices, attributus est in die translationis sanctuario Sion, dum Heman et Ethan relinquebantur v. 41 sq. Gabaone : eo ipso facto constituebatur Asaph rector musices Sione, sententia fere id repetit quod habet v. 4 sq.

Praeter Asaphum archimusicum creatum, v. 7 sat clare prodit Davidem psalmum v. 8-36 concinnasse : ita certe verba interpretaturi erant Iudaei post exsilium, quibus persuasum erat Davidem plures concinnasse psalmos. Affirmat vero explicite v. 7, Davidem eum psalmum tamquam rem novam *Asapho ac fratribus eius* in die translationis *tradidisse*, ab ipsis, non vero ab aliis decantandum. Utique dubitare nefas est exstitisse cantica sacra Davide antiquiora, vel fortasse ab ipso etiam Davide aliqua pro sanctuario Gabaone ante esse concinnata : sed hunc psalmum concinnavit pro *suo* sanctuario in Sion.

Concinnavit igitur hunc psalmum David : an item concinnavit *hac adamussim forma*, qua a chronista describitur? Id textus non affirmat. Potuit psalmus, idem manens psalmus, a David ad chronistam plures subire transformationes, accipere augmenta et pati decrementa. Similia passa sunt cantica plura ecclesiae : Stabat Mater, Dies Irae et alia. Si chronista psalmum, qua forma suo tempore in sacris officiis decantabatur, describebat, potuit vere dicere hunc esse psalmum, quem concinnavit David. Non cogeris statuere, chronistam critice inquisi-

visse in formam nativam psalmi; fortasse ipsum deficiebant documenta ad eiusmodi inquisitionem necessaria. Neque debuit divina assistentia adiuvari, ut casu veluti in nativam formam incideret, quia etiam sine tali assistentia vera manebat assertio, hunc esse psalmum ea occasione a Davide concinnatum.

Sequens psalmus idem est cum aliis quibusdam psalterii psalmis. Sc. *v. 8-22 cum Ps. 104 (105), 1-15.* Ubi v. 5 פיר pro v. 12 פיהו, est merum discrimen scriptionis; v. 6 אברהם pro v. 13 ישראל; v. 9 ישחק pro v. 16 יצחק, est error scriptionis; v. 11 suppletur את, contra v. 18; v. 12 בהיותם vere pro בהיותכם v. 19; ante v. 13^b deest copula, contra v. 20^b; v. 14 אדם, contra v. 21 לאיש; v. 15 ל ante נביאי, contra v. 22 ב. — *v. 23-33 idem est cum Ps. 95(96).* Deest v. 1^a שירו ליהוה שיר חדש, *cantate Iahve canticum novum*, et v. 2^b שירו ליהוה ברכו שמו, *cantate Iahve, benedicite nomen eius*, ita ut v. 23 constet v. 1^b 2^b, habens אל יום pro ליום. V. 3 ignorat את ante כבודו, contra v. 24. v. 4^b מורא, contra 25^b ונורא. v. 6^b ותפארת במקדשו, contra v. 27^b יהדו במקמו. v. 8^b לחצרותיו, contra v. 29^b לפניו. Deest v. 9^a השתחוו ליהוה כבוד שמו, *adorate Iahven ornatu sancto*, et v. 10^a אמרו בגוים יהוה מלך, *dicite in gentibus quod Iahve sit rex*, ita ut v. 30 constet v. 9^b. 10^b, mutato מפניו in מלפניו; deest item v. 10^c ידין עמים במישרים, *iudicabit populos in iustitia.* — Tandem *v. 34-36 est ipsum initium et finis Ps. 105 (106).* Ubi v. 1 est noster v. 34. v. 47^a, comparatus nostro v. 35^a, initio ignorat ויאמר, pro אלהי ישענו habet יהוה אלהינו, ante מן legit והצילנו. v. 47^b plane consonat v. 35^b, uti v. 48^a versui 36^a. Sed v. 48^b pro ויאמרו habet ואמר, et pro והלל ליהוה (cf. h. l. 16,4) habet הללו יה.

Totus psalmus v. 7 est *canticum laudis*, להדות (cf. 2 Esdr. 12,8 הידות fortasse emendandum in הודות). Tamen v. 4 cantici describit tres aspectus, ut sit canticum memoriale להזכיר, canticum laudis להודות, iubilatio להלל. Reapse v. 8-22 est *canticum memoriale* (cf. v. 12.15 זכרו), commemorans beneficia a Iahve accepta; v. 23-36^a est *canticum laudis*; cuius conclusio, et fortasse versus simul intercalaris, est *iubilatio* : Amen, iubilate Iahvae.

Psalmus talis, qualis legitur 1 Par. 16, facile dividitur in *strophas*, ita ut v. 8-22 (= Ps. 104,1-15) sint stropha et antistropha prima, v. 23-30 sint stropha mutatoria, v. 31-36^a sint stropha et antistropha secunda. Cf. *I. K. Zenner S. I.* : Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, Freiburg i. B. 1896, p. 80 sqq.

1. *Stropha : invitatio ad laudes Iahve.*

I v. 8 Laudate Iahven, invocate nomen eius,	annuntiate inter gentes magnalia eius.
v. 9 Cantate ei, psallite ei,	celebrate omnia mirabilia eius.
v. 10 Gloriamini in nomine sancto eius,	laetetur cor sectatorum Iahve.
v. 11 Circumspicite Iahven et virtutem eius,	quaerite faciem eius semper.
v. 12 Recordamini mirabilium quae fecit,	signorum eius et iudiciorum oris eius,

v. 13 semen Israel, servi eius, filii Iacob, electi eius :
v. 14 Iahve, ipse est Deus noster, tota terra iudicio eius subest.

1. *Antistropha : Iahve fidelitas.*

II v. 15 Recordatur in aevum pacti sui, statuti quod edidit in mille generationes,
v. 16 quod pepigit cum Abraham, et iuramenti sui cum Isaac,
v. 17 quod constituit Iacobo praeceptum et Israeli foedus aeviternum.
v. 18 dicens : Tibi dabo terram Chanaan, portionem haereditatis tuae.
v. 19 Cum essent exiles numero, pauci et coloni in ea,
v. 20 migrantes de populo in populum, et de regno in gentem aliam,
v. 21 non est passus quemquam opprimere eos, sed increpavit pro eis reges : v. 22 Nolite tangere unctos meos.

Nabla cum iubilatione (?).

Stropha mutatoria : gentes ad obsequium Iahve invitantur.

I v. 23 Cantate Iahvae omnis terra, evangelizate de die in diem salutem eius,
v. 24 narrate inter populos gloriam eius, in omnibus gentibus mirabilia eius.

II v. 25 Quia magnus Iahve et laudabilis valde, et terribilis super omnes deos :
v. 26 omnes enim dii gentium nullitates sunt, Iahve autem coelos fecit.

I v. 27 Maiestas et magnificentia apud eum, robur et gaudium in loco eius.
v. 28 Date Iahvae cognationes gentium, date Iahvae gloriam et robur.

II v. 29 Date gloriam nomini Iahve, sublatis donis comparete coram eo ;
prostrati coram Iahve in habitu sacro, v. 30ª tremite coram illo omnis terra.

2. *Stropha : Iahve rex renuntiatur.*

I v. 31ᵇ Dicite inter populos : Iahve est rex, v. 30ᵇ profecto stabilita est terra, immobilis.
v. 31ª Laetentur coeli et exsultet terra, v. 32 fremat mare et plenitudo eius,
exsultet ager et omnia quae in eo sunt, v. 33 simul iubilent ligna silvae,
coram Iahve, quia venit, quia venit iudicare terram.

2. *Antistropha : Iahve rex salutatur.*

II v. 34 Laudate Iahven, quia bonus est. quia in aevum misericordia eius.
v. 35 [Adiuva nos, Deus salutis nostrae, et congrega nos et erue de populis,
ut laudemus nomen sanctum tuum, et exsultemus in cantico tuo.]
v. 36 Benedictus Iahve Deus Israel ab aevo et usque in aevum.

Et respondeat omnis populus : Amen, alleluia.

Canticum praeparat *iubilum* v. 36ᵇ ab universo populo edendum, producendum, concinentibus universis instrumentis musicis. Iubili

causa est Iahve, qui tamquam *rex* (v. 31), *iudex* (v. 14,33), *Deus* (v. 14. 25 sqq. 36) ascendit Sionem, inde tamquam e regia perpetuo gubernaturus terram, i. e. Chanaanitiden. Quod factum solemniter *promulgatur* v. 31[b]. 30[b]. Ad iubilum vero *invitantur* primum *Hebraei* v. 8-22, revocatis in memoriam antiquis Iahve mirabilibus eiusque in foedere servando fidelitate; deinde *gentes* v. 23-29, affirmata Iahvae eminentia cum universim tum speciatim super gentium deos; tandem universa *natura* v. 31[a].32 sq., coelum, terra, mare, ager, silva.

Penitiorem textus explanationem Commentario Psalmorum reservantes, eiusdem paraphrasi quadam h. l. continemur.

v. 8 « *Confitemini Domino et invocate nomen eius; notas facite in populis adinventiones eius* ». Voces *Laudate Iahven* psalmi *thema* enuntiant, ut sit laudatio Iahvae. Laudis autem initium est *vocare nomen eius*, non ad auxilium impetrandum *invocare* (*LXX Vulg.*). Quomodo laudari potest Iahve, quin eius *nomen* vocetur? Sed est ea iam aliqua Iahvae laus haud spernenda, ut eius nomen ab uno aliquo populo vocetur : Iubilate Iahvae, seu alleluia. Alterum laudis officium est *recitare laudis argumenta*, seu *nota facere magnalia* Iahvae : etenim e magne factis perspicitur ipse esse magnus et laude dignus. Argumenta petuntur potissimum e Iahvae omnipotentia. Cuius magnalia iubentur nota fieri *in gentibus*, non quasi Israel invitetur, ut ea ultra fines Palaestinae propalet, aut etiam potissimum ea annuntiet alienigenis intra fines Palaestinae superstitibus, sed quod ipse Israel *inter has gentes* habitans tanto magis debeat celebrare magnalia Dei sui, quod hae gentes celebrent magnalia deorum suorum, qui tamen plane sunt « inanes » (v. 26). Quam laudem utique etiam exaudient hae gentes.

v. 9 « *Cantate ei et psallite ei, et narrate omnia mirabilia eius* ». Cui nomini apud *LXX* eaedem atque extremo v. 12 perperam accrevere voces : *quae fecit* (*Iahve*). בכל non est vertendum *omnibus* (*LXX*, ubi *LXXL* adscribunt *populis*), cum verbum שיח, *celebrare*, regat praepositionem ב. Id, quod v. 8 inculcabat, tanti momenti est, ut iam v. 9 idem aliis verbis inculcet. Quae modo *magnalia* dicebantur, nunc dicuntur *mirabilia*, facta plane extraordinaria. v. 10 « *Laudate nomen sanctum eius, laetetur cor quaerentium Dominum* ». Laudis v. 8 sq. effectus *gloriatio* in ore (התהלל, iubilatio) et *laetitia* in corde. Gloriatio fit in *nomine*, quia nequit gloriatio edi nisi enuntiato nomine, et praeterea quia nomen Iahve supponitur exprimere essentiam rei (Ex. 3, 14 sq.). Hebraeis *laetandum*, quod Iahven sectentur tamquam Deum sibi prae aliis gentibus hoc nomine proprium. v. 11 « *Quaerite Dominum et virtutem eius, quaerite faciem eius semper* ». *Hebr.* :

Circumspicite Iahven etc., non *alium* quemquam deum, studete illum propitium et adiutorem habere. Expressio *quaerere faciem* 3. Reg. 10, 24; 2 Par. 9,23 sensum habet *quaerere comparere coram aliquo*, sicut tributarii comparent coram summo rege : ergo semper uni Iahvae praestandum obsequium, ei serviendum potissimum observatione thorae; haec practica et efficax laudatio.

Debuit sane *canticum laudis* ordiri v. 8-11 a generali exhortatione ad *laudandum* Iahve : verum debet (v. 4) idem canticum etiam initium sumere a *commemorandis beneficiis* a Iahve Israeli collatis, quod primum fit plane *generaliter* v. 12-14. v. 12 « *Recordamini mirabilium eius, quae fecit, signorum illius et iudiciorum oris eius* », quae iudicia confirmavit illis mirabilibus et signis. Et adscribuntur rationes, cur potissimum *Hebraeos* oporteat horum recordari : v. 13 « *semen Israel servi eius, filii Iacob electi eius* », ubi *servi* et *electi* sunt nominativi, ergo *electi servi*. v. 14 « *Ipse Dominus* » est « *Deus noster; in universa terra iudicia eius* ». Verte potius : *tota terra iudicio eius subest*, et terram intellige terram promissam, cuius h. l. Iahve *iudex* dicitur, uti v. 31 *rex*. Debent sane eius mirabilium recordari Hebraei, qui Iahvae terram incolunt.

v. 15 « *Recordamini in sempiternum pacti eius, sermonis quem praecepit in mille generationes* », v. 16 « *quem pepigit cum Abraham, et iuramenti illius cum Isaac* », v. 17 « *et constituit illud Iacob in praeceptum, et Israel in pactum sempiternum* ». Israel, populus e tribus illis patriarchis oriundus. Ps. 104 (105), 8 omnes זכר, *recordatur*, contra h. l. זכרו, *recordamini*. Sed etiam h. l. *LXXL* μνημονεύων, e quo corruptione prodiit *LXXR* μνημονεύωμεν, ad lectionem זכר revocatur. Ceterum discrimen est punctationis verius quam lectionis; unde nos dispicere oportet, utra punctatio h. l. praeferenda videatur. Punctatio *recordatur* a generali laude Iahvae v. 8-14 transit ad specialem laudem fidelitatis eius in foedere servando, atque sic magis adaptatur divisioni stropharum, cum ab argumento generaliori ad particularius descendat. Punctatio *recordamini* producit argumentum quod v. 12 coeptum est : recordamini magnalium, recordamini speciatim magnalium circa pactum editorum. Tamen, cum etiam magnalia v. 12-14 celebrentur perquam generaliter, etiam admissa punctatione *recordamini* verum manet, v. 8-14 habere generalem. v. 15-22 specialem laudem Iahve. Cum v. 14 celebraverit Iahven Israelis Deum totiusque terrae Israel moderatorem, apte v. 15 sqq. celebrant Iahvae in Israelem fidem et sollicitudinem, quae post celebratam eius omnipotentiam efficacissimum est argumentum laudandi Iahvae. Quare equidem praefero punctationem *recordatur*.

Inducitur Iahve alloquens Israelem, et demonstrans quid Israeli vi pacti tribuat : v. 18 « *dicens : Tibi dabo terram Chanaan, funiculum haereditatis vestrae* ». Fortasse suffixum breviario indicatum perperam explicavit scriba aliquis כם pro ך, *tuae*. Porro Iahve promissa impleturus speciali providentia tuitus est Israelem, dum is desertum peragrabat et Chanaanitiden subigebat : v. 19 » *Cum essent pauci numero, parvi et coloni eius* », — pro *eius, Hebr. in ea,* sc. in terra — v. 20 « *et transierunt* » — verte *transirent* : apodosin habet v. 21 — « *de gente in gentem, et de regno ad populum alterum* », in regnum aliud, v. 21 « *non dimisit quemquam calumniari* », i. e. opprimere, « *eos, sed increpavit pro eis reges* ». Pro בהיותכם v. 19 cum *LXX Vulg.* et Ps. 104, 12 omnino legendum בהיותם, *cum essent*. מתי מספר, *viri numeri*, i. e. pauci, habes Gen. 34,30; Deut. 4,27. Sententiam esse plane deuteronomicam, disce e Deut. 26,5; 28,62. Porro, sicut v. 18 recitabat verba Iahve ad *Israelem*, ita v. 22ᵃ recitat eiusdem verba ad *reges* aliosque adversarios : « *Nolite tangere christos meos* », unctos meos, electos meos.

Sed pergitur v. 22ᵇ : « *et in prophetis meis nolite malignari* », *Hebr.* : *nolite inferre iniuriam*, ובנביאי אל תרעו, Ps. 104,15 ולנביאי אל תרעו. Totus *Israel* nunquam vocatur propheta, tamen parallelismus cum v. 22ᵃ suadet nomen referre ad Israelem. Quod v. 16 sq. habuerit mentionem trium patriarcharum, censet *F. Delitzsch* (Biblischer Kommentar über die Psalmen, Leipzig 1894, 5. Auflage, p. 650 sq.), v. 22ᵇ alludere ad attentatam pudicitiam Sarae et Rebeccae Gen. 12; 20; 26, ubi etiam 20,7 Abraham vocetur *propheta*. Sed quis non videt, haec longius peti et dissonare ab admirabili cantici simplicitate? Dicamus verius v. 22ᵇ, qua forma nunc legitur, dissonare a *contextu*. Idque etiam probabilius dicemus ideo, quod idem, unus in toto cantico, dissonet a *structura strophica*. Adverte, verba ובנביאי אל תרעו (ubi Ps. 104 ל pro ב) simillima esse verborum בנבלים אל תרועה, *in nablis cum* (Thren. 3,41) *iubilatione*, seu לנבלים ולתרועה, *nablis et iubilatione*. Censeo igitur v. 21, qui ultimus est strophae, primitus fuisse tristichon : *Non permisit quemquam opprimere eos, — et propter eos increpavit reges* : — *Nolite tangere christos meos*. Strophae quippe saepe desinunt in tristicha (*Zenner* p. 12 n. 3). Extremo tristicho itemque extremae strophae adscribebatur primitus nota, h. l. *pulsanda esse nabla et inclamandum alleluia*; nota videtur esse affinis notae, quae habetur v. 36 : « et dicet omnis populus : Amen etc. ». Eiusmodi notae facile textu *excidebant* (cf. toties omissam in psalmis vocem סלה, διάψαλμα), quandoque *consilio omittebantur* (cf. quae dicemus ad 2 Par. 6,41 sq.). Quod haec non sit cum aliis, quas forte primitus ha-

bebat nostrum canticum, omissa, effecit textus corruptio notae sensum obscurans. Existimavit aliquis, defigurata verba esse stichum, quae cum tertio sticho v. 21 efficeret versum a v. 21 distinctum. Quaesivit sensum affinem sensus v. 22[a], *unctis* opposuit *prophetas*, *contactui* inferendam *iniuriam*. Si nostram explicationem recipias, perspicies Hebraeos, in solemnitatibus suis, intervalla stropharum fere distinxisse instrumentis musicis vel edito iubilo, non tamen ad id semper usos esse instrumentis omnibus, sed quibusdam tantum, v. g. solis nablis.

Stropha mutatoria v. 23 sq. orditur ab iisdem cogitatis, quibus v. 8 sq. ordiebatur stropha prima, laudandum esse Iahve eiusque gloriam gentibus renuntiandam. Verum dum stropha et antistropha prima sistebant in Iahvae ad *Israelem* ratione, stropha mutatoria explicat Iahvae ad *gentes* rationem. v. 23 « *Cantate Domino omnis terra* ». Cum v. 44 laus Iahve iubeatur renuntiari gentibus, suggero h. l. *omnem terram* intelligi potissimum *terram Israel*. Unde non sequitur, Ps. 95 (96) mutato contextu eandem expressionem non posse sumi latius. « *Annuntiate* », evangelizate, « *ex die in diem* », quotidie, ergo iugiter (cf. v. 11), « *salutare eius* », *salutem* qua Iahve salvavit Israelem, *auxilium* quod eis praestitit (v. 19-22), imprimis per *mirabilia* sua v. 24, quibus manifestavit *gloriam* suam (ib.). Verba habent exhortationem ad assiduam laudem commemorativam beneficiorum divinorum (v. 4). v. 24 « *Narrate in gentibus* », quas proxime interpretor eas, quae intra vel prope terrae sanctae fines incolebant, « *gloriam eius, in cunctis populis mirabilia eius* ».

Cum v. 28 redeat ad *gentes*, etiam v. 25-27 sunt de numero eorum, quae gentibus sunt renuntianda : כי v. 25 sq. orditur sermonem intentione loquentis certe etiam indirectum. v. 25 « *Quia magnus Dominus et laudabilis* », iubilatione dignus « *nimis, et horribilis* », seu verius terribilis, « *super omnes deos* ». Inculcare oportet gentibus, quantopere Iahve super eorum deos emineat. E *mirabilibus* suis perspicitur esse *magnus*, e *gloria*, quam illis mirabilibus manifestat, perspicitur esse *laudabilis* amicis, *terribilis* adversariis, et longe quidem terribilior iis, quae maxime verebantur adversarii, *diis*. Id explicat v. 26 : « *Omnes enim dii populorum idola* », non אלהים, veri Dei, sed אלילים, « nullitates ». Sane hoc uno, quod Iahve sit terribilis prae « nullitatibus » istis, non efficitur Iahve esse simpliciter terribilis; quare additur : « *Dominus autem coelos fecit* ». Quo Iahve pronuntiatur esse omnipotens eatenus certe, quatenus perfecit opus in hoc mundo aspectabili maximum. Alias affirmatur fecisse *coelum et terram*, sed horum duorum altius et nobilius est *coelum*. « Nullitates »

istae, quae a suis *magnae* praedicantur et *laudantur* utique non valuere efficere coelum.

Hinc patet, debere gentes quoque unum Iahve abdicatis diis adorare. Eas in Iahvae praesentiam introducit v. 27 : « *Confessio et magnificentia coram eo, fortitudo et gaudium in loco eius* ». Idem est *coram eo* atque *in loco eius* seu (Ps. 95,6[b]) *in sanctuario eius*. Assonantiam quamdam habent sensumque vix non eundem הוד *maiestas* et הדר *magnificentia*. Sunt autem apud Deum praeterea עז *robur*, et חדוה *gaudium*, pro quo Ps. 95,8 תפארת *decus*, honor, gloria. Pulchre noster textus ait apud Iahven reperiri gloriam, robur, gaudium. Quid gentibus coram Iahve ingressis praestandum sit, porro describitur : v. 28 « *Afferte Domino familiae populorum, afferte Domino gloriam et imperium* ». Versus bis habet idem verbum *date*, quod habet v. 29. *Gloria* correspondet v. 27 maiestati et magnificentiae; *robur*, עז, eadem vox atque ib. v. 29 « *Date Domino gloriam nomini eius* ». v. 28. 29[ac] (sec. Hebr. 30[a]) verbotenus eadem sunt cum Ps. 28 (29), 1 sq., nisi quod pro vocativo « cognationes gentium » ibi habeatur accusativus « filios arietum ». Unde patefit, quid h. l. veniat nomine *gloriae* et *roboris*, sc. *filii arietum* aliaeve victimae *speciosae* et *robustae*, quales decet offerri Deo *glorioso* et *robusto*. « *Levate sacrificium* ». Tollite, non sacrificium, nam מנחה, si pro sacrificio scribitur, designat sacrificium incruentum. sed *donum*, qualia pro tributo offerri consuevere regibus (Iud. 3,15 etc.). « *Et venite in conspectu eius* », i. e. secundum v. 27 ad sanctuarium eius. *LXX* h. l., et Ps. 95,8 *in atria eius*. Licebat etiam non Hebraeis mittere dona ad sanctuarium Iahve; tempore Davidis plures erant alienigenae ad fidem Iahve conversi; nihil obstat hunc textum eo etiam sensu interpretari, ut alienigenae Chanaanitidis invitentur ut suscepta circumcisione sacris Hebraeorum iungantur. Cf. CJ[1] p. 30 sqq. « *Et adorate Dominum in decore sancto* ». בהדרת (etiam Ps. 95,9). *induti vestes festivas*. *LXXL* ἐν κατοικητηρίῳ ἁγίῳ αὐτοῦ, בחרת קדשו: sed חדרת solum 28,11 de sanctuario vel de aliqua eius parte scribitur. *LXXR* (etiam Ps. 95,9) ἐν αὐλαῖς ἁγίαις αὐτοῦ, *in atriis sanctuarii eius*. Quodsi suffixum sit genuinum, utique repudianda lectio הדרת. v. 30 « *Commoveatur a facie eius omnis terra* ». *Prostrati* (v. 29) *tremant*, quia tandem v. 25 *terribilis* est Iahve. Prodit autem *pluralis* verbi, *terram* intelligi familias populorum v. 28, atque ita v. 30[a] trahi oportere ad praecedentia.

« *Ipse enim fundavit orbem immobilem* ». *Hebr.* punctari potest : *Profecto* stabilivit *terram*, *non movebitur*. Terram intelligi alio sensu quam v. 30[a], vel inferas e scripto תבל loco ארץ; certe non intelliguntur incolae terrae, qui utique moventur. Cuiusnam rei sensum

auget vox *profecto*? Poteris vocem referre ad praecedentem stichum : tremant omnes cognationes terrae, nam profecto ipse fundavit terram quam incolunt. Vel referas ad v. 26 : fecit coelos, fecit profecto etiam terram; idque convenientius, quatenus illico v. 31 habet mentionem *coeli et terrae*. v. 31 « *Laetentur coeli et exsultet terra; et dicant in nationibus : Dominus regnavit* ». Alter stichus contextum interrumpit; ii, qui *dicunt* inter gentes, non sunt *coelum* et *terra*, sed homines qui gentibus se immiscent; sed iubilum coeli et terrae v. 31ᵃ immediate excipiat oportet iubilus maris v. 32ᵃ, agri v. 32ᵇ, silvae v. 33ᵃ. Atqui Ps. 95 in eodem plane textu eum habet ordinem stichorum, qui evidenter est unice nativus, sc. v. 30ᵃ. 31ᵇ. 30ᵇ. 31ᵃ. Cui ordini porro adhaeremus.

Igitur postquam duabus strophis v. 8-21 Israelitae ad laudem Iahve, et stropha mutatoria v. 22-30ᵃ gentes ad Iahvae obsequium invitabantur, duabus tandem strophis v. 30ᵇ-36ᵃ *Iahve salutatur universalis rex*. Agitur autem de Iahve agnoscendo rege, non de solo affirmando facto Iahven esse regem : *Dicant in nationibus* : *Iahve est rex*. Dicant una et Hebraei et gentes incolentes intra et prope fines Chanaanitidis. Dein secundum *Masor*. punctationem : *profecto stabilita est terra, immobilis*. Sub rege tam potente, glorioso non iam locus est in Chanaanitide commotionibus, vicissitudinibus : Iahve suam nactus requiem, requiem largitur populo et terrae. Non agitur de facto, Iahven in principio creasse terram, neque verba parallela sunt verbis v. 26, Iahven fecisse coelum. Ubi Ps. 95,10 adscriptus legitur stichus : « iudicabit gentes iuste ». Cuius tamen h. l. item inserendi, sufficientem non video rationem. Iahve proclamato rege, sequitur (cf. Deut. 32,1.43) *iubilus universalis : Laetentur coeli, et exsultet terra*, iubilent coelum et terra, totus mundus. v. 32 « *Tonet mare et plenitudo eius* », i. e. omnia quae in eo sunt (v. 32ᵇ). Iubilum exprimat mare fremitu, βομβήσει, alia secundum suam quaeque naturam. « *Exsultent agri et omnia, quae in eis sunt* ». v. 33 « *Tunc laudabunt ligna saltus* ». Pulchra prosopopoea etiam agris et silvarum arboribus voces attribuuntur, quibus in iubilo participent — « *coram Domino, quia venit* », solemni pompa procedit Sionem, ut in novo suo sanctuario veluti inthronizetur; dein cum Ps. 95,13 repete eas, quae iteratae facillime excidebant, duas voces כי בא : *quia venit* « *iudicare terram* », quia iudicis super totam Chanaanitiden dignitatem iam suscipit ratione perquam solemni.

Ubi omnes ut iubilo participent invitati sunt, adscribuntur *iubili verba* v. 34 (= Ps. 105 [106],1) : « *Confitemini Domino* », i. e. *laudate Iahven*, eadem quae v. 8 initio cantici verba, sed adscribitur h. l. ratio brevissima, omnes alias rationes in se complectens : « *quoniam bonus,*

quoniam in aeternum misericordia eius ». Haec verba veluti totius cantici apex, etiam 2 Par. 5,13 eiusdem cantici apex, quando illud in altera arcae translatione decantabatur. Hinc eadem verba saepius in psalmis repetuntur : Ps. 106,1 ; 117,1-4.29 ; 135 passim (cf. Dan. 3,89). Iubili verba v. 34 supponi possunt pronuntiasse Israelitae, gentiles, coelum, terra etc., quicunque antea invitabantur, ut in eo iubilo participarent.

v. 35 « *Et dicite* » : — vox deest Ps. 105,47, neque a rhythmo exigitur. Reliqua v. 35 non sunt verba iubili uti v. 34, sed humilis supplicationis, quae forte recitabatur sine musica, tono veluti recto, similiter atque nos in hebdomada maiori recitamus orationem « Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam etc. ». Igitur illa vox *potest esse* non cantici pars, sed monitum indicans modum recitationis, simile moniti v. 36 « et dicat omnis populus ». An *sit* eiusmodi monitum, illico explicabimus.

« *Salva nos Deus salvator noster, et congrega nos et erue de gentibus* ». Verba non satis congruunt praecedenti cantico. Pronuntiabantur certe a solis Israelitis, non a gentilibus, coelo, terra etc. Canticum adstruebat Iahven Sione perpetuo residentem, toti Chanaanitidi imperantem, Israelem ita ab inimicis securum, ut imo gentiles invitaret ad cultum Iahve : v. 35 supponit populum *in exsilio quodam constitutum*, atque ex eo congregandum. Neque iuvabit cum Ps. 105,47 expungere voces *et congrega nos* : manent quippe voces *et erue nos de gentibus*, quae non consonant contextui cantici. Sane cantico hoc nullo non tempore assidue utebantur Iudaei ; eos cum eodem liberius egisse, illudque suis necessitatibus adaptasse, docent psalmi 104 ; 105 ; 95. Ergo in *exsilio babylonico* constituti illud suis angustiis adaptaverint addita humili supplicatione, quae nunc tam 1 Par. 16,35 quam Ps. 105,47 habeatur, cuique praefixerint vocem *Et dicite*, quae igitur neque sit pars cantici — « *ut confiteamur nomini sancto tuo, et exsultemus in carminibus tuis* ». Etiam haec verba addititia esse existimo. Sunt sententia finalis adscripta sententiae addititiae, neque possunt immediate iungi versui 34. Qui verba pronuntiant in iis circumstantiis vivunt, ut nequeant Iahvae solemnitates celebrare, eiusque solemni *laude* vel cantico uti, quia nondum *congregati* sunt, nondum *eruti de gentibus*.

Sed genuinam partem et conclusionem iubili censeo verba v. 36 : « *Benedictus Dominus Deus Israel ab aeterno usque in aeternum* ». Concludebantur solemnitates *benedictione* : cf. 3 Reg. 8,56 sqq. Hic finis strophae ; excipit *chororum* iubilum totus *populus*, verbis uti patet paucissimis, quae iterum iterumque inclamant : « *Et dicat omnis*

populus Amen et hymnum Domino » — verte : et *Iubilate Iahve*, seu Ps. 105,48 (Hebr.) *Alleluia*.

Dices, expuncto v. 35 e cantico, nimium contrahi 2^{am} stropham atque antistropham, utramque habentem versus tres, illam v. 31^{b}. 30^{b}. 31^{a}. 32. 33, hanc v. 33^{b}-36^{a}. Respondeo, haberi carmina desinentia in strophas trinorum versuum (*Zenner* p. 88); concedo tamen minus apte antistropham a stropha dividi medio v. 33, sententia nondum absoluta, et breviorem videri iubilum sex stichorum (v. 34-36^{a}), ad quem unum tandem totum canticum aspiret. Sed potuere verba v. 35 suffici in locum aliorum quorumdam verborum, quae ib. pridem fuerint. Nota in psalmis, quos supra laudabamus, pruritum psaltium *repetendi* iubili Confitemini : potuit igitur nostrum canticum primitus habuisse post v. 34 iubilum illum *ter* repetitum. Etiam 2 Par. 5,13 videtur illud Confitemini esse iterum iterumque repetitum. Potuit etiam extremae antistrophae accenseri iubilus populi sine fine clamantium « Amen, alleluia ». Tandem, quomodocunque structura extremi cantici explicetur, censemus v. 35 esse serius adiectum.

Clausula documenti v. 4-6.

v. 37 « *Reliquit itaque ibi coram arca foederis Domini Asaph et fratres eius* ». Verte (v. ad v. 7) : *et reliquit ibi ante arcam foederis Iahve* canticum a se conscriptum, similiter atque egerat Moyses cum cantico suo, *pro Asaph et fratribus eius*, ab illis decantandum. Voce ל adscribitur horum virorum *officium*, uti v. 4 officium eorumdem, v. 40 sacerdotum gabaonitarum, v. 41 Heman et Iduthun; officium, inquam, non quoad solum canticum decantandum, quod neque unicum neque quotidie decantabatur, sed officium *cantandi universim* : « *ut ministrarent in conspectu arcae iugiter per singulos dies* [*et vices suas*] ». *Hebr.* : *officium cuiusque diei*.

v. 38 « *Porro Obededom et fratres eius sexaginta octo; et Obededom filium Iduthun et Hosa* [*constituit*] *ianitores* ». De numero 68 v. ad 26,8. Prior *Obededom ianitor* idem est atque Obededom ianitor 15,24 : sicut v. 5 quosdam chororum 15,18 voluit David esse Sione, reliquos v. 41 Gabaone, ita unum ostiariorum 15,23 sq. Obededom voluit esse Sione, reliquos : Iehiam, Barachiam, Elcanam, voluit esse Gabaone. Qui fuere v. 42 Iduthunitae : ergo item Obededom, qui nequaquam cap. 26 Caathitis accensetur, cum v. 1 ib. ad ipsum non referatur (cf. ib. v. 19). Habuit igitur Sione David cantores et musicos Asaphitas, ostiarios Iduthunitas : non erat sanctuarium Sione unius familiae leviticae veluti proprium.

Sed, num *duos Obededom* constituit David Sione ianitorum principes? Rem haud impossibilem. Adverte tamen v. 38 esse valde inaequalem. Habet Obededom duos, quorum unius originem describit, non vero alterius neque Hosae; summam filiorum prioris Obededom tradit, non vero alterius et Hosae. Nota praeterea, Hosam ianitorem 26,10 fuisse Meraritam. Meraritae erant etiam Iduthunitae Deinde habetur evidens error. Pro *et fratres eius* (*LXX Vulg.*) habet *Hebr.* : *et fratres eorum*; legebat Hebr. initio versus nomina saltem duo. Merito censet *Malv.*, fuisse ibi nomen *Hosa.* Textum restituo ita : *Et Obededom et Hosa filii Iduthun, et fratres eorum* 68, *ianitores.* Expungo alterum Obededom. Non vero est sufficiens ratio adstruendi, nomen *Hosa* (חסה) idem esse atque 15,24 nomen *Iehias* (יחיה).

Cur *solorum* ianitorum *summa* adscribitur? Fortasse quod solam in fontibus repererit auctor. Praeterea e v. 5 facile colligitur summa cantorum aut certe chororum cantorum.

2. *Ministri sanctuarii in Gabaon* 1 *Par.* 16,39-43.

Fons, e quo haec derivantur, non videtur fuisse fons gabaonita : res enim summatim tantum referuntur. Cantores generali expressione *reliqui electi* exprimuntur. Neque instrumenta musica *singulis* classibus attribuuntur, neque *numerus* ianitorum scribitur. Sed traditur *nomen pontificis*, qui postea Sionem translatus est. Num Gabaone non erant *sacerdotes tibicines* (v. 6)? Cf. tamen *tubas* v. 42. v. 39 « *Sadoc autem sacerdotem* », i. e. pontificem, « *et fratres eius sacerdotes* » eleazaridas, fratres quippe in his elenchis intelliguntur ii qui eiusdem sunt cognationis (*Tost.*), « *coram tabernaculo Domini in excelso quod erat in Gabaon* » (21,29; 2 Par. 1,3). Nota accusativi את scribitur intuitu verbi *constituitque* v. 4, certe non intuitu verbi *reliquit ibi* v. 37 (*Ber.*), cum Sadoc h. l. referatur non esse relictus apud arcam in Sion : etenim v. 4-6. 37^b-42, ante insertum canticum, unus erant continuus textus. Adscribitur sacerdotum officium (ל) : v. 40 « *ut offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis iugiter, mane et vespere, iuxta omnia quae scripta sunt in lege Domini, quam praecepit Israeli* », et adscribunt *LXX* : *per manum Moysis servi Dei.* Perperam e textu infert *Cai.*, Sione constitutos esse solos levitas, Gabaone solos sacerdotes : levitas Gabaone habes v. 41 sq., eosque ib. illico videtur deprehendisse ipse Cai. prioris asserti immemor. Cur vero Sione non legantur instituti esse sacerdotes aliqui, verissimam rationem affert Cai. : « eo quod ibi » (Gabaone) « erat altare holocaustorum, et ibi iuge sacrificium fiebat et, ut uno verbo dicatur, *ibi*

erat ordinarius Dei cultus ». Id omnino confirmat textus, qui cum de rebus gabaoniticis (v. s.) agat minus explicite quam de rebus sioniticis, tamen iuge sacrificium v. 40 commemorat esse *Gabaone* factum, de eodem vero *Sione* facto tacet v. 4. Recteque e textu infert *Tost.*, quaecunque lege mandarentur fieri apud sanctuarium, in altari holocaustorum vel thymiamatis, eadem omnia praestanda fuisse Gabaone, non Sione; item infert, Abiathar pontificem eiusque filium Achimelech fuisse non Gabaone, sed Sione.

v. 41 « *Et post eum* » — sed *Hebr. LXXL et cum eis*, sc. cum Sadoc et fratribus eius sacerdotibus; *LXXR cum eo*, sc. cum Sadoc, ergo item Gabaone — « *Heman et Iduthun* » (cf. 6,33. 44; 15,19 etc.) « *et reliquos electos, unumquemque vocabulo suo* ». *Hebr.* : *et reliquos segregatos, qui designati sunt nominatim.* Ergo David *nominatim designavit* eos, qui Gabaone sacra ministeria obirent; non licuit levitis pro lubitu ab uno sanctuario transire ad alterum. Nomina horum segregatorum eruenda sunt e comparatis 15,18-21 et 16,5 : cf. Schema, quod tradimus in Historia chororum davidicorum, quae habetur extremo nostro cap. 25 commentario. ברר, *segregare*, vox in solis fere libris recentioribus scribi solita : cf. 9,22, ubi sermo est de quibusdam segregatis in ostiarios templi. Expressioni *designari nominatim* 12,31; 2 Par. 31,19 id, ad quod quis designatur, adscribitur particula ל : ergo eodem modo (*Oe.*) h. l. construxeris verba « *ad confitendum Domino* », ad canendas laudes, « *quoniam in aeternum misericordia eius* ». At ita constructione certe ab illa expressione excluduntur *Heman et Iduthun*, qui omnino re includuntur. Melius igitur *Masor.* sententiam illam finalem, scripto ante ל athnach, ita versui adnexam censent, uti similia versibus 37 sq. 40. Sacra officia Gabaone accurate ordinata erant, plane uti Sione. Extrema verba v. 41 produnt, iubilum Confitemini etiam consuevisse decantari Gabaone, ibique fortasse decantabatur vel ante translatam arcam Sionem; neque David traditur eum iubilum primus concinnasse, uti neque alleluia v. 36, sed concinnavit psalmum cuius apex ille iubilus est.

v. 42 « *Heman quoque et Iduthun* [*canentes*] *tuba et* [*quatientes*] *cymbala et* [*omnia musicorum*] *organa ad canendum Deo* ». Aliter *Hebr.* : *Et cum eis Heman et Iduthun, tubae et cymbala etc.* Quod initium cum sit plane conforme initio v. 41, vide annon possit eodem sensu exponi : Et cum Sadoc et Eleazaridis *erant* Heman et Iduthun, tubae et cymbala. Otiosam repetitionem nominum Heman et Iduthun, ineptam coordinationem horum duorum virorum cum tubis et cymbalis. Quare voci *eis* latiorem quam v. 41 significationem attribues, ut ea praeter Sadoc et Eleazaridas ipsos iam etiam complectatur He-

man et Iduthun : Et cum eis (*sc. etiam cum* Heman et Iduthun) erant tubae et cymbala. Otiosam et hebetem parenthesin, neque satis veram : non erant ita expresse tubae attribuendae Hemano et Iduthuno, cum tubis canere sacerdotum fuerit, non levitarum. Ergo v. 42 cum *LXXR* omitte *Heman et Iduthun*, quod facillime huc transferebatur e simili initio v. 41. *Tubis*, uti patet, canebant sacerdotes (v. 6), reliquis instrumentis utebantur levitae; *omnia instrumenta cantici Dei* intellige nabla et citharas.

Adscribit vero *Hebr.* : *cymbala ad intonandum* (cf. ad 15,19) : ubi miraberis, reliquis instrumentis non adscribi (ib. v. 21) : *ad augendum sonum*. Pergitur : « *Filios autem Iduthun* [*fecit esse*] *portarios* ». Ubi rursum miraberis, hos filios Iduthun non accuratius describi : v. 38 ianitores nominibus appellabantur, hic non appellantur. Desideratur etiam omnino v. 38. 42 ianitorum familia potissima Coritae *Meselemiae* (Selemiae, Sellum, cf. 26,1), quae 9,19 sqq. gloriabatur sibi ianitorum officium ab ipso Moyse esse collatum, quaeque h. l. non videtur fuisse praetermittenda. Attende porro nominis משלמיהו cum voce h. l. משמיעים, vocis שיר cum voce שאר v. 41 affinitatem : suspicaberis, textum

למשמיעים וכלי שיר האלהים ובני ידותון לשער.

corruptione ortum esse e textu :

וכל כלי שיר האלהים ומשלמיהו וכל שאר בני ידותון לשער:

et omnia instrumenta cantici Dei. Meselemias vero omnesque reliqui filii Iduthun ianitores. — *Reliquos* intellige praeter cognationes Obededom et Hosa v. 38 : Iduthunitae universe fuere ianitores.

Hic tandem nobis solvenda est quaestio, quis sit ille v. 38. 42[b] *Iduthun*. Non potuit *unus* ille vir Ethan seu Iduthun, Davidis archimusicus, habere tum *tot* filios, quot v. 38. 42[b] describuntur : tamen nomen progenitoris tot filiorum v. 42 *una* scribitur cum archimusici nomine. Recole archimusicum fuisse *binomium*, nominibus formae simillimae איתן et ידיתון. Potuit ipse *Ethan* esse *stirpis Iduthun* vir : facile porro cantores, quibus ille moderabatur, potuere vocari tam filii Ethan quam filii Iduthun, ipse vir vocari potuit tam Ethan quam Iduthun. Censeo tandem, filios Iduthun v. 38. 42[b] nequaquam fuisse eosdem, qui postea fuere cantores, sed ex eorum stirpe fuisse Ethan seu Iduthun eiusque chorum.

v. 43 « *Reversusque est omnis populus in domum suam, et David ut benediceret domui suae* ». Versus re idem est cum 2 Reg. 6,20, clauditque descriptionem translationis arcae.

C. Praeparata aedificatio templi 1 Par. 17-29.

I. CONSILIUM AEDIFICANDI TEMPLI 1 PAR. 17.

Arg. — Explicatur, quomodo in Davidis animo natum sit consilium aedificandi templi. Sc., quod exstructam iam haberet domum propriam, quae hospitium simul praeberet arcae, inductus est rex in consilium domus propriae aedificandae pro arca Iahve. Consilium approbat Nathan propheta, postea nomine Iahvae regi renuntiat, ipsam templi aedificationem reservari Salomoni filio; unde, quod sequentia demonstrant, David illud sibi certe concedi colligit, ut res aedificationi necessarias ipse comparet. Divinum igitur decretum David grato et iubilante animo excipit.

Cap. 17 idem textus est atque 2 Reg. 7. Levia discrimina plura; notabiliora tantum attingemus. Pro commentario remittimus ad CR. Una difficultas nobis h. l. accuratius perpendenda, quam fecimus CR.

Ubi rex consilium aedificandi templi proponit Nathano, hic consilium indubitanter ratum habet : « Omnia, quae in corde tuo sunt, fac; Deus enim tecum est ». At *in eadem nocte* Nathan accipit divinum oraculum, templum fore aedificandum non a Davide, sed a Salomone. Quod divinum oraculum nihil habet, quod non sapiat Davidis laudem; exsulat ab illo ratio, quae traditur 22,8 : « Multum sanguinem fudisti et bella magna gessisti : non aedificabis domum nomini meo, quia multum sanguinem fudisti in terram coram me »; et 28,3 : « Dixitque mihi Dominus : Non aedificabis domum nomini meo, quia vir bellator tu es et sanguinem fudisti ». Non plane idem habet 3 Reg. 5,3, ubi Salomon affirmat, Davidem bellis distentum esse, quominus templum aedificaret. Id etiam verum, sed non oportuit Salomonem in epistola ad Hiram omnia dicere aut singula recitare divina oracula.

Igitur primum propheta ratum habuit Davidis consilium, at sequenti illico mane nomine Dei idem consilium inhibet. Nullum intercessisse narratur, aut tam brevi intervallo intercedere potuit factum, quod Deum ad revocandam approbationem moverit.

Cuius difficultatis una solutio est, Nathan v. 2 enuntiasse *privatam* suam opinionem, v. 3 sqq. protulisse divinum oraculum. Possunt pugnare inter se humana opinio et divinum oraculum. Quam solutionem tuebamur CR, at nunc ea nobis non plane satisfacit. Verissimum est, quod ibi dicebamus, prophetas non semper oracula profatos esse, sed suas etiam privatas opiniones. Sed consilium illud substituendi sanctuario mosaico templi consilium erat efficiendae gravissimae mu-

tationis statutorum Moysis, substituendi aedificii lapidei in locum habitaculi lignei et tabernaculi. Potuitne propheta aliquis, potuitne vir religiosissimus Nathan hoc consilium approbare, non antea rogato et obtento divino oraculo? Potuitne privata opinione dicere : « Fac », privata opinione affirmare : « Deus tecum est »?

Difficultatem auget illud, nullam cap. 17 haberi mentionem rationis illius, nimium sanguinem effudisse Davidem. Quae ratio utique potuit esse causa, cur Deus vellet ut sibi templum aedificaretur non a Davide. At eam rationem perspectam habebat Deus eo die, qui praecessit *eandem* illam *noctem* : quodsi ea ratio iam tum obtinebat, potuitne Deus eo die dicere per prophetam : « Fac »?

Quare ob bella *iusta* prohibendus erat David, quominus templum aedificaret? Nonne Moyses, veteris sanctuarii, imo ipsius arcae constructor, bella gesserat? Iusta autem fuisse ea Davidis regis bella quae 2 Reg. et 1 Par. narrantur, vel inde efficitur, quod in his bellis Dominus scribatur fuisse cum Davide : 1 Par. 11,9; 14, 10 sqq.; 18,6. Reapse ratio illa a bellis Davidis petita habet aliquam Davidis *reprehensionem*. Neque obiicias, verba 22,8; 28,3 non sonare reprehensionem : facile intelligitur David reprehensionem quam tulit attenuasse in alloquiis ad filium et ad proceres habitis. Ipsa ratio, quibuscumque tandem verbis exprimatur, reprehensionem habet. Gessitne David *praeter* bella, quae 2 Reg. et 1 Par. referuntur, alia aliqua bella *non iusta*?

Et nota, quod supra monebamus, divinum oraculum cap. 17 nihil prorsus habere reprehensionis, totum esse in laudem Davidis.

Videtur porro David praeter bella cap. 18-20 gessisse bella aliqua non necessaria, Iahvae non probata ideoque certe minus aequa et reprehensione digna. Numerationem 21,1 (v. ib.) instituit David, quo exercitum haberet ad alia quaedam bella expeditiorem. Quam numerationem non ita indignanter laturus erat populus (v. ad 21,6), si sola praecesserant bella cap. 18-20, quorum felicissimus eventus et ampla praeda. Videtur David praeter ea bella gessisse alia bella, fortasse trans Euphraten, quae populo ita fuere gravia, ut vix non in apertam rebellionem proruperit. Ob ea bella utique reprehendendus David, ob haec simulque ob populi numerationem poenam tulit pestilentiam.

Sequentem suggero difficultatis solutionem. *Fuere oracula tria diversa* (*Cai.*), edita de aedificatione templi, quorum postremum habuit rationem illam a bellis petitam, priora non habuere.

Oraculum primum fuit illud v. 2 « Fac », quo per Nathan declaravit Deus sibi placere, ut ipse David aedificaret templum.

Oraculum secundum factum est *eadem nocte*, habuitque verba

v. 4-11, quibus Deus declaravit, pro domo, quam sibi aedificaturus esset David, se Davidi aedificaturum domum, regno eius per Salomonem in perpetuum stabilito. Ubi notes id, quod infra explicabimus, pro v. 4 « non aedificabis tu » haberi 2 Reg. 7,5 « Tune aedificabis? » Quam censeo esse oraculi formam *magis nativam*.

Oraculum tertium factum est post bella illa, quae Iahvae non probabantur. Ubi Deus post pestilentiam eum favorem Davidi contulit, ut locum templi aedificandi designaret; at simul pro aliqua ambitionis poena decreverit, aedificandum iam fore templum non a Davide, qui sanguinem inique et inutiliter fudisset, sed a Salomone.

Haec omnia coniicimus distincte narrata fuisse in fonte antiquissimo vel fontibus antiquissimis. Sed non iam distincta habebantur in *fonte illo derivato*, quem aeque sequuntur 2 Reg. et 1 Par. Qui fons noluit enarrare illa Davidis bella a Iahve improbata. Quare e tribus oraculis fecit duo, secundo oraculo v. 4-11 continuo adscripsit oraculum tertium, seu oraculi tertii eam partem, quae de Salomone futuro templi aedificatore erat, v. 12-15 : unico iam oraculo et promittebat Deus se Davidi aedificaturum domum, et statuebat templi aedificatorem fore non Davidem, sed Salomonem. Mentio bellorum omittebatur, uti in narratione, ita etiam in oraculo.

Dum ita narrationem ad breviarium revocabat, *nihil falsi asserebat ille fons*. Cuius auctor potuit impune illa bella tacere, neque enim tenebatur quaecunque vera essent narrare; potuit impune e duobus oraculis facere unum, neque enim tenebatur oracula de verbo ad verbum recitare; potuit initio oraculi v. 4-11. 12-15 scribere « nocte illa », licet sola verba v. 4-11, non vero verba v. 12-15 locutus sit Iahve nocte illa.

Quodsi fontis auctor salva sermonis veritate haec omnia ita referre potuit, potuit eadem ita relata ab ipso mutuari auctor 2 Reg. et auctor 1 Par. Imo potuit auctor 1 Par. v. 4 pro « Tune aedificabis? » scribere « Non aedificabis tu ». Quae sententia et vera est, et vere a Deo est prolata, licet non sit prolata initio secundi oraculi, sed in tertio oraculo : at, confusis inter se secundo et tertio oraculo, potuit ea sententia scribi initio eius oraculi, quod e duobus factum est unum. Si, quod omnes concedunt, potuit chronista 2 Par. 5,9, impune e fonte describere verba, fuisse arcam in sancto sanctorum « usque in praesentem diem », cur non potuit h. l. verbis « nocte illa » continuo adscribere verba « Non aedificabis tu »? Quodsi tibi videatur chronista non potuisse adscribere, dicas haec verba depravatione orta esse e verbis 2 Reg. 7,5 « Tune aedificabis? »

Coniecturae sunt hae, sed quae iuvant ad aliquas textus inaequalitates complanandas.

Cap. XVII v. 1 « *Cum autem habitaret David in domo sua* », de qua 14,1; 15,1, « *dixit ad Nathan prophetam : Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem foederis Domini sub pellibus est* ». v. 2 « *Et ait Nathan ad David : Omnia quae in corde tuo sunt, fac : Deus enim tecum est* ». v. 3 « *Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens* » : v. 4 « *Vade et loquere David servo meo : Haec dicit Dominus : Non aedificabis tu mihi domum ad habitandum* ». v. 5 « *Neque enim mansi in domo ex eo tempore, quo eduxi Israel* » de Aegypto, « *usque ad diem hanc; sed fui semper mutans loca tabernaculi et in tentorio* ». *Hebr.* : *et fui circumiens de tabernaculo in tabernaculum, et de habitaculo.* Iahve non circuibat de tabernaculo in tabernaculum, sed idem semper secum circumferebat tabernaculum; illud *de habitaculo* mancum est. *LXX R* : *sed fui in tabernaculo* e pellibus *et in habitaculo* e lignis setim confecto. Tamen *Vulg.* itemque *Hebr.* suggerunt, fuisse in textu etiam vocem מתהלך, *circumiens*. Ergo pro Hebr. מאהל אל אהל וממשכן, lege מתהלך באהל ובמשכן, *circumiens in tabernaculo et in habitaculo*, idem plane textus qui 2 Reg. 7,6. v. 6 « *Manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni iudicum Israel, quibus praeceperam ut pascerent populum meum, et dixi : Quare non aedificastis mihi domum cedrinam?* » Pro שפטי, *iudicum*, perperam LXX שבטי, *tribuum*. v. 7 « *Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David : Haec dicit Dominus exercituum : Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel* ». v. 8 « *Et fui tecum, quocunque perrexisti, et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra* ». Inde a v. 8[b] incipiunt verba futuri temporis, quae sc. sint de rebus, quae prioribus annis regni davidici erant inchoatae, sed nondum perfectae : *faciam tibi nomen..., dabo locum..., plantabo eum etc.* Etiam *LXX*, saltem inde a v. 9, scribunt verba temporis futuri. v. 9 « *Et dedi locum populo meo Israel, plantabitur et habitabit in eo, et ultra non commovebitur, nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a principio* », v. 10 « *ex diebus, quibus dedi iudices populo meo Israel* ». Certe lectio *Vulg.* h. l. et 2 Reg. 7,11 planior : illud *a principio* explica, ut idem sit atque *ex diebus* iudicum. Sed reliqui utrobique *et ex diebus*, ubi copulam dicas esse vav quod grammatici vocant explicativum (= i. e.). « *Et humiliavi* », seu verius *humiliabo*, « *universos inimicos tuos* ». Pro הכנעתי את. 2 Reg. 7,11 והניחתי לך מ, *et requiem comparavi tibi de* : potuit una lectio oriri ex altera, sed potuit etiam chronista aliis verbis idem exprimere, quod auctor antiquior.

« *Annuntio ergo tibi, quod aedificaturus sit tibi Dominus domum* ». *Hebr.* habet : ואגד לך ובית יבנה לך יהוה, *et annuntio tibi, et domum*

aedificabit tibi Dominus. Certe sensus suadet ut pro secunda copula, uti 2 Reg. 7,11, scribatur כי, *quia.* Iungunt *LXX* ואגדלך, *et magnum te faciam,* qua voce *repetunt* tantummodo id quod iam habebat v. 8ᵇ, cum tamen oratio v. 10ᵇ omnino gressum faciat ad aliquid *novum*, sc. ad explicandum divinum circa templi aedificationem consilium. v. 11 « *Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum eius* ». Pro 2 Reg. 7,12 אשר יצא ממעיך, *quod exibit de intestinis tuis*, quod h. l. item habent *LXX*, *Hebr.* אשר יהיה מבניך, *quod erit de filiis tuis,* expressio impeditior ad exprimendum semen masculum. v. 12 « *Ipse aedificabit mihi domum, et firmabo solium eius usque in aeternum* ». v. 13 « *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* ». Desunt porro ea, quae h. l. habentur 2 Reg 7,14 : « qui si inique aliquid gesserit, etc. ». Suggerit *Net.*, chronistam hanc poenae comminationem tacere ideo, quod suo tempore iam esset impleta. Neque ea comminatio necessario primitus pars fuit divini alloquii, quod totum est gratiosum, sed potuit ab aliquo scriptore inspirato adscribi. « *Et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit* ». *Hebr.* utique verti etiam potest *ab iis qui etc.*, *LXX L,* sed contextus clamat hic, uti 2 Reg. 7,15, intelligi unum Saul antecessorem David. v. 14 « *Et statuam eum in domo mea et in regno meo usque in sempiternum, et thronus eius erit firmissimus in perpetuum* ». *LXX* : *in domo mea et in regno eius*! Domus Iahve v. 12 est templum; at Salomon non statuitur in templo. Praeterea ea intelliguntur *domus* et *regnum*, ad quae item spectat *thronus* : at thronus Salomonis certe non fuit in templo. Quare *Net.* domum intelligit ecclesiam christianam : intelligatur haec sensu typico, sed nobis primum definiendus sensus literalis. Dicendum erit, Deum domum et regnum *Salomonis* vocare domum *suam* et regnum *suum*, vere sed dure dictum. At facile permutantur suffixa : adstruas igitur, si placet, suffixa primitus eadem fuisse atque 2 Reg. 7,16, *domo tua, regno tuo.* v. 15 « *Iuxta omnia verba haec et iuxta universam visionem istam sic locutus est Nathan ad David* ».

v. 16 « *Cumque venisset rex David et sedisset coram Domino, dixit : Quis ego sum, Domine Deus, et quae domus mea, ut praestares mihi talia?* » *Hebr.* : כי הביאתני עד הלם, *ut me perduceres huc.* Ita etiam 2 Reg. 7,18. *LXX* : כי אהבתני עד עולם — melius certe 2 Reg. 7,18 : עד הלם, *ut me diligeres huc usque.* v. 17 « [*Sed*] *et hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum, et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus* ». Chronista explicat obscurum textum 2 Reg. 7,19 : וזאת תורת האדם, « et haec est lex hominum » (?) : tribuit sententiae sensum verum, non

necessario eum quem illa primum habuit. תורת האדם, *lex hominum*, mutat in תור האדם, *circulus, successio, tempus, ordo*. Porro sibi correspondent v. 16 עד הלם, *usque huc*, et v. 17 למרחוק, *in longinquum*, et המעלה, *sursum*. Etenim nobis non probatur lectio *LXX* ותעלני, καὶ ὕψωσάς με, *et exaltasti me* : se esse exaltatum affirmabat David initio climacis v. 16 (usque huc), neque est cur idipsum in supremo climace repetat. Sensum explico ita : Quis ego sum, ut me perduxeris *usque huc*, usque ad florentem meam *praesentem* conditionem? Sed et hoc tibi visum est insufficiens, voluisti mihi exhibere ulteriorem favorem, locutus es quoad domum meam *in longinquum* seu *in futurum*, et fecisti me videre successionem hominum ascendentem *sursum*. Dices, hunc sensum exprimendum fuisse clarius : sed recordare chronistam non loqui verbis suis, sed in eo esse ut explicet textum obscurum et fortasse incuria scribarum obscuratum.

v. 18 « *Quid ultra addere potest David* » *quoad te,* « *cum ita glorificaveris servum tuum*? » Chronista suo modo explicat verba 2 Reg. 7,20 : « Quid amplius potest David dicere ad te? ». Omittit verbum *dicere*. *Hebr.* : *quid ultra addet David quoad te, quoad glorificandum servum tuum*. Sententiam non interpretatur de verbis gratitudinis, quae Davidem deficiant; sed sensus videtur esse hic : tu tantam contulisti Davidi gloriam, qua maiorem ne votis quidem assequi potest : quid ultra gloriae a te expetere potest David servus tuus? Sequentia verba « *et cognoveris eum?* », *Hebr.* : *et tu servum tuum nosti*, in contextu 2 Reg. 7,20 sensum habent : non refert, quod me verba deficiant, quia tu nosti cogitata mea. In nostro contextu sensum admittunt : tu nosti indignitatem meam, vel : tu nosti cor meum, sensus gratitudinis quos verbis sufficienter exprimere haud valeo.

v. 19 « *Domine, propter famulum tuum* » *et* « *iuxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia* ». *Hebr.* : *ut notas faceres universas magnificentias*, res magnas, גדלות. Pro דברך, propter *verbum tuum,* promissiones tuas, h. l. עבדך, propter *servum tuum* : habetur fortasse error scribae in alterutro textu. 2 Reg. 7,21 : « ut notam faceres servo tuo », ut sensus fere sit hic : fecisti seu, cum agatur de consilio futuro tempore implendo, decrevisti magnificum hoc de servo tuo consilium, et ita quidem, ut simul decreveris illud servo tuo praesenti tempore revelare. Sed lectio Hebraei h. l. (v. s.) utique pleonasmum habet. Longe simplicior versus apud *LXX* : *et iuxta cor tuum fecisti totam magnificentiam*. Aut scriba aliquis textum involutiorem revocavit ad simpliciorem formam; aut aliquis textum, qui planus ac simplex erat, existimavit conformandum esse textui 2 Reg. 7,21.

v. 20 « *Domine, non est similis tui, et non est alius Deus absque te ex omnibus, quos audivimus auribus nostris* ». v. 21 « *Quis enim est [alius] ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus eiiceret nationes a facie eius, quem de Aegypto liberarat?* » Attende suffixa : *ut redimeret populum sibi, ut tibi* (*LXX Vulg.* uti 2 Reg. 7,23 *sibi*) *comparares nomen magnum et terribile, eiiciens a facie populi tui, quem de Aegypto redemeras, gentes.* v. 22 « *Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in aeternum, et tu Domine factus es Deus eius* ». v. 23 « *Nunc igitur, Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo et super domum eius, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es* ». Sequens (v. 24) ויאמן repetitum, reapse abundat, neque habetur 2 Reg. 7,26; si tamen retineatur, iungendum est versui 23 : *et confirmetur.* v. 24 « *Permaneatque et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, et dicatur : Dominus exercituum Deus Israel, et domus David servi eius permanens coram eo* ». v. 25 « *Tu enim, [Domine] Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut aedificares ei domum; et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te* ». 2 Reg. 7,27 consilium aedificandae domus enuntiatur oratione directa, praefixo לאמר; post *invenit* : *in corde suo*; tandem : *ut oret ad te orationem hanc.* v. 26 « *Nunc ergo Domine, tu es Deus* », — omittitur incisum 2 Reg. 7,28 : « et verba tua sint veritas ». An forte ideo, quod sapere visum sit aliquam irreverentiam, veluti cogitari possit aliqua verba Dei non esse vera? — « *et locutus es ad servum tuum tanta beneficia* », v. 27 « *et coepisti benedicere domui servi tui* », — seu verius : *initium igitur fac benedicendi domui servi tui* — « *ut sit semper coram te* » illa domus : « *te enim, Domine, benedicente benedicta erit in perpetuum* ». Planius quam 2 Reg. 7,29.

II. REGNI AUGMENTA PER PROSPERA BELLA EFFECTA 1 PAR. 18-20.

Arg. — Templi aedificandi expensis vix suffecturum erat regnum Israel et Iuda, angustis limitibus inter Philisthaeos Syrosque contentum : quare subiiciuntur h. l. bella, quibus David imperium a flumine Aegypti usque ad Euphraten ampliavit. Cap. 18 habet summarium bellorum gestorum contra Philisthaeos, Moabitas, Syros, Idumaeos, Amalecitas. Deinde cap. 19 sq. accuratius describuntur bellum contra Ammonitas eorumque foederatos Syros gestum, quod fuit omnium gravissimum, et bella quibus Philisthaei, in ipso limine Iudaeae considentes, ad Davidis obsequium adacti sunt.

1. *Summarium posteriorum bellorum David* 1 *Par.* 18.

Cap. XVIII est idem textus atque 2 Reg. 8. v. 1 « *Factum est autem post haec, ut percuteret David Philisthiim et humiliaret eos, et tolleret Geth et filias eius* », i. e. urbes et vicos subiectos Geth, « *de manu Philisthiim* ». Discimus vero e 3 Reg. 2, 39, aliquamdiu post Philisthaeos recuperasse Geth, quod v. g. potuere facere durantibus turbis ab Absalom suscitatis. Plana omnino sunt verba גת ובנתיה, *Geth et filias eius*, pro quibus 2 Reg. 8,1 habentur verba מתג האמה, quorum aut sensum iam non valemus accurate assequi, aut quae e verbis nostri v. sunt corruptione derivata : reapse in מתג habes duas consonantes nominis גת.

v. 2 « *percuteretque Moab, et fierent Moabitae servi David, offerentes ei munera* », pendentes tributum. Textus planus. Sc. tacetur pars difficilior textus 2 Reg. 8,2, non ob horrorem rei ib. narratae (cf. 20,3), sed sine dubio, quod chronista sensum verborum non satis perspectum haberet.

v. 3 « [*Eo tempore*] *percussit David* [*etiam*] *Adarezer* » — omittitur « filium Rohob » — « *regem Soba regionis Emath* », seu verius *Emath versus*, ergo sane ad meridiem Emath, « *quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten* ». להציב, *ut erigeret*, quod *LXX* legebant item 2 Reg. 8,3; reliqui ibi להשיב, *ut restitueret*. Utraque lectio genuina fuerit, potuit tamen etiam altera ex altera derivari. Subiectum autem est *David* : ipse, volens fines suos usque ad Euphraten extendere (Gen. 15,18 etc.), obviam habuit Adarezer. Quodsi istud consilium non iniisset David, non erat cur se Adarezer illuc pergenti obiiceret, הדרעזר, sed 2 Reg. 8,3.5.7-10.12; 3 Reg. 11,23 הדד עזר, assyrice *Dad-'-idri* (*Schrader* p. 191). צובה, assyrice *Su-bi-ti* (ib. p. 171 sq.). v. 4 « *Cepit ergo David mille quadrigas eius et septem millia equitum ac viginti millia virorum peditum* ». 2 Reg. 8,4 silet de curribus, habet equites 1700, ubi tamen LXX legunt uti h. l. omnes; ergo haec lectio pro utroque textu probabilior. « *Subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis quas reservavit sibi* ».

v. 5 « *Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium praeberet Adarezer regi Soba; sed et huius percussit David viginti duo millia virorum* ». v. 6 « *Et posuit milites* » — *LXX* φρουράν : videntur hi quoque, uti 2 Reg. 8,6, legisse נציבים, *praesidium*, necessarium obiectum verbi *posuit* — « *in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi et offerret munera. Adiuvitque eum Dominus in cunctis, ad quae*

perrexerat ». Chronista (cf. 2 Par. 16,2; 24,23; 28,5.23) uti *Syr.* pro דמשק, *Damascus*, scribit דרמשק.

v. 7 « *Tulit quoque David pharetras aureas* », — probabilius *clipeos* : v. CR p. 329 — « *quas habuerant servi Adarezer, et attulit eas in Ierusalem* » ; v. 8 « *necnon de Thebath et Chun urbibus Adarezer aeris plurimum, de quo fecit Salomon mare aeneum et columnas et vasa aenea* », opera usus Hirami artificis 3 Reg. 7,13-47. טבחת et כון, sed 2 Reg. 8,8 בטח et ברתי : quae fuerint hae Syriae urbes, nescimus.

v. 9 « *Quod cum audisset Thou rex Emath, percussisse* [*videlicet*] *David omnem exercitum Adarezer regis Soba* », v. 10 « *misit Adoram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem et congratularetur ei, quod percussisset et expugnasset Adarezer; adversarius quippe erat Thou Adarezer* ». Praeterea *Hebr.* : *et* (misit) *omnis generis vasa aurea, argentea, aenea*; pro quibus 2 Reg. 8,10 : « et in manu eius vasa argentea et vasa aurea et vasa aenea ». v. 11 « *Sed et* [*omnia vasa aurea et argentea et aenea*] *consecravit David rex Domino, cum argento et auro quod tulerat* » — נשא pro הקדיש — « *ex universis gentibus* », — et 2 Reg. 8,11 adscribitur « quas subegerat » — « *tam de Idumaea et Moab et filiis Ammon, quam de Philisthiim et Amalec* ». Simillima inter se אדם, *Idumaea*, et ארם, *Syria* (2 Reg. 8,12). Quod dicatur *etiam* (גם) dona *Thou* consecrasse, prodit eum item consecrasse praedam *Adarezer* seu *Syriae* : ergo praetulerim lectionem *Idumaea*, de qua regione illico agit v. 12 sq. Hac una supposita non plane abundat id, quod adscribitur 2 Reg. 8,12 : « et de praeda Adarezer filii Rohob regis Soba ».

v. 12 « *Abisai vero filius Saruiae percussit Edom in Valle Salinarum, decem et octo millia* ». Rem actam esse non in *Aram* (2 Reg. 8,13; deest apud *LXX*), sed in *Edom*, disce e 4 Reg. 14,7, ubi *Vallis Salinarum* tribuitur Idumaeae. Tribui h. l. *Abisai* victoriam, quae 2 Reg. 8,13 tribuatur *Davidi*, inde explicabis, quod victoriae ducum merito tribuantur etiam regibus. Mirantur tamen *Wellh.*, *Kittel*, recitari egregie factum *Abisai* in eo contextu, qui totus sit in celebrandis egregie factis *David*. Hinc ואבשי, *et Abisai*, censent corruptum esse e ובשבו (2 Reg. 8,13; cf. LXX), *et cum reverteretur*, cui voci defiguratae facile adscribebatur *filius Saruiae*. Ergo : *cum reverteretur* de Syria David, *percussit etc.* David esse *subiectum* v. 12 ideo etiam probabile apparet, quod v. 13ª subiectum *David* non exprimatur. Aliter *Net.*, qui coniicit Davidem iam ante de fide Edomitarum dubitasse ideoque, cum in Syriam proficisceretur, reliquisse Abisai cum exercitu qui fines Iudaeae tueretur. Hinc verba 2 Reg. 8,13 « et fecit (sibi) David nomen » trahenda erunt ib. ad v. 12, quod commode fit. Adverte

plures susceptas esse in Idumaeam expeditiones : secundum 3 Reg. 11,15 sq. adstrui potest primum nostra haec expeditio, qua interfecti sunt pugnatores 18,000; dein Edomitae aliquam perpetravere caedem Hebraeorum (« ad sepeliendum eos etc. »); ad quam ulciscendam profecti sunt in Idumaeam David et Ioab et interfecere, non bellatores tantum, sed mares omnes. v. 13 « *Et constituit in Edom praesidium* », — ignorantur verba « in toto Edom constituit praesidium », seu praesidia, quae reapse nihil sunt quam ante dictorum repetitio — « *ut serviret Idumaea David, salvavitque Dominus David in cunctis, ad quae perrexerat* ».

v. 14 « *Regnavit ergo David super universum Israel, et faciebat iudicium atque iustitiam cuncto populo suo* ».

Sequitur elenchus supremorum ministrorum, quos eo tempore habuit David, qui idem est cum elencho 2 Reg. 8,16-18 : v. ib. — v. 15 « *Porro Ioab filius Saruiae erat super exercitum, et Iosaphat filius Ahilud a commentariis* ». v. 16 « *Sadoc autem filius Achitob, et Ahimelech filius Abiathar sacerdotes* ». Cum *LXX Vulg.* et 2 Reg. 8,17 pro *Abimelech* corrige *Ahimelech* vel *Achimelech*. Hinc suam probabilitatem habet opinio ordinem nominum esse invertendum : *Abiathar filius Achimelech*, atque sermonem esse de eodem pontifice Abiathar, qui 1 Reg. 22,20 ad David confugit, postquam pater eius Achimelech Saulis iussu est trucidatus, quique etiam alias in actis David et Salomonis commemoratur. Aliam explicationem v. CR p. 332. Tamen nomina illa non inverto h. l., cum ille Achimelech filius Abiathar item reperiatur 24,3. 6. 31 et 2 Reg. 8,17 : durum est adstruere, quinque diversos textus eadem nomina legere ordine inverso. Praeplacet igitur opinio *Net.*, Achimelech filium Abiathar praefuisse sanctuario Sione ita, uti Sadoc sanctuario Gabaone. Reapse 16,4 non scribitur nomen pontificis Sion, dum v. 39 pontifex Gabaon scribitur Sadoc : potuit ergo ille pontifex Sion esse Achimelech. Secundum hanc hypothesin Abiathar eo tempore fuit unicus pontifex : sed fuere pontifices vicarii duo, Sione Achimelech et Gabaone Sadoc. Non decebat, ut pontifex qui esset summus et Sadocum dignitate antecelleret, eadem sacra officia perageret Sione, quae Sadoc peragebat Gabaone. Coniicio igitur, peracta arcae translatione, Davidem ita instituisse pontificem Sione, uti Gabaone pontifex erat Sadoc, Abiatharum vero voluisse esse unicum pontificem *summum* : decebat enim *unum* esse supremum religionis caput. Ab illo translationis die coniicio Sadoc et Achimelech fuisse pontifices vicarios. Ad 15,11 v. ib. Interpretatio haec tanto facilior est, quod, ubi nos vertimus « pontifex », Hebr. habeat « sacerdos », quae vox designare potest vel simplicem sacerdotem vel ponti-

ficem vicarium vel pontificem. Ergo *consiliariis* Davidis accensebatur primum non summus pontifex, sed eius duo vicarii : 18,16; 2 Reg. 8,17; postmodum 2 Reg. 20,25 summus pontifex Abiathar cum uno vicario Sadoc; item sub Salomone 3 Reg. 4,4. In his vero textibus ideo Sadoc nominatur primus, quia mox factus est summus pontifex, Abiathare deposito. Haec explicatio facile explanat illos duos textus.

« *Et Susa scriba* », de cuius nominis variis lectionibus v. CR p. 332 et ad 3 Reg. 4,3. v. 17 « *Banaias quoque filius Ioiadae super* [*legiones*] *Cerethi et Phelethi* ». Unice vere על pro ו. « *Porro filii David primi ad manum regis* ». Ita circumscribit chronista expressionem « sacerdotes » 2 Reg. 8,18, quae facile offensioni futura erat suis lectoribus.

2. *Accuratior descriptio belli contra Ammonitas et Syros*
1 *Par*. 19,1-20, 3.

Contextus narrationis 2 Reg. planus est. Promiserat Iahve 7,11 sqq., se Davidi largiturum esse victoriam de inimicis omnibus, firmiter stabiliturum eius dynastiam, ratam habiturum aedificationem templi. Primam promissionis partem implevit Iahve 8,6. 14 adiuvans Davidem in bellicis expeditionibus omnibus. Qui vicissim « sanctificabat » Iahvae optimam partem praedae. Tandem 8,15-18 habes regnum Davidis firmiter stabilitum et ordinatum. Sequuntur cap. 9 aliqua spectantia domum Saul, cuiusmodi chronista praetermittere consuevit. Sequitur cap. 10 bellum ammoniticum, quod occasio fuit peccati Davidis, quo misere confusae sunt Davidis res domesticae et publicae, sed occasio item remotior generati Salomonis. At chronista hoc peccatum Davidis maximum silet, uti etiam peccatum Salomonis. Hinc bello ammonitico subnectit id, quod 2 Reg. 24 habetur in fragmento tantum, loco non suo, de numeratione populi a Davide attentata, quae occasio fuit areae Ornan divinitus designandae, quo loco sc. aliquando aedificandum foret templum.

Cap. *XIX* v. 1 « *Accidit autem*, » *post haec*, « *ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, et regnaret filius eius* » *Hanon* (*LXX*) « *pro eo* ». *Post haec*, non post ea quae habentur 18,14-17 et florentem per longius tempus regni davidici conditionem describunt : expressio h. l. induit latiorem significationem *praeterea*. Ita *Cai*. ad 2 Reg. 10,1 : « Non significatur ordo temporis inter mortem regis Ammonitarum et res gestas et scriptas in cap. 8, quoniam ibi summarie per capita collecta sunt universa bella gesta a Davide ». Reapse quae 18,11 traduntur de

spoliis Ammonitarum, referuntur ad bellum cap. 19 sq. Unde quaeri potest, utrum bellum contra Syros cap. 19 actum sit ante an post illud cap. 18. Num David « perrexit, ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten » (18,3), quamdiu integris viribus perseverabant interiecta regna Maacha et Ammon? Num Soba et Maacha laturi erant Ammonitis contra Davidem opem, quando is 18,6 habebat praesidia Damasci? Tamen clades Sobaitarum 18,4 sqq. non videtur fuisse plane exitialis, cum duae tantum v. 8 urbes Sobaitarum expugnatae recenseantur; potuere illi fortasse vel post illam cladem opem ferre Ammonitis.

v. 2 « *Dixitque David* », i. e. *cogitavit* : « *Faciam misericordiam* », quae eadem vox mox *gratiam* vertitur, « *cum Hanon filio Naas; praestitit enim mihi pater eius gratiam* ». De qua gratia v. CR. « *Misitque David nuntios ad consolandum eum super* [*morte*] *patris sui. Qui* » *servi David* « *cum pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon* », v. 3 « *dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon* : [*Tu forsitan putas*], *quod David honoris causa in patrem tuum miserit, qui consolentur te; nec* [*animadvertis quod*], *ut explorent et investigent et scrutentur terram* [*tuam*], *venerint ad te servi eius* ». Principes suspicionem movere regi recens ad regnum evecto. *Hebr.* : *ut investigent et evertant et explorent regionem*, contra 2 Reg. 10,3 : « ut investigent urbem, et ut explorent et evertant eam ». Verbum *evertendi* utique scribendum erat post verbum *explorandi*. *LXX* h. l. : *ut investigent urbem et explorent regionem*; in locum vocis את העיר in textu obscuratae substituerit aliquis e 2 Reg. 10,3 vocem ולהפך. v. 4 « *Igitur Hanon pueros David* [*decalvavit et*] *rasit, et praecidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et dimisit eos* ». *Hebr.* : *praecidit dimidias tunicas* a pedibus *usque ad locum gressuum*, במפשעה, locum ubi crura dividuntur. Quae expressio delicatior est ea 2 Reg. 10,4 שתות, « nates ». Etiam priorem ignominiam Hebraeis illatam attenuat chronista : erat iam magna ignominia tonderi, licet maior sit dimidia barba privari. Qui credebantur advenisse ad exploranda secreta regionis, ipsi ignominiose nudabantur.

v. 5 « *Qui cum abiissent et hoc mandassent David, misit in occursum eorum, grandem enim contumeliam sustinuerant* », multo enim pudore conficiebantur, « *et praecepit* » *rex*, « *ut manerent in Iericho, donec cresceret barba eorum, et* [*tunc*] *reverterentur* ». Verba 2 Reg. 10,5 « et nuntiaverunt David » *explicat* chronista : *et venerunt* aliqui *et nuntiaverunt Davidi de viris*; i. e. *venerunt nuntiatum*. Verbum *veniendi* haud raro alteri verbo veluti pleonastice copulatur, cf. Num. 24,25 : « ivit et reversus est », seu « ivit ut reverteretur ». Nequa-

quam expungendum verbum ideo (*Ber.*), quia non legitur 2 Reg. 10,5. Imo neque superfluum erit, si illud cum *Oe.* trahas ad praecedentia : *dimisit eos et iverunt* : sed cur aliud verbi *iverunt* adstruas subiectum, atque sequentis verbi *nuntiaverunt*?

v. 6 « *Videntes autem filii Ammon quod iniuriam fecissent David* », — *Hebr.* : *quod se foetere fecissent apud David* : hithpael pro niphal 2 Reg. 10,6; item h. l. mox inseritur subiectum *Hanon* — « *tam Hanon quam reliquus populus miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia et de Syria Maacha et de Soba currus et equites* », seu verius *equos*. Inde a *conducerent* textus v. 6 sq. pluribus dissonat a textu 2 Reg. 10,6. *Aram Naharaim* non est *Mesopotamia*, sed est ea pars Syriae quae apud Aegyptios propter aquarum abundantiam Naharina audiebat (W. M. Müller : Asien und Europa, Leipzig 1893, p. 248 sqq.), parum distans ab Ammonitide, quippe e qua fuerit Balaam (CN p. 259 sq.). Non est eadem atque *Aram Rohob*, quae 2 Reg. 10,6 legitur item primo loco : erat Rohob Ios. 19,28 in finibus Aser et Nephthali, ad meridiem vallis quae Libano et Antilibino concluditur. Regnum Rohob tum in potestate *Aramaeorum* erat, ut etiam regnum *Maacha*, quod ideo h. l. *Aram Maacha* audit, erat autem (Ios. 13,13) circa austrum montis Hermon situm. *Soba* seu *Aram Soba* (2 Reg. 10,6) v. 19,3. Vides illud fuisse tempus, quo *Aramaei* omnes circa aquilonem Chanaanitidis tractus armis subegerant, neque sua solum bella gerebant, sed tamquam mercenarii pro aliis dimicabant. Mercedem chronista adscribit. v. 7 « *Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha cum populo eius* ». Igitur *currus* illos conduxerunt de Naharina, Maacha et Soba; quid Maachitarum conduxerint, non scribitur. Porro 2 Reg. 10,6 narrantur conduxisse de Rohob et Soba *pedites* 20,000, de Maacha 1,000 et de Istob 12,200, sane item *pedites*. Haec non pugnant inter se, fuerintque disiecta membra eius, quae primitus una fuerit, enumerationis auxiliorum.

Tamen textus sunt perquam affines. Admirationem facit, 2 Reg. 10, 6 non scribi את ante Istob, cum id tribus praecedentibus nominibus praefigatur. *Istob* regio inaudita, neque gratuito confundenda cum *Tob* Iud. 11,3. 5 (cf. 1 Mach. 5,13). An Maacha solos 1,000 viros suppeditavit? Quare coniicit *Wellh.*, 2 Reg. 10,6 delendum esse אלף איש atque vertendum : *et regem Maacha*, cuius nomen *Istob, 12,000 viros*. Solutio sat plana, in qua illud unum mireris, tradi solius regis Maacha nomen, non regum Rohob et Soba. Expunctis illis 1,000 viris, habes 2 Reg. 10,6 viros 20,000 + 12,000 = 32,000, qui idem numerus habetur 1 Par. 19,7 : unde suggerit *Wellh.* eundem hic et ibi ha-

beri textum. Sed id non concesserim; agit sc. v. 7 de *curribus*, 2 Reg. 10,6 de *peditibus*. Igitur cum *Klost.* duos affirmo textus, habentes partim eadem, partim diversa, quos utique censeo aut unum primitus textum fuisse aut, quod fere in idem recidit, e communi fonte fluxisse. Reliqua etiam v. 7 non habentur 2 Reg. 10.

« *Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba* ». מידבא, Μηδαβα : Num. 21,30; Ios. 13,9.16, hodie Mâdebâ ad austrum Hesebonis sita, in capite vallium quae ab imo Iordane ascendunt in Moabitiden. Castris ibi collocatis et alliciebantur Moabitae, et Rubenitae ac Gaditae plures a reliquo Israele intercludebantur. Erat autem locus ad proelium aptus, ubi campus v. 9 curribus atque equitibus commodus erat, et Hebraei ascensu fatigati numerosiores hostes urbemque munitam obiectam haberent. « *Filii quoque Ammon, congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum* ».

v. 8 verbotenus idem est cum 2 Reg. 10,7 : « *Quod cum audisset David, misit Ioab et omnem exercitum virorum fortium* ». *Hebr.* : *Gibborim*. Contra solam cohortem Gibborim nimium numeris praevalituri erant hostes, neque ea sola cohors vocanda erat *omnis exercitus*; 2 Reg. 11,11 contra Ammonitas prodiit totus exercitus cum ipsa imo arca; ergo probabilius inserenda copula (*Klost.*) : *omnem exercitum et Gibborim*. v. 9 « *Egressique filii Ammon direxerunt aciem iuxta portam civitatis* », quae portam habens utique munita erat; « *reges autem, qui [ad auxilium eius] venerant, separatim in agro [steterunt]* »; fortasse ut Hebraeos nec opinantes adorirentur, dum illi urbem aggrederentur. v. 10 « *Igitur Ioab, intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, et perrexit contra Syrum* », seu verius aciem *direxit*, disposuit, uti similiter v. 11 non *perrexerunt*, sed *direxerunt*. Solus tandem v. 14 Ioab hostes sibi obiectos adoritur, Abisai subsistit in loco suo. Quem nonnisi lentius adoriri potuere Ammonitae *pedites*. Non omnes *electos* elegit sibi Ioab, sed de illis plures, reliquos permittens Abisai. Certe non solos Gibborim sibi elegit, secus hoc nomine designarentur illi electi : an praeter alios quosdam omnes Gibborim, vel horum etiam aliquos concessit Abisai? v. 11 « *Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui, et perrexerunt* » (v. s.) « *contra filios Ammon* ».

v. 12 « *Dixitque : Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi; si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in praesidium* ». Si unus vinceretur, alter vinceret, hic fratri ab inimicis presso laturus erat auxilium (*Tost.*); vel si uno cedente alter hostes contineret adhuc, hic sustentaturus erat cedentem fratrem, et ambo securius reversuri erant qua

venerant via. v. 13 « *Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro et pro urbibus Dei nostri* ». *Vulg.* 2 Reg. 10,12 « civitate Dei nostri », sed reliqui utroque loco « pro civitatibus Dei nostri ». Tota terra Israel omnesque eius urbes Iahvae erant (*Tost.*). Si vincebatur exercitus, omnes transiordanicae urbes, et fortasse plures etiam cisiordanicae urbes cum incolis in potestatem veniebant inimicorum. « *Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet* ».

v. 14 « *Perrexit ergo Ioab et populus, qui cum eo erat, contra Syrum ad proelium, et fugavit eos* ». Quaesieris, quomodo factum sit ut Hebraei isti, qui numero certe erant Aramaeis pauciores omnesque pedites, Aramaeos fugaverint, et in *campo* quidem patente (v. 9) dimicantes contra *currus*. Initium pugnae fecit Ioab, rem sane hostibus inexspectatam : quo *tempore* fecerit, non edocemur. Ascendit per loca *montana* curribus iniqua, ib. credendus est posuisse castra. Adversarii vix exspectabant Ioab descensurum esse in campum. Usus sit Ioab ea arte, qua saepe vicere Hebraei (1 Reg. 11,11), ut *prima luce* adrepens hostes adortus sit in castris dormientes. Nota non tradi numerum hostium, qui hoc proelio caesi sint : neque Aramaei neque Ammonitae de suis rebus desperavere. v. 15 « *Porro filii Ammon, videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem eius* », — quod epitheton non scribitur 2 Reg. 10,14. H. l. *LXX L Abisai fratrem Ioab, LXX R Abisai et Ioab fratrem eius*, e quibus lectionibus audaciores *Klost.* derivat conclusiones — « *et ingressi sunt civitatem, reversusque est* [*etiam*] *Ioab in Ierusalem* ». An ergo Ioab de foribus Medaba illico regressus est in Ierusalem? Sed adverte, Ammonitas quidem fugisse de foribus Medaba, sed ivisse in civitatem, uti Ioab ivit in Ierusalem. Sc. *civitas* non est Medaba, sed est urbs κατ' ἐξοχήν, caput Ammonitidis *Rabba*. Ammonitae ad res suas restituendas in urbem munitissimam se recepere, Aramaei socios advocavere, neutri de suis rebus desperabant : cum interim elapsum esset tempus anni, quod expeditionibus militaribus commodum erat, Ioab se in sua recepit, resumpturus bellum anno sequente. 2 Reg. 10,14, ante reditum in Ierusalem, habetur incisum : « et reversus est Ioab de filiis Ammon », quod suggerit Ioabum Ammonitas secutum esse usque in conspectum urbis Rabba.

In annum sequentem omnes paravere bellum : David hostes prior aggressus est, Aramaeorum non soli mercenarii ad certamen prodiere, sed ipse regni Soba summus dux cum exercitu. Videtur autem rex Soba regionibus imperasse in utraque Euphratis ripa, imo potiorem regni partem videtur habuisse ad orientem fluminis, ut tandem 18,3 sqq. David regni tantum partem quamdam minorem subegerit, So-

baeos ultra flumen reiecerit. v. 16 « *Videns autem Syrus, quod cecidisset* », victus esset « *coram Israel* », « rursum collectus est et » (2 Reg. 10,16) « *misit nuntios et adduxit* » « Adarezer et » (ib.) « *Syrum, qui erat trans fluvium* ». Omittitur vox extremo textui adscripta 2 Reg. 10, 16 חילם : Vulg. « et adduxit eorum exercitum » (!); LXX R Χαλαμακ, ubi κ esse repetitam primam consonantem sequentis καί docent LXX L Χαλααμα. 2 Reg. 10,17 חלאם, Keri חלם, in *Helam*, εἰς Αἰλαμ, εἰς Χαλααμα; pro quo h. l. אלהם, in eos, ἐπ' αὐτούς. Sed retento hoc pronomine, sequentia intolerabilem habent verbositatem; quare chronista quoque v. 17 censendus est scripsisse nomen proprium *in Helam*. Igitur Helam nomen fuit loci, quem sibi Syri illi omnes condixerant iungendarum copiarum, ad quem David illos antevertens properavit eosque fudit. Ergo locus non videtur fuisse prope Euphraten (*Oe.*), cum haud credendi sint Syri Maacha et Rohob. suis finibus plane relictis, usque ad Euphraten recessisse. Locum crediderim intra vel prope fines Chanaanitidis situm fuisse, sed ab Ammonitide remotiorem, Ammonitae quippe non videntur apud Helam dimicasse, licet v. 19 Aramaei pugnaverint ad eos extricandos; fortasse pars exercitus David eos obsessos tenebat in Rabba. Quodsi factum esse supponas, facile perspicies Davidem cum altero exercitu inopinatum supervenisse Aramaeis, qui exspectarent nonnisi apud Rabbam sibi fore dimicandum. v. 17 efficit Helam fuisse in transiordanica, ad quam veluti unico itinere citato David raptim pertigit, fortasse in Basanitide. « *Sophach autem, princeps militiae Adarezer, erat dux eorum* ». שופך, Σωφαθ, Σωφακ; sed 2 Reg. 10,18 שובך, Sobach, Σωβακ, Σαβεε.

v. 17 « *Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel* », bellatores eos omnes, qui non iam obsidenda Rabba forte occuparentur, « *et transivit Iordanem, irruitque in eos* », — verte (v. s.) : *et ivit in Helam* — « *et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus* ». *Hebr.* : *et direxit contra eos, et direxit David contra Aram pugnam, et pugnaverunt cum eo*. Ubi 2 Reg. 10,17 : « et direxerunt Aram contra David, et pugnaverunt cum eo ». Discrimen potissimum illud, quod 2 Reg. *Aram* faciat subiectum, chronista *David* : quod ad sensum parum refert, utrique enim pugnavere, utrique aciem direxere. Verba nostra *pleonasmum* habent. ויערך אלהם, *et direxit contra eos*, est fortasse otiosa repetitio verborum ויבא אלהם, *et ivit ad eos* (seu verius *ivit in Helam*). Quoad ea, quae sequuntur, annon fuerit textus primitus hic : ויערך לקראתם בחלם, *et direxit contra eos in Helam*, e quo facile partim corruptione, partim explicatione nascebantur duo textus 2 Reg. 10, 17 et 1 Par. 19,17? v. 18 « *Fugit autem Syrus Israel, et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta*

millia peditum ». Ita h. l. omnes, itemque Vulg. 2 Reg. 10,18. Sed ibi Hebr. « 700 currus et equites 40,000 »; LXX L « 700 equites et pedites 40,000 ». De quibus dicebamus CR p. 342. Probabilior utrobique lectio : 700 equites et pedites 40,000, quibus fortasse adscribebantur 1,000 currus. Sed nomen *currus* certe minus aptum est, quod scribatur tamquam primum obiectum verbi *interficere*. Quodsi exercitus Aramaeorum solis constabat curribus et equitibus, vix perspicitur quomodo Hebraei pedites tantam potuerint efficere stragem. « *Et Sophach exercitus principem* » *occidit*.

v. 19 « *Videntes autem* » « omnes reges » (2 Reg. 10,19) « *servi Adarezer, se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David* ». — *Hebr.* : *pacem pacti sunt cum David* — « *et servierunt ei* ». Damascum certe 18,6 subegit David et suum ibi praesidium constituit. Inde reliquos per Syriam regulos in obsequio continuit, qui omnes ad Euphraten usque annua tributa pependere. Ita intelligendum illud 18,3, victoria de Adarezer reportata imperium Davidis extensum esse usque ad Euphraten : non cogimur adstruere Davidem cum exercitu ad Euphraten tum penetrasse, sed reguli illi omnes ei annuum tributum afferebant Damascum vel alio. « *Noluitque ultra Syria auxilium praebere filiis Ammon* ». Illis deinceps sine sociis contra Davidem pugnandum fuit.

Cap. XX v. 1 « *Factum est autem post anni circulum, eo tempore quo* [*solent*] *reges* [*ad bella*] *procedere* », — ויהי לעת תשובת השנה לעת צאת המלכים, *et factum est tempore reversionis anni, tempore egressus regum*. Verbotenus uti 2 Reg. 11,1, ubi solum pro priore לעת : ל, sensu plane eodem. Unice vere h. l. et Keri 2 Reg. 11,1 מלכים, *reges*, pro Kethib מלאכים, *nuntii*. *Tempus reversionis anni* idem sonat atque *anno sequente*. Cf. *I. C. Matthes* in ZWT, Leipzig 1895, p. 321 sqq. Exprimit sc. reditum anni ad aliquod punctum accuratius determinandum, sive illud fuerit initium anni civilis vel sacri, sive aliquis eventus, inde a quo elapsum esse affirmetur intervallum 12 mensium. Determinatur punctum h. l. adscriptis verbis *tempore egressus regum*. Quae explicant cum *Vulg*. plures : quo tempore *solent* etc. Insinuant in textum vocem *solent*. Adstruunt *morem* quemdam generalem et uniformem, certe non regum Hebraeorum qui non erant ita bellorum exterorum amantes, sed regum sive orientis quorumlibet sive regum aramaeorum, quoties susciperent bellum aliquod, id faciendi certo aliquo tempore. Quod tempus adstruunt fuisse *initium anni* sacri, sed eo tempore subsistendum erat domi ad colligendas messes, quas illico excipiebat tempus anni ob calores malesanum. Textus facilius vertitur sic : *vertente anno, quo tempore egressi fuerant reges*. Porro sententia

temporalis 20,1 (2 Reg. 11,1) intime nectitur sententiae 19,19 (2 Reg. 10,19), quae 2 Reg. 10,19 habet vocem : Videntes autem *reges*. Patet iam, de quibus *regibus* agatur 20,1 : utique de regibus Naharaim, Maacha et Soba, praeter alios qui ab Adarezer defecere ad Davidem. Ergo sensus sententiae temporalis obvius videtur esse hic, intercessisse annum praecise unum inter tempus, quo 19,7 Aramaei Ammonitis foederati prodierant in aciem apud Medabam, et inter tempus, quo Aramaeis devictis atque in obsequium receptis, Ioab obsidionem Rabbae aggressus est. Ergo uno anno reges fugati apud Medabam in Helam substitere atque socios adscivere, ibi a Davide prostrati sunt, Damascus expugnata, regulorum usque ad Euphraten omnium obsequium acceptum. Vere Davidem « Iahve adiuverat in cunctis, ad quae perrexerat » (18,6).

« *Congregavit Ioab* [*exercitum et*] *robur militiae* », — *Hebr. robur exercitus*, non totum exercitum, cf. 2 Reg. 12,28. 2 Reg. 11,1 : « et misit David Ioab et servos suos cum eo, totumque Israel » : idem aliis verbis — « *et vastavit terram filiorum Ammon, perrexitque et obsedit Rabba; porro David manebat in Ierusalem* ». Addita *terram, perrexitque*; secus verbotenus uti 2 Reg. 11,1. Inseritur vero h. l. 2 Reg. 11,2-12,25 ex alio fonte derivata narratio de adulterio David et nativitate Salomonis; quam tacet chronista, uti etiam illud 2 Reg. 12,26-29 Ioabum, quando iamiam esset Rabbam expugnaturus, accersivisse Davidem, ut in hunc derivaret captae urbis honorem. *Et*, pro qua copula Vulg. scribit « *quando, Ioab percussit Rabba et destruxit eam* ». v. 2 « *Tulit autem David coronam Melchom de capite eius, et invenit in ea auri pondo talentum et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema* ». Non infitior, Melchom (3 Reg. 11,5.33; 4 Reg. 23,13) fuisse nomen idoli Ammonitarum; unde etiam explicatur vocis h. l. et 2 Reg. 12,30 apud *Masor*. punctatio. Sed nego, Davidem coronam idoli mutaturum fuisse in diadema sibi, contra explicitam prohibitionem Deut. 7,25 (*Tir.*) : illud aurum et gemmae, si idoli erant, sanctificanda erant Iahve. Quare assentior *LXX L*, utroque loco vertentibus τοῦ βασιλέως αὐτῶν, item *LXX R* Μολχομ τοῦ βασιλέως αὐτῶν, ubi Μολχομ est explicatio perperam adscripta; item *Vulgatae* 2 Reg. 12,30 « regis eorum »; item *Ios*. Ant. VII. 7.5, *Cai*., *Sa*, *Tir*. etc., vertendum esse *regis eorum*, sc. filiorum Ammon v. 1. Ad obiectionem (*Tost*.) regem in expugnatione urbis non gestaturum fuisse coronam, cum *Cai*. appello 2 Reg. 1,10 Saulem in proelio gestantem diadema : sc. diadema non erat corona, sed circulus aureus, quo rex etiam in proelio et expugnatione ab aliis discernebatur. Huic regi Ammonitarum fuisse nomen Hanon, habes e 19,2. Fueritne a Davide supplicio affectus,

non liquet : certe Roboam Salomonis filius, Davide uti videtur necdum mortuo, natus est matre Ammonitide et fortasse Hanonis filia. Potuit David severe animadvertere in populum v. 3, et simul regi parcere ad eius fidem sibi devinciendam. « *Manubias quoque urbis plurimas tulit* » — i. e. *praedam.*

v. 3 « *Populum autem qui erat in ea eduxit, et fecit super eos tribulas et trahas et ferrata carpenta transire,* [*ita ut dissecarentur et contererentur*]. *Sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon, et reversus est cum omni populo suo in Ierusalem* ». Textui perdifficili (cf. CR p.356) lucem affudit *G. Hoffmann* (ZATW II [1882] p. 53 sqq.). מלבן 2 Reg. 12,31 omnino est *margo ligneus rectangularis* fenestrae, lecti, imprimis vero *typus laterum* (*Vulg.*), πλινθίον, receptaculum illud ligneum, in quod comprimebatur argilla ad efficiendos lateres; pro העביר ib. facili correctione lege העביד. Non fecit David Ammonitas *transire per illos typos*, sed fecit *laborare in illis*, fecit laterarios. Et hoc quidem de laterariis incisum h. l. omittit chronista; sed secundum illud explicanda, quae ibi et etiam h. l. habentur. וישם ב, h. l. deformatum in וישר ב, non est *posuit subter* (serras etc.), sed *posuit* seu *constituit in*. Ergo : *Et constituit eos* (operarios) *in serris et ligonibus ferreis et in securibus* (ferreis). מגרה 3 Reg. 7,9 scribitur de serris adhibitis in secandis *lapidibus*. Laboribus item in *lapidibus* faciendis commode attribues alia instrumenta *ferrea*. Cf. RB VII (1898) p. 253 sqq. Noster textus bis scribit idem nomen מגרה : sed pro altero מגרה 2 Reg. 12,31 מגזרה, ἅπαξ λεγόμενον, quod coniicientes vertunt *securim*. En tibi e textu eliminatam inauditam illam Davidis *crudelitatem*, qui per omnes urbes Ammonitas devictos serris dissecuisse etc. ferebatur. Applicuit eos *angariis* praestandis, uti patet non ab omnibus simul, sed certis vicibus. Eorum opera usus est in aedificiis et munitionibus construendis, lateribus parandis et lapidibus caedendis.

3. *Accuratior descriptio bellorum contra Philisthaeos* 1 *Par.* 20,4-7.

Pericope v. 4-7 se habet ad 18,1, sicut pericope 19,1-20,3 habet ad 18,3-8 : sicut sc. pericope 19,1-20,3 illustrat ea, quae summario retulerat 18,3-8, ita 20,4-7 explicat expugnationem Geth, cuius mentio habebatur 18,1. Unde patet pericopen 1 Par. referri in nativo suo contextu, dum eadem 2 Reg. 21,18-22 fragmentum est, quod 21,1-14, fortasse sine arctiore contextu sed alterum tantum fragmentum, antecedunt aliqua spectantia historiam domus Saul.

Descriptio haec bellorum philisthaeorum valde diversa est a praece-

dente descriptione belli contra Aramaeos et Ammonitas. Non magnos exercitus producunt Philisthaei, non invadunt Iudaeam, sed sua defendunt, pedem ferunt retro, fisi proceritate quorumdam suorum magis quam numeris. Bella omnia contra Gethaeos (v. 7). Ultimum certamen v. 6 sq. actum est in ipsa urbe *Geth*, quod nomen legunt textus omnes. Paenultimi certaminis locus v. 5 tacetur, sed 2 Reg. 21,19 scribitur *Gob*, גב seu, quod eodem redit, Ῥομ, Ῥεϐ. Gob *cisternam* sonat, eratque fortasse cisterna quaedam in foribus urbis Geth, pro qua dimicabatur. v. 4 omnes legunt Gazer, sed Gazer civitas erat non philisthaea sed chananaea. 2 Reg. 21,18 Gob, גב, Γεθ, Γαζεθ : probabilior lectio *Gob*.

Sed aliud habetur bellum 2 Reg. 21,15-17 reliquis anterius, quod 1 Par. tacetur. Ubi, admiratus *Wellh.* taceri nomen *loci*, suggerit וישבו בנב non esse vertendum « Iesbibenob », sed « et morabantur in Nob »; ergo in *Nob* actum esse proelium istud, excidisse vero e textu nomen gigantis. Sed aliud suadent *LXX*. Sc. *LXX R* nomen scribunt Ἰεσϐι, quod est *Keri* ישבי, post quod non legebant בנב. *LXX L* autem nomen tradunt Δαδου υἱὸς Ἰωας, ubi Δαδου est otiosa repetitio praecedentis nominis *David*. υἱὸς Ἰωας = בן יואש, corruptum ex וישבי בנב. Ergo restituendus textus : *Et fatigatus est David in Nob*; *Iesbi vero etc.* Habetur Nob in Beniamin prope Anathoth, ad aquilonem Ierusalem 2 Esdr. 11,32; 1 Reg. 21,1 etc. Si haec urbs h. l. intelligatur, pugna illa acta est utique contra Gethaeos (2 Reg. 21,22 « quatuor »), sed procul Geth, fortasse quando post proelium 2 Reg. 5,22 sqq. (v. ad 1 Par. 14,13 sqq.) David insequebatur fugientes Gethaeos; quem exhaustum viribus adortus sit Iesbi, sed Abisai salvaverit. Ita ea pugna locum habuerit ante translationem arcae de domo Obededom, et 2 Reg. 21 commemoretur una cum reliquis contra Gethaeos et Raphaitas pugnis, quod nullam habet difficultatem; neque enim supponere cogimur, Gethaeos unico anno esse subactos. Facile etiam (*Wellh.*) *Gob* defigurabatur in *Nob* : tamen lectionem גנב pro בנב 2 Reg. 21,16 nullus textus habet. Igitur retine textum, qualem supra restituebamus : explicat ille, cur David scribatur esse *fatigatus*, praecesserat sc. proelium 1 Par. 14,13 sqq. Cur chronista hanc primam pugnam omisit? Suggeres, eum perspexisse textum esse mancum, certe obscuratum esse nomen loci. Sed ratio probabilior est, voluisse chronistam adhaerere ordini temporum, ideoque eam pugnam tacuisse, quae non fuit pars expugnationis Geth 18,1.

Quoad singula v. CR. v. 4 « *Post haec* », uti 19,1 generaliori sensu *praeterea*, « *initum est bellum in Gazer* » (v. s.) « *adversum Philisthaeos, in quo percussit Sobochai Husathites Saphai de genere Ra-*

phaim, et humiliavit eos ». *Hebr.* : *et humiliati sunt*, sc. Philisthiim. Pro סף, *Saph*, Σεφο h. l. ספי, *Saphai*, Σαφουτ, Σαπφι. v. 5 « *Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthaeos* » in Gob (v. s.), « *in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethaei, cuius hastae lignum erat quasi liciatorium texentium* », plane uti lignum hastae Goliath 1 Reg. 17,7. *Vulg.* fere vertit ut 2 Reg. 21,19, neque satis accurate. Non erant vertenda nomina propria, sed pro *Adeodato filio Saltus* scribe *Elchanan filium Iaur* vel *Iair* (*Keri*). Bene ignoratur prius ארגים, otiosa vocis repetitione ortum; Elchanan non fuit « polymitarius ». Sed neque fuit *Bethlehemites*, sed occidit virum *Lachmi*; non occidit Goliath dudum ab ipso David occisum, sed *fratrem* Goliath. Verte : *percussit Elchanan filius Iaur* (?) *Lachmi fratrem Goliath etc.* Cf. *Cai.* v. 6 « *Sed et aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus* », — quem sensum certe habet מדה; fuisse gigantem demonstrat origo ex Rapha v. 6 et audacia v. 7 contra Hebraeos. Mirum est viri non tradi *nomen*. Sed 2 Reg. 21,20 מדין, Keri מדון, LXX R Μαδων, LXX L ἐκ Ῥαχζης = מרו vel מרץ. Ipsi profecto interpretabantur nomen proprium *Madon* vel *Madin* — « *senos habens digitos* », — explicitius 2 Reg. 21,20 : « et digiti manuum eius et digiti pedum eius seni » — « [*i. e. simul*] *viginti quatuor*; *qui et ipse de Rapha fuerat* [*stirpe*] *generatus* ». v. 7 « *Hic blasphemavit Israel* », similiter aque fecit Goliath, provocans ad certamen singulare, « *et percussit eum Ionathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum eius* ».

III. LOCUS PRO TEMPLO AEDIFICANDO DAVIDI DIVINITUS PRAEMONSTRATUS 1 PAR. 21,1-22,1.

Arg. — David ulteriora bella ambitiose meditabatur. Hinc indixit populi numerationem. Quem Iahve immissa in populum triduana pestilentia plectit, atque a consiliis ambitionis revocat ad consilium omnium maxime necessarium, consilium aedificandi templi. Etenim, cum plaga iam ipsi urbi Ierusalem immineret, conspexit David angelum Dei in area Ornan consistentem, gladium stringentem contra urbem, sed ad Dei nutum in vaginam eundem remittentem, atque inde perspexit aream Ornan a Deo designari locum templo aedificando. Aream emit ibique altare exstruxit, in quo uno deinceps ipse sacrificia immolabat.

Cap. XXI v. 1 « *Consurrexit autem Satan contra Israel* ». Nomine שטן designatur diabolus nonnisi in libris V. T. recentioribus : Zach.

3,1 sqq.; Iob 1,6 sqq.; 2, 1 sqq. Causa pestilentiae 2 Reg. 24,1 scribitur « furor Iahve ». Post tot prostratos hostes *insurrexit* contra Israelem adversarius alius longe terribilior Satan, fuitque causa inflictae divinitus pestilentiae. Satan inimicus *Iahve* cum sit, idem est inimicus populi Iahve, *Israelis*; tentat *regem* Israelis, quo ipsi populo noceat. « *Et concitavit David, ut numeraret Israel* ». Breviora haec, quam 2 Reg. 24,1[b], ubi etiam oratione directa exprimitur tentatio.

Cur iniit David consilium numerandi populi? Obvia ratio : quia alia meditabatur bella (*Barnes*). Iusta fuerant bella in Philisthaeos Chanaanitiden incolentes suscepta; iusta bella contra Moabitas, Edomitas, Amalecitas, antiquos populi Dei hostes; iustum bellum contra Ammonitas, qui grave opprobrium intulerant legatis Davidis, et contra Syros eorumdem socios. Quibus bellis David fines regni extenderat a flumine Aegypti ad Euphraten. *Ambitione* actus iam cogitabat David aliis bellis fines extendere, imo p. 287 sqq. suggerebamus, Davidem iam ante haec aliqua bella gessisse, quae Iahve nequaquam probarentur. Quod erat praeter consilium Iahve, qui nunquam extensionem finium ultra illa flumina promisisset.

Populus post tot bella desiderabat pacem. Quod iustum populi desiderium ignorare iniquum erat. Continuis praeterea bellis differebantur ea, quae templi aedificationem spectabant. Quare Deus immissa pestilentia Davidem ad saniora consilia revocavit.

Contextus hic facilis, apte nectens cap. 21 narrationi bellorum cap. 18-20. 2 Reg. 24, ubi eadem res per modum fragmenti traditur, levis nexus non cum iis, quae immediate praecedunt, sed cum narratione prioris plagae cap. 21 efficitur inserta voce יֹּסֶף, « iterum ».

Alias rationes commemorat *Net.*, cur David eam numerationem instituens peccaverit : *superfluam* fuisse numerationem, cum centuriae et chiliades exercitus ex tribubus et cognationibus cogerentur, ideoque facile a principibus exercitus, tribuum et cognationum exquiri posset numerus armatorum; fuisse numerationem *alienam a fiducia* Iahvae debita, qui promisisset victoriam legem servaturis, indixisset clades neglecturis. Non promiserat Iahve victoriam in bellis non necessariis; neque volebat, ut bella imprudenter susciperentur : est autem prudentis ducis numerare ante bellum exercitum. E pluribus V. T. locis colligitur, Hebraeos quoque ante bella numerasse exercitum, David certe postmodum (cap. 27) numeravit exercitum, imo 23,3 ipsos levitas. Penitius discitur exercitus robur numeratione, quam colloquiis cum principibus habitis. Ergo numeratio cap. 21 Iahvae non probabatur non ex se, sed propter adiuncta, ambitionem.

Neque, quod duae numerationes Num. 1; 26 factae sint iubente

Deo, inde consequitur nefas fuisse numerare populum, *Deo non iubente*. Castra moverant in deserto Hebraei iubente Deo : num regibus Hebraeorum nefas, movere castra inconsulto Deo? Licite potuisse institui populi numerationem, habet lex Ex. 30,11-16 sanciens, quaenam in eiusmodi numeratione essent observanda.

Ubi suggerit *Barnes*, Davidem praetermisisse id quod ea lege praescribebatur, ut a numeratis singulis exigeret dimidium siclum pro usu sanctuarii. At quomodo demonstrabis, id praetermisisse regem, qui in sanctuarium haud consuevit esse avarus? Tandemne propter siclos iratus est Iahve? At si hanc chronista compertam habebat fuisse potissimam inflictae plagae causam, eam utique nobis erat traditurus, cui illud imprimis cordi est, ut sua sanctuario pendantur. Ipsam numerationem suggessit Satan, non siclorum omissionem.

v. 2 « *Dixitque David ad Ioab et ad principes populi : Ite et numerate Israel a Bersabee usque Dan, et afferte mihi numerum, ut sciam* ». Idem aliis verbis magisque succincte 2 Reg. 24,2. Ubi שר corrigendum esse in ואל שרי, docet sequens אשר אתו : ergo qui h. l. vocantur *principes populi*, iidem ibi accuratius describuntur fuisse principes exercitus. Sc. v. 2 agit de consilio *militari* habito cum *ducibus*, non de comitiis principum populi; non vocabantur neque pontifices neque prophetae.

Norat Ioab sensa populi et militum. Antequam regis consilio obnitatur, profert argumentum rhetoricum, adulatorium. v. 3 « *Responditque Ioab : Augeat Dominus populum suum centuplum quam sunt* ». Verbotenus uti 2 Reg. 24,3. Obiectionis rationem ait Ioab non eam esse, quod regi augmentum subditorum invideat. Et adscribunt *LXX* verba 2 Reg. 24,3 : *et oculi domini mei regis id vident*, sc. magnum numerum militum; oculis videt rex magnum circa se collectum exercitum, neque ad id perspiciendum opus est numeratione. « *Nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt?* » Argumentum, quod contra regis consilium plus habet speciei, quam veritatis : quodsi reapse suscipiendae essent grandes aliquae expeditiones, utilis sine dubio futura erat exercitus numeratio. Tacite negat Ioab, nunc temporis eiusmodi expeditiones suscipi oportere. « *Quare hoc quaerit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?* » *Hebr.* : *Quare hoc quaerit dominus meus*, numerationem exercitus? Interrogatio invitat regem, ut ambitiosa sua consilia propalet; *ad quid fiat* ipse *Israeli in praevaricationem*, occasio praevaricationis? Praevaricaturus erat Israel, si contra regem murmuraret, imo rebellaret. Noverit etiam Ioab, longinquas expeditiones nequaquam probatum iri prophetis. Exercitus summus dux iudicabat fines regni esse tantos, quanti sufficerent pru-

denti regi et ab exercitu efficaciter defendi possent. Praevaricaturus erat rex, si consilia prudentiae ignoraret.

v. 4 « *Sed sermo regis* [*magis*] *praevaluit* » *prae Ioab*; 2 Reg. 24,4 additur « et prae principibus exercitus », quibus verbis non tamen illud efficitur, nullos principum consensisse regi. « *Egressusque est Ioab, et circuivit universum Israel, et reversus est Ierusalem* ». Omittitur itineris descriptio 2 Reg. 24,5-8. v. 5 « *Deditque* » *Ioab* « *Davidi numerum eorum, quos circuierat, et inventus est omnis numerus Israel mille millia et centum millia virorum educentium gladium, de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum* ». Distinguuntur uti alias numeri Israel et Iuda. Discordant numeri 2 Reg. 24,9 : 800,000 et 500,000. Recole, quae monebamus CR p. 451 : « 1 Par. 27,24 dicitur : Numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David. Aliis verbis, non exstabat *authentica* ratio illorum numerorum. Qua animadversione numeri tam 2 Reg. 24,9 quam 1 Par. 21,5 descripti, ab ipso sacro auctore declarantur non authentici : ergo eorum falsitas, etiamsi ipse auctor ea descripsit, veracitati sacri textus non officit, cum sacer auctor implicite declaret, se illos e fontibus indubiae auctoritatis non hausisse ».

Quodsi illi numeri (1,100,000 + 470,000 = 1,570,000) non sint *authentici*, atque hinc neque sint necessario *accurati*, possunt iidem etiam esse *vero maiores* : populus semper pronus est ad eiusmodi numeros exaggerandos potius quam minuendos. Erat specialis ratio numerorum census Ioab augendorum, quo sc. maiorem opinionem potentiae Hebraeorum conciperent alienigenae Chanaanitiden incolentes, imprimis Philisthaei.

Dicebamus CN p. 220 sqq., 600,000 viris armatis, qui cum Moyse scribuntur fuisse in deserto, correspondere summam populi $2^1/_2$ millionum. Simili computatione armatis Davidis 1,570,000 tribues populi summam $6^1/_2$ millionum. Belgium, regionum quae nunc sunt fere populatissima et ambitu fere aequans Palaestinam, habet incolarum 6 milliones. Sed in Palaestina plures erant tractus, qui nonnisi pauciores incolas alere potuere, tractus plures quorum incolae pastores ideoque rariores, alienigenae non pauci qui in censum non sunt recepti. Hebraeorum plures absorbuerant bella, quae gessit Saul atque, eo interfecto, domus Saul, tandem ipse David.

v. 6 « [*Nam*] *Levi et Beniamin non numeravit* » *in medio eorum*, « *eo quod Ioab invitus exsequeretur regis imperium* ». Versus non habetur 2 Reg. 24, sed a chronista haustus est e certo quodam fonte. Licet enim chronista probabili coniectura perspicere potuerit, *Levitas* numerationem fuisse recusaturos, quod lege Num. 1,47 sqq. se a nu-

meratione regia exemptos iudicarent, at quomodo potuit idipsum coniectare de *Beniamin*? נתעב, *abominatio factum est. LXX R* κατίσχυσε, *compellebat* eum mandatum aliquod regis eum revocans. Sed alia lectio προσώχθισεν, *fastidivit. LXX L* κατετάχυνεν, *accelerabat* eius reditum mandatum regis. Eundem fere sensum habet lectio κατετάχησεν, *celeritate antevertit*. Quae fere supponunt, regem indignatione populi adactum esse, ut Ioabum numeratione nondum completa revocaret. Sunt tamen haec tentamina versionis vocis נתעב, cum nulla vox habeatur similis formae, quam illis suis versionibus expressuri essent LXX. Habet vero textus asperitates duas. Otiosa videtur, quam ignorat Vulg., vox בתוכם, *in medio eorum*. Ubi quaeso numerandae erant singulae tribus nisi « in medio sui », in finibus suis? Parum apta item videtur quae adscribitur ratio, eas duas tribus non esse numeratas, *quia abominatio Ioabo erat mandatum regis*, seu « quod Ioab invitus exsequeretur regis imperium ». Quid virum iuvabat ab harum duarum tribuum numeratione abstinere, post numeratas reliquas undecim tribus? Utramque asperitatem tolles levi adhibita *ordinis verborum mutatione* : *etenim abominatio in medio eorum erat mandatum regis ad Ioab factum*. Quantumvis ipse conaretur, *non valuit* Ioab apud ipsos mandatum regis exsequi. Reliquae tribus, quod infirmiores essent vel segniores, invitae passae sunt se numerari. Sed Levitae in Ierusalem et alibi suum obiecere privilegium. Beniaminitae tam in Ierusalem quam prope Ierusalem incolentes, genus hominum semper audax, suam mandati regii abominationem libere professi sunt. Timebant forte ne, aucta per numerationem regis potentia, a Iudaeis penitus absorberentur; erant fortasse numeris infirmiores atque verebantur, ne ab aliis despectui haberentur. Sic vere factus est David suo edicto Israeli in praevaricationem (v. 3).

v. 7 « *Displicuit autem Deo*, *quod iussum erat*, *et percussit Israel* ». Pro qua sententia 2 Reg. 24,10ᵃ ita habet : « Et percussit Davidem cor eius », poenituit eum, « postquam numeravit populum ». Sensus hic est : ante omnem plagam poenituit David, deinde dedit ei Gad optionem trium plagarum, tandem secuta est plaga pestilentiae. Aliter chronista, et planius quidem. v. 1 dixerat, Satan concitasse Davidem ad aliquid contra placitum Iahve agendum; v. 3 dixerat ipse Ioab, rem a Iahve imputatum iri populo : valde apte v. 7 ante alia commemoratur indignatio Iahve. Ceterum etiam secundum chronistam Deus non ante inflixit plagam, quam Davidi data est optio plagarum. Quare mentio *percussionis* v. 7 intelligenda est *proleptice*; qua vero mente scripta sit, pandit extrema vox *Israel*. Monuerat Ioab v. 3, numeratione illa Davidem *Israeli* factum iri in praevaricationem : en iratus Deus

percutit *Israel*. Suggerit *Ber.*, chronistam eundem atque 2 Reg. 24,10ª textum prae manibus habuisse defiguratum, et e voce ויך, *et percussit*, intulisse sermonem esse de divina percussione. Quidquid egerit chronista, vera sunt quae scripsit.

Narratur porro v. 8 Davidis poenitentia. Quaeres, quae cogitata Davidem ad poenitentiam moverint, antequam aut plaga divinitus infligeretur, aut propheta eum corriperet. Rationem habes v. 6ᵇ, abominationem in medio Levi et Beniamin fuisse mandatum regis de numeratione instituenda. Murmurabant homines, vix non rebellabant, et Beniaminitae quidem qui proxime urbem habitarent, et Levitae, qui in urbe et passim in Iudaea erant. Qua ex re perspexit David se praevaricatum esse, idque perspexit, dum *noctu* perturbationes diei mente revolveret; scribitur quippe 2 Reg. 24,11 : « et surrexit David *mane* ».

v. 8 « *Dixitque David ad Deum : Peccavi nimis, ut hoc facerem : obsecro, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi* ». Respondet porro Deus Davidi non ipse, sed per prophetam (*Tost.*). v. 9 « *Et locutus est Dominus* » — solemnius 2 Reg. 24,11 : « et factum est verbum Domini » — « *ad Gad videntem Davidis dicens* » : — *videns* vocatur Gad etiam 29,29; 2 Par. 29, 25, h. l. *videns David*, et 2 Reg. 24,11 *propheta videns David*. Vocatur item 25,5 Heman « videns regis ». Erantne « videntes regis » similiter atque « sacerdotes regis » 2 Reg. 20,26? — v. 10 « *Vade et loquere ad David et dic ei : Haec dicit Dominus : Trium tibi optionem do, unum quod volueris elige, et faciam tibi* ». Eadem habes 2 Reg. 24,12. Ubi pro נטה, *propono* : נוטל, *impono*, voces forma simillimae, sensu eaedem. Etiam v. 11 sq. re idem sunt cum 2 Reg. 24,13. Quae illa tria sint, h. l. non explicat narrator sacer, cum ea mox explicaturus sit ex ore Gad. v. 11 « *Cumque venisset Gad ad David, dixit ei : Haec dicit Dominus : Elige quod volueris* » : v. 12 « *aut tribus annis famem; aut tribus mensibus te fugere hostes tuos et gladium eorum non posse evadere; aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terra, et angelum Domini interficere in omnibus finibus Israel. Nunc igitur vide, quid respondeam ei, qui misit me* ». 2 Reg. 24,13 brevius : « tribus diebus pestilentia in terra ». Hic vero *Hebr.* : *tribus diebus gladius Iahve, et pestilentia in terra, et angelus Iahve interficiens etc.*, quae omnia unum sunt, sc. *pestilentia*. Novit etiam 2 Reg. 24,16 sq. *angelum* : sed 2 Reg. 24,13 angelus tacetur; fortasse Gad haec verba ad Davidem loquens angeli non meminit, meminit autem chronista verba referens, quo penitius perspiciatur sequens narratio; non enim tenetur chronista verba referre ad verbum. Primum malum a *natura* infligendum durat per

tres annos; alterum ab *hominibus* infligendum, per *tres menses*; tertium a *Iahve* infligendum, per *tres dies*. Porro adverte, famem factam esse sub Davide tribus annis 2 Reg. 21,1 ob peccatum Saul; persecutionem inimicorum per Absalom factam esse, licet quamdiu duraverit nesciamus. Unde coniicio, Davidem famem et persecutionem expertum esse ante, quam ei h. l. optio daretur, quo tempore reapse David videtur fuisse senex et Salomon iam fuisse natus (22,5). Igitur, priore experientia deterritus, elegit David plagam tertiam, natura atrociorem, sed multo breviore tempore duraturam. v. 13 verbotenus idem est cum 2 Reg. 24,14 : « *Et dixit David ad Gad : Ex omni parte me angustiae premunt; sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multae sunt miserationes eius, quam in manus hominum* ».

Porro post 2 Reg. 24,14 habent *LXX* sententiam, quae omnino ib. textui est restituenda : « et selegit David pestem, erantque *dies messis tritici*, quando initium sumpsit plaga in populo ». Cf. *N. Peters* : Beiträge zur Text-und Literarkritik sowie zur Erklärung der Bücher Samuel, Freiburg i. B. 1899, p. 157 sq.; CR p. 455. Deinde v. 15 omnes ib. textus affirmant, pestem saeviisse *a mane usque ad tempus festi*; sc. ita vertendam censemus vocem מועד, quae secundum LXX et versionem chaldaeam praefixum habebat articulum. Difficilem expressionem suppressit chronista v. 14, sed eam omnino respicit v. 28 sq. expressio « in tempore illo » (cf. ib.). Narrator eventus in historia templi gravissimi tempus accurate describit. Festum vero, quod tempore messis tritici celebrabatur, erat festum *Pentecostes*; quo tempore tanto periculosior fuit pestis propter concursum populi. — Chronista igitur expressionem illam עת מועד non iam intellexit; si intellexisset, certe scripsisset, volebat enim quae templum spectabant fideliter referre. Sed illa expressio utique et scribebatur et intelligebatur ab eo, qui pestem illam primus enarravit affirmabatque occasione eius pestis designatum esse locum templo aedificando. Ergo nequaquam chronista nexum effinxit inter pestem eiusque loci designationem : illum nexum referebat fons, quo chronista utebatur.

v. 14 « *Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel, et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum* ». Opponuntur inter se v. 14 Israel et v. 15 Ierusalem : pestis Israelem vastavit, in limine Ierusalem substitit. An etiam Iuda exemptus, ita ut pestis a septentrione advecta Iudaeam non affecerit? Id non excludunt verba 2 Reg. 24,15 « a Dan usque Bersabee », quae vera etiam ad literam sunt, si pestis Simeonitiden, non Iudaeam invasit.

v. 15 « *Misit quoque* » *Deus* « *angelum in Ierusalem, ut percuteret eam; cumque percuteretur, vidit Dominus et misertus est super* [*ma-*

gnitudinem] *mali, et imperavit angelo qui percutiebat : Sufficit, iam cesset manus tua* ». Veteri Hebraeo pestilentia erat percussio *angeli* : quare textus 2 Reg. 24,16, ne commemorato quidem antea angelo (cf. h. l. v. 12), illico pestilentiae v. 15 substituit v. 16 angelum : « et misit angelus manum suam ». Pro : « et misertus est Iahve super malum », vividius h. l. : *cumque* (*iamiam*) *percussurus esset, vidit Iahve et misertus est super malum.* « *Porro angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusaei* ». Omnino indicandus erat locus, cum ex apparitione angeli ibi facta intellexerit David, eum esse locum a Deo designatum, ubi perpetuum sanctuarium haberet sedem 22,1 : « Haec est domus Dei », et cf. 2 Par. 3,1. Ergo area illa fuit ibi, ubi postmodum fuit altare templi (22,1). v. 16 « *Levansque David oculos suos vidit angelum Domini stantem inter coelum et terram, et evaginatum gladium in manu eius, et versum contra Ierusalem* », unde inferas montem Moria *tum* nondum fuisse ambitu Ierusalem inclusum. « *Et ceciderunt tam ipse quam maiores natu vestiti ciliciis proni in terram* ». Ante haec satis consentiebant 1 Par. 21 et 2 Reg. 24, h. l. dissonant. 2 Reg. 24,17 : « Et dixit David ad Iahven, quando vidit angelum percutientem populum, et dixit ». Temporalis illa sententia « quando vidit etc. » h. l. resoluta apparet : narratur David *elevasse* oculos et *vidisse*, describitur angelus stans (v. 15) *inter terram et coelum*, describitur *gladius*, item effectus huius aspectus in *Davidem et seniores*, quorum hoc unico loco mentio habetur. Conveniens sane erat, ut accuratius describerentur circumstantiae apparitionis angeli, quae demonstratura erat locum templo aedificando. Neuter textus prorsus aequalis. 2 Reg. 24,17 claudicat repetitum « et dixit ». 1 Par. 21,16 abrupta habetur mentio seniorum, ubi hi et David versati sint non satis perspicitur. Credideris fontem, quo utebantur et 2 Reg. et 1 Par., primitus habuisse plura, sed utrumque auctorem eius apographo imperfectiore usum esse. Aut dicas, chronistam apographi lacunas aliquas complesse ex alio fonte, v. g. ex orali traditione levitarum, vel liberiore calamo ipsum pinxisse angelum et seniores.

Aliqua habet textus, quae iuvant ad definienda actorum tempora. David *nocte* quadam concepit poenitentiae sensus : deinde *surgens mane* (2 Reg. 24,11) didicit a Gad latam in se divinam sententiam. Mox sane congregavit *seniores* ad instituendam supplicationem, non totius regionis seniores omnes, sed eos qui tum prope adessent, fortasse solos seniores Ierusalem. Afferebantur iam nuntii undique, non tamen ex ipsa Ierusalem ad quam plaga non pervenit, non necessario e tota illico regione, multo minus nuntiabatur summa interemptorum esse 70,000. Haec facile *postea* comperiebantur. Post emptam a rege

aream, exstructum ibi altare et oblatum sacrificium, cessavit v. 27 plaga. An ea integro triduo duraverit, non liquet.

v. 17 « *Dixitque David ad Deum* », « ubi vidit angelum percussorem populi » (2 Reg. 24,17) : « *Nonne ego sum*, [*qui iussi*] *ut numeraretur populus; ego, qui peccavi; ego, qui malum feci? Iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me et in domum patris mei, populus autem tuus non percutiatur* ». Idem 2 Reg. 24,17 concinnius. v. 18 « *Angelus autem Domini praecepit Gad, ut diceret Davidi, ut ascenderet exstrueretque altare Domino Deo in area Ornan Iebusaei* ». Nihil de *angelo* 2 Reg. 24,18 : Gad vadit ad David eumque iubet oratione directa. Sane habebat etiam auctor 2 Reg. persuasum, Gad haec locutum esse e mandato Dei. Sed Gad secus accipit mandata ab ipso *Iahve*, cuius propheta est, non ab *angelo* medium inter coelum et terram suspenso. Praeterea verbum v. 18 factum ad Gad est responsum ad verbum Davidis v. 17 factum ad Iahve : respondisse vero censendus est Iahve. Nihil secus in tota narratione est, quod efficiat vidisse Gad angelum, multo minus eius alloquio fruitum esse. Ergo probabilis est coniectura, vocem מלאך, *angelus*, v. 18 esse subreptitiam, referri verba non angeli sed Iahvae. v. 19 « *Ascendit ergo David iuxta sermonen Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini* ». Idem 2 Reg. 24,19 : sed hic dicitur Gad locutus esse *in nomine*, i. e. auctoritate Iahvae.

v. 20 « *Porro Ornan, cum suspexisset et vidisset angelum, quatuorque filii eius cum eo absconderunt se; nam* [*eo tempore*] *terebat in area triticum* ». *Hebr.* : *Et reversus est Ornan, et vidit angelum, et 4 filii eius cum eo, abscondentes se; et Ornan terebat triticum*. Textus difficultatibus scatet. Si cum *Masor*. punctes *reversus est*, quaero *unde* sit reversus; si punctes *sedit*, quaero quomodo *terens triticum* sederit. Num igitur etiam Ornan *Iebusaeus* angelum contuitus est? estne tandem contuita universa civitas? Licet niphal נחבא significationem habeat *se abscondendi*, at hithpael התחבא secus significatione scribitur *se contrahendi, condensandi*. *LXX R* sensum ignorantes, transscripsere vocem hebraicam μεθαχαβιν. Sed *LXX L* πορευομένους = מתהלכים. Verum, concessa etiam significatione se abscondendi, mirus est sententiarum ordo; nonne oportuit scribere : et 4 filii eius cum eo terentes triticum, et absconderunt se? Solutionem difficultatum suppetunt *LXX* et 2 Reg. 24,20 (cf. *Ios*. VII. 13.4) pro מלאך, *angelus*, legentes מלך, *rex*. Non *angelum* conspexit Ornan, sed *regem*. Hinc וישב, *et reversus est*, corrigendum in וישקף, *et prospexit* (2 Reg. 24,20). התחבאים cum *LXX L* mutandum in התהלכים. ארבעת בניו עמו, *et 4 filii eius cum eo*, mutandum in עבדיו עברים עליו, *servi eius transeuntes ad eum*. Sc., post-

quam semel facili errore *rex* mutatus est in *angelum, servi* regis mutandi fuere non in angeli servos vel filios, sed in *filios* Ornan; hi filii non *ambulabant*, sed *se abscondebant*. Cf. *Ber*. Noster igitur v. 20 restitutus fere idem est cum 2 Reg. 24,20 : *Et prospexit Ornan, et vidit regem et servos eius transeuntes ad se, adventantes*. Habet autem noster versus additum id, quod 2 Reg. 24,20 non habet : *Ornan autem terebat triticum*.

v. 21 « *Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, et processit ei obviam de area, et adoravit eum pronus in terram* ». Verba inde a *processit* sunt ipse textus Reg. 24,20[b], quem noster v. 20 nondum exprimebat. Ei praemittitur incisum, quod noster v. 20 nondum habebat : ויבא דויד עד ארנן, *et ivit David ad Ornan*; et alterum incisum : ויבט ארנן וירא את דויד, *et prospexit Ornan et vidit David*, rursum idem est cum primo inciso tam nostri v. 20 quam 2 Reg. 24,20. Restituo iam totum v. 19 sqq. textum ita : *Et ascendit David secundum verbum, quod locutus ei fuerat Gad in nomine Iahve; Ornan autem terebat triticum, et prospiciens vidit regem et servos eius adventantes; et accessit David ad Ornan, Ornan vero egressus de area prostratus est coram rege pronus in terram.*

v. 22 « *Dixitque ei David : Da mihi locum areae tuae, ut aedificem in ea altare Domino, ita ut, quantum valet argenti, accipias et cesset plaga a populo* ». *Hebr.* : *in argento pleno da mihi*, iustum pretium non imminuens. 2 Reg. 24,21 facit Ornan a rege exquirentem causam adventus; cui rex dat idem responsum verbis non plane iisdem. Cum hac venditione areae cf. Gen. 23 venditionem speluncae valde affinem. v. 23 « *Dixit autem Ornan ad David : Tolle, et faciat dominus meus rex quodcumque* » — seu verius *id quod* — « *ei placet. Sed et boves do in holocaustum, et tribulas* », quo instrumento terebatur triticum, « *in ligna, et triticum in sacrificium* », *Hebr.* : *in mincham*. « *Omnia* [*libens*] *praebebo* ». Mentem Ornan accuratius exprimeret vox *gratuito* (cf. v. 24), quam *libens*. Textus re idem est cum 2 Reg. 24,22, ubi pro ויעש, *faciat* : ויעל, *offerat*, voces simillimae ac discrimen fortasse a scriba effectum. Ornan urbane totum gratuito offert : aream, boves, tribulas, triticum. Sequitur 2 Reg. 24,23 versus contextui haud necessarius, quem omisit chronista fortasse ideo etiam, quod deprehenderet obscuratum, qualis nunc est noster textus masorethicus.

v. 24 « *Dixitque ei rex David : Nequaquam* [*ita fiet*], *sed argentum dabo quantum valet* »(v. s.); « *neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Domino holocausta gratuita* ». Pro והעלות lege cum *LXX* להעלות : non enim quod tuum est offeram Iahvae, immolando sacrificium gratuitum. 2 Reg. 24,24[a] : « non enim immolabo Iahvae Deo meo holocausta

gratuita. v. 25 « *Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri [iustissimi] ponderis sexcentos* ». 2 Reg. 24,24[b] : « emitque David aream et boves siclis argenti 50 ». Discrepantia textuum non potest soli scribarum errori attribui : solvuntur hic sicli 50 et ibi 600, hic *argentum* et ibi *aurum*, hic *pro area et bobus*, et ibi *pro solo loco*, i. e. loco ubi aedificavit David altare (v. 22), seu pro loco non totius templi sed solius altaris. Arbitraria solutio *Net.*, 2 Reg. 24,24 solum tradi pretium boum, excidisse e textu pretium areae. Neque placet solutio *Calm.*, regem primum emisse solam aream 50 siclis argenti, dein universum agrum Ornan 600 siclis auri. Ergo, si rationem auri ad argentum statuamus fuisse 13 : 1, solvit David pro toto illo agro 159,6 vicibus tantum, quantum pro sola area. Sed immensus ille ager Ornan gratuito adstruitur, et 1 Par. 21, 22.25 clare affirmat 600 siclos auri datos esse pro loco altaris. Simplicissima solutio haec est, haberi v. 25 pretii magnam *exaggerationem*. Aliquis, pie existimans locum altaris esse infiniti propemodum valoris, et 50 siclos argenti in immensum excedere, pro solo loco altaris scripsit pretium longe maius, 600 siclos auri. Neque cogeris affirmare, exaggerationis auctorem esse chronistam. Potuit exaggeratio post ipsum irrepsisse in textum. Quaeres, potueritne chronista suum facere textum aliquem, qui eam exaggerationem iam ante haberet. Si eum textum a chronista censeas tradi pro stricte historico, nequaquam potuit; si pro narratione liberiore, aliquid habente epicae libertatis, sectante aedificationem legentium magis quam acribiam historicam, potuit; item potuit si, narrare volens secundum fontes quos habebat, neque inquirens essentne singuli fontes stricte vel late historici, res describebat tales, quales in fontibus narrabantur. Quando scriptor demonstrari nequit velle narrare stricte historice, neque reprehendendus est, si eius narratio a veritate stricte historica in quibusdam deflectere videatur.

v. 26 « *Et aedificavit ibi altare Domino, obtulitque holocausta et pacifica et invocavit Dominum* ». Haec verbotenus uti 2 Reg. 24,25[a]. Ergo *novum* aedificavit altare, non eo transferebatur (*Net.*) altare illud quod David in novo tabernaculo habebat. Aedificatum sane est altare ex lapidibus, atque ea fortasse ratio est, cur 3 Reg. 7 non habeatur mentio altaris cuiusdam aenei ab Hiram confecti (cf. ad 2 Par. 4,1) : altare insigni divino miraculo honestatum merito ita sanctum habebatur, ut non videretur in eius locum postea sufficiendum altare aliud, ad normam altaris mosaici portatilis confectum. « *Et exaudivit eum in igne de coelo super altare holocausti* », adduntque LXX *R et devoravit holocaustum*. Pro quibus 2 Reg. 24,25 : « et propitiatus est Dominus terrae, et cohibita est plaga ab Israel ». Hic auctor sistit in

plaga terminata, chronista in altari divinitus consecrato. Sc. portento ignis ita consecratum est altare montis Moria, uti item igne consecratum fuerat Lev. 9,24 altare mosaicum (*Rhab.*). Ceterum verbis modo laudatis 2 Reg. 24,25[b] quodammodo correspondet noster v. 27 : « *Praecepitque Dominus angelo, et convertit gladium suum in vaginam* ». Converti gladium in vaginam et cessare pestilentiam, unum idemque est : post illud Davidis sacrificium nemo iam pestilentia interemptus occubuit. Perspexit *Tost.*, haec non necessario eo esse intelligenda sensu, angelum usque ad completum istud sacrificium visibilem perseverasse medium inter coelum et terram, tum auditum esse Dei mandatum iubentis angelum convertere gladium in vaginam, tandem visum esse angelum gladium convertere in vaginam. Quodsi angelus revera conspiciebatur gladium referre in vaginam, debuit conspici post editum v. 15 mandatum « Sufficit ». Angelus perspiciebatur volente Deo retulisse gladium in vaginam, quando animadversum est nullos iam interimi pestilentia.

Minus apte post v. 30 novum caput ordiuntur editiones nostrae : v. 30 intime cohaeret cum 22,1 (v. i.). Sed 21,28-22,1, quae extremo 2 Reg. 24 desiderantur, sunt a chronista adscripta, primum ut illud v. 26 de sacrificiis a Davide in monte Moria oblatis explicet, dein ut facti cap. 21 vim inculcet. Adiecta esse vel una prodit v. 28 sq. expressio *in tempore illo* (Vulg. : protinus, ea tempestate). v. 28 « *Protinus ergo David videns, quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusaei, immolavit ibi victimas* ». v. 29 « *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum ea tempestate erat in excelso Gabaon* ». Apposite advertit *Mar.*, haberi hic « tacitae obiectionis solutionem », monetque *Tost.*, Davidem obligatum fuisse ad sacrificia certe quaedam Gabaone offerenda. Ita profecto res habet, et adverte scriptorem sacrum nullam proferre excusationem, cur David non obtulerit sacrificia ante arcam novumque a se Sione constitutum tabernaculum. Sanctissima utique res erat arca, sed locus cultus omnino primarius et pro quibusdam sacrificiis necessario adeundus, erat tabernaculum « quod fecerat Moyses in deserto ».

Ad verborum sensum penitius perspiciendum adverte, v. 28 sq., ubi *Vulg.* scribit *protinus* et *ea tempestate*, Hebraeum habere bis eandem expressionem *in tempore illo*, i. e. *in tempore festi* Pentecostes (cf. ad v. 14). Nota, tempore Pentecostes victimas immolandas fuisse non unico die, sed per octiduum. Aliquamdiu ante Pentecosten, fortasse inter Pascha et Pentecosten, obtulit David sacrificium primum in monte Moria v. 26. Miraculo confortatus eas deinde, quas pro festo Pentecostes consueverat Gabaone immolare victimas, easdem iam in

eodem monte immolavit. Res profecto erat summi momenti scire, quo anni tempore inceperint offerri sacrificia in monte Moria. v. 29 sq. porro explicatur res. Non dicitur David ab illo tempore omnes suas victimas immolasse in monte Moria, et non Gabaone (*Van H.* p. 255). Id si fecit, factum Salomonis pro inauguratione regni adeuntis sanctuarium Gabaone habebat fere reprehensionem David patris sui. Igitur v. 29 explicat, Davidem *tum* immolasse victimas suas in monte Moria, quamvis *tum* tabernaculum mosaicum Gabaone esset adhuc locus legitimus sacrificiorum in solemnitatibus maioribus offerendorum. An igitur David praevaricatus est contra legem sacrificia sua Pentecostes offerens in monte Moria? Rem explanat v. 30 : « *Et non praevaluit David ire ad altare* » Gabaonem, « *ut* [*ibi*] *obsecraret Deum* ». *Hebr.* : *non potuit David ire ante illud.* Sed לא יכל induit etiam sensum *non ferendi*, sed *aversandi* aliquam rem : Ps. 100 (101), 5; Is. 1,13; Ier. 44,22. Ergo : *non potuit inducere animum.* Cur non potuit? « [*Nimio*] *enim fuerat in timore perterritus*, [*videns*] *gladium angeli Domini* ». Censuit locum, quem sua apparitione angelus demonstraverat esse sanctissimum, illico oblatis sacrificiis esse consecrandum; ni id praestitisset, timebat ne gladius ille rursum contra se converteretur. Simul perspiciebat, istud angelum sua apparitione manifestasse, sanctuarium montis Moria successurum esse in locum sanctuarii in excelso Gabaon, cuius consecrationem existimabat sibi fas esse suis sacrificiis tum oblatis anticipare. Vides, Davidem facilius quam Iudaeos post exsilium admisisse legis mosaicae exceptiones quasdam; utebatur sc. suasoribus prophetis.

Quaesieris, quomodo gladius deterruerit Davidem ab adeundo altari gabaonensi, gladius inquam evaginatus : *videns* gladium. Eratne specialis aliqua ratio inter gladium illum et Gabaonem? Saevieratne pestis severius Gabaone, inter Levitas et Beniaminitas, qui v. 6 ceteris audaciores regi obstiterant? Nihil horum habet textus noster : nihilne habuere fontes? Qui censendi sunt de sanctuario gabaonensi habuisse plura, quam textus noster.

Cap. XXII v. 1 « *Dixitque David* : *Haec est domus Dei, et hoc altare in holocaustum* », altare holocaustorum, « *Israel* ». Hic aedificabitur futurum sanctuarium Israelis. Ratio aliqua, cur David non antea, quod mox narratur, praeparaverit templi aedificationem, fuerit etiam illa, quod locum templi aedificandi censeret sibi divinitus indicari oportere.

IV. QUOMODO DAVID AEDIFICATIONEM TEMPLI PRAEPARAVERIT
1 PAR. 22,2-16.

De indole historica librorum Paralipomenon acturi sumus volumine sequente. Tamen quaestio de indole historica pericopae 22,2-23,2; 28 sq. ita totam pericopae interpretationem pervadit, ut nequeat h. l. penitus praetermitti. A quo examine h. l. omnino excludimus emblema 23,3-27,34, quod est documentum ab illa pericope distinctum eidemque a chronista insertum.

Igitur pericopae narratio a narratione 2 et 3 Reg. differt cum generali *argumento*, tum quibusdam *factis particularibus*.

Argumentum. David a Nathan edoctus, templum aedificandum fore non a se sed a Salomone, non traditur 2 Reg. quidquam in ea re egisse ipse. Refert quidem fragmentum cap. 24 demonstratum ab angelo templi aedificandi locum et altare ib. a Davide exstructum : at fragmentum est cap. 24, quod demonstrari nequit continuae narrationis libri 2 Reg. fuisse aliquando pars; potuit istud fragmentum inspiratum aliunde profectum ei libro extremo cum aliis fragmentis adscribi. Certe 2 Reg. non refert Davidem materiam congessisse, descriptionem aedificii ac singularum usque ad fuscinulas et phialas rerum condidisse. Traditur vero 3 Reg. 1 David senio vel etiam morbo factus plane impotens, coniuratione tandem Adoniae excussus esse, ut Salomonem iusserit regem renuntiari. Deinde 3 Reg. 5 sqq. tota templi aedificatio uni tribuitur Salomoni : ipse agit cum Hiramo, artifices procurat, materiam congerit. Uni Salomoni non sola rei effectio, sed eiusdem etiam designatio attribuitur. Praedam vero bellorum, quam David consecraverat Iahvae, Salomon non impendit operi templi, sed 7,51 in thesauros templi recondidit. Narratio vero 2 Par. 2 sqq. non est nisi ipsa narratio 3 Reg. 5 sqq. ad breviarium revocata.

Aliter 1 Par. : David non solum loco ab angelo designato exstruxit altare, sed suarum partium esse duxit aedificationem templi pro viribus ipse praeparare. Collegit omnis generis materiam, rerum tam maximarum quam minimarum accuratissimam condidit descriptionem. Neque tamen haec distulisse affirmatur, quoad senio esset confectus. Sed postea gravis aetate, indicta solemni concione Salomonem regem instituit iussitque ungi « secundo », iterum sc. post illam privatam magis et raptim factam unctionem 3 Reg. 1.

Porro haec, universim inspecta, ad concordiam revocari possunt.

Non desunt exempla virorum strenuorum, qui primum ad senilem impotentiam delapsi, inexspectato quodam et gravi eventu ad stupendum etiam vigorem ad tempus brevius fuere revocati. Quod fieri po-

tuit et factum esse videtur in Davide. Neque veri dissimile est, Davidem, postquam ad eum vigorem rediit, non satis habuisse Salomonis illam salutationem et unctionem raptim factam, sed eandem solemni convocata concione renovasse, atque in eadem consilium aedificandi templi explicasse. Recole, ipsum David unctum esse ter : 1 Reg. 16,13; 2 Reg. 2,4; 5,3.

Nequaquam affirmatur David, quando senio confectus erat, omnes levitarum divisiones exegisse : 23,2-27,34 est emblema a chronista narrationi de supremis Davidis actis insertum, ad demonstrandum quo loco tum levitarum res essent, non quo tempore essent effectae.

Neque illud repugnat, postquam David templi materiam omnem et descriptionem praeparavit, Salomonem ob sapientem aliquam rationem, quominus his uteretur, abstinuisse et nova omnia comparasse.

Potuitne Salomon praesto habere eiusmodi aliquam sapientem rationem? Id collige ex eo, quod demonstrandum aggredimur, narrationem 22,2-23,2; 28 sq. universim spectatam consonare reliquae 1 Par. Davidis historiae.

Secundum coniecturam, quam p. 287 sqq. proponebamus, Deus primum per Nathan prophetam probavit, ut David aedificaret templum, ergo etiam quae ad eam aedificationem necessaria erant congereret; deinde ob iniqua suscepta bella sanxit, ut non David sed Salomon templum aedificaret, simul tamen per angelum locum aedificando templo demonstravit, atque igne de coelo misso ratum habuit altare a Davide eo loco exstructum et sacrificiis consecratum. Erat etiam haec aedificationis praeparatio aliqua, imo inchoatio. Quo facto David, qui ardentissime desiderabat suam operam templo aedificando conferre, etiam praeter opimam bellorum praedam quam 18,11 ei operi consecraverat, potuit induci in opinionem, sibi a Deo permitti, ut quaecunque aedificationi utilia essent provideret ipse : aedificii descriptionem, materiam, artifices, omnia.

Eratne id Deo gratum, qui statutum haberet, ut templum non Davidis esset, sed Salomonis? Quodsi id Deus improbabat, potuit Salomon sapienter iudicare potuereque prophetae eidem suggerere, illud magis e mente Iahvae futurum, ut missa descriptione omnibusque, quaecunque pater praeparasset, templum aedificaret ipse unus descriptione a se condita, materia a se congesta, artificibus a se conquisitis.

Haec supponunt, Davidem in re praeparandae aedificationis egisse immoderatius. Atqui id ab indole Davidis nequaquam alienum, qui et filios dilexit immoderate, et in augendo numero chororum et cantorum (v. i.) utique videtur modum esse praetergressus.

FACTA PARTICULARIA. Licet argumentum generale 2 et 3 Reg. et 1 Par., universim spectatum, componi possit, at difficultates movent particularia plura.

1. Refertur 22,2 David adegisse solos *proselytas* ad angarias pro templo praestandas, dum Salomon 3 Reg. 5,13 sqq. omnes sine discrimine Israelitas adigebat;

2. refertur 22,3 David coegisse *ferri* « pondus infinitum » : atqui in aede Salomonis fuere aurea omnia usque ad cardines portarum, in atrio aenea omnia; quis igitur ferro locus in templo exstruendo, imo ferri « ponderi infinito », praesertim cum idem David collegerit auri item pondus infinitum?

3. Comparavit David pro templo aedificando *cedros* « innumerabiles ». Cedris plane aliis usus est Salomon 3 Reg. 5. Quid factum est de innumerabilibus cedris a Davide praeparatis? Maior etiam difficultas in eo reperitur, Salomonem, in epistola 2 Par. 2,3 ad Hiram data, non alias novisse cedros ab Hiramo Davidi submissas, nisi quas submisisset Hiram pro exstruendo palatio David.

4. Scribitur 22,14; 29,7 summa *auri*, quae omnem decentem veri superlationem longissime excedit pertinetque ad fabulam, non ad historiam.

Porro, quid ad singula haec responderi possit, infra dicemus. Neque haec sola sunt, quae perpendantur : *tota descriptio* 22,2-23,2; 28 sq. *hyperbolen sapit et amplificationem*. Quam esse eius descriptionis indolem literariam facile concedet, quisquis rem literariam secundum probabilem gustum existimat. Indoles quippe literaria sermonum non solum *inscriptionibus* manifestatur, v. g. si sermo « parabola » vel « midrash » inscribatur, sed ipsa *stili proprietate*, quatenus ea aut prosam sapit aut poesin, gestorum aut expositionem aut amplificationem.

Praeterea narratio 1 Par. 22,2-23,2; 28 sq. et narratio 3 Reg. 5 sqq. *ad diversos fines sunt contextae*. Narrationis 1 Par. finis est demonstrare, *quae praestiterit David in re aedificandi templi*. Prohibitus a Deo ne templum aedificaret ipse, praeter aedificationem praestitit *omnino omnia*, praeparavit lapides, cedros, metalla, ipsas rerum descriptiones, non aedium tantum, sed candelabrorum, fuscinularum, thuribulorum. Quaero porro ex te, ad quemnam pertineat *laus* exstructi alicuius aedificii singulari prorsus artificio perfecti : utrum ad *architectum*, qui omnia mente effinxit et accurate descripsit, an ad *opificem*,

qui architecti descriptionem scite est exsecutus? *Totam architecti laudem narratio* 1 *Par. uni vindicat Davidi, Salomoni ne unam quidem concedit fuscinulam.*

Plane aliter 3 Reg. Cuius finis est describere *sapientiae Salomonis* incrementa primum, deinde usque ad abiectissimam dementiam, idololatriam inquam, decrementa; *apex* vero sapientiae Salomonis in ea narratione omnino conspicitur *aedificatio templi.* Salomonem ea producit non ut merum opificem, qui descriptiones ab alio acceptas sit exsecutus, sed ut supremum *architectum*, qui totius aedis rerumque omnium rationem excogitaverit ipse. Quodsi aliqua non ex una Salomonis mente fluxere tota, derivat ea haec narratio non e mente Davidis, sed e mente Hirami Tyrii.

Igitur narratio 1 *Par. facit Davidem templi architectum, Salomonem opificem tantum architecti iussa exsequentem; narratio* 3 *Reg. Salomonem facit architectum, ei uni totam operis laudem attribuit.* Dicesne, utramque narrationem esse aeque ac plene historicam? potissimam laudem aedificati templi aeque spectasse ad Davidem et ad Salomonem? Et equidem, si alterutram narrationem oporteat pronuntiare altera esse minus historicam, id de narratione 1 Par. pronuntiaverim potius, cum ob eius indolem literariam (v. s.), tum quod eius auctor factis narratis fuerit longe posterior, atque 2 Par. 13,22; 24,27 deprehendatur fontibus narrationis quandoque usus esse *midrashim* quibusdam, quae, quantum nos compertum habemus, genus sunt quoddam narrationis liberioris.

Estne interpreti mordicus defendenda indoles stricte historica narrationum biblicarum omnium atque evasiones quaelibet, quantumvis sint quaesitae, coactae, ridiculae, tentandae potius quam concedendum, auctorem sacrum calamo scripsisse liberiore? quarum recentissima haec est (*Net.* ad 29,7) : idem *valore* esse talentum auri, quod talentum argenti, similiter atque 100 fr. aurei idem sunt atque 100 fr. argentei. Atqui omnes norunt, talentum esse nomen *ponderis*, atque hinc longe plus *valere* talentum auri quam talentum argenti.

Erit igitur pericope 22,2-23, 2; 28 sq. scripta liberiore calamo quam historiae 1-4 Reg. Nulla apparet ratio, cur ea nequeat defendi ita esse scripta. Ubi etiam attendenda librorum Par. *indoles*, quatenus ab aliarum V. F. historiarum indole distinguitur.

Chronista colligebat documenta « paralipomena », narrationes potissimum, quae ea, quae 2-4 Reg. referebantur, enarrabant modo non plane eodem, quo ibi narrabantur. Non oportuit haec documenta omnia esse indolis stricte historicae : num « paralipomena » quaelibet consuevere esse eiusdem omnia coloris?

Quid ergo? num totam pro fictione narrationem 1 Par. 22,2-23, 2; 28 sq. abiicimus? Absit, ut in hunc rationalistarum errorem res historicas e praeiudicatis opinionibus dirimentium incidamus. Adstruimus argumentum universim historicum, formam narrationis liberiorem, liberiorem inquam quam in aliis quibusdam 1 Par. pericopis, quae sc. argumentum vere historicum describat libertate quadam, quae affinis sit epicae libertatis. Non negabit prudens interpres, Davidem studuisse, quae ad templum aedificandum necessaria essent vel utilia, congerere, licet dubitaverit eum omnium rerum accuratas condidisse descriptiones, et negaverit eum 100,000 talenta auri coegisse. Qui enim choris formandis tantum impendit curae, facile credetur aliis rebus omnibus pro viribus providisse. Neque sensatus quis negabit, supremam illam concionem a Davide celebrari potuisse ea universim ratione, qua in textu describitur; at certe sermones habitos libere describi affirmabit vel ob immanem illam auri copiam, quae in illis collecta esse affirmatur.

Arg. — Materiam pro aedificando templo David congerit. Salomonem filium de eo opere perficiendo admonet eique, quae a se praeparata fuerant, demonstrat.

v. 2 « *Et praecepit, ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, et constituit ex eis latomos ad caedendos lapides et poliendos, ut aedificaretur domus Dei* ». *Hebr.* : *ad caedendos lapides quadratos.* Ita affirmat v. 2 Davidem comparasse lapides, uti v. 3 sq. affirmant eum comparasse ferrum et ligna : non agit v. 2 de solis latomis constitutis, qui forte nihil operis superstite Davide praestiterint, sed agit de lapidibus iussu Davidis excisis. Porro quae fuerint templi longitudo, latitudo, altitudo compertum habemus : ad quam structuram certe non opus erat infinita vi lapidum, etiamsi, quicunque aliquem defectum haberent lapides, abiicerentur. Proselytas porro seu advenas (cf. 3 Reg. 9,20 sq.) intellige eos, qui in Chanaanitide superstites tum erant Amorrhaeorum, Chananaeorum etc. Quos omnes l. c. subactos habuit Salomon, non habuit subactos omnes David. Narratur 1 Par. 22,2 David eundem laborem exsecutus esse, quem 3 Reg. 5,13 sqq.; 2 Par. 2,1 sqq. exsecutus est item Salomon, qui textus nihil habent de proselytis, sed omnino affirmant ipsos Israelitas ad eas angarias esse adactos. At 2 Par. 2, 17 sq. repetuntur ipsa verba 2 Par. 2,2 ita, ut iam affirmentur non Israelitae, sed soli proselytae ad easdem angarias esse adacti. Textum 2 Par. 2,17 sq. addititium esse demonstrabimus; textui subest opinio, quam fortasse e 3 Reg. 9,22 derivavere posteriores Iudaei, non fuisse Israelitas angariis subiiciendos, sed solos alienigenas. Quae tamen opinio contradicit textui 3 Reg. 5,13.

Haec omnia prae oculis habens, quid dices de textu 1 Par. 22,2? Dicesne, Salomonem omnem illam lapidum molem, quos comparaverat David, abiecisse? neque hoc solum, sed dum David ad eam angariam adegerat solos proselytas, Salomonem ad eandem adegisse aut solos Israelitas aut certe Israelitas proselytis iunctos? adegisse ad angariam, cui praestandae iudicio ipsius Davidis proselytae et numeris et viribus satis erant?

An dices, uti 2 Par. 2,17 sq., ita 1 Par. 22,2 ab aliquo amanuensi esse defiguratum ab eoque inscriptos proselytas? Verum, dum 2 Par. 2,17 sq. habentur evidentia corruptionis vestigia (v. ib.), nulla plane habentur 1 Par. 22,2.

Vel tandem dices in textum 1 Par. 22,2 eandem, atque in additamentum 2 Par. 2,17 sq., se insinuasse posteriorum Iudaeorum opinionem? Quae factis quidem, atque hinc veritati stricte historicae, non est conformis : sed in hanc sacram narrationem se potuit insinuare, si haec narratio e mente scriptoris supponatur esse narratio non stricte historica, sed liberior, argumentum historicum tractans cum epica quadam libertate.

v. 3 « *Ferrum quoque plurimum ad clavos ianuarum* » — *Hebr.* : *ad clavos pro valvis portarum* — « *et ad commissuras* [*atque iuncturas*] *praeparavit David, et aeris pondus innumerabile* ». מחברות 2 Par. 34,11 sunt ligna, quae transversa iungunt ligna alia; hic creduntur esse iuncturae ferreae. Ubi his fuerit locus in templo Salomonis, non satis liquet. Ipsi aedi aliud praeter aurum metallum non adhibebatur : aurei erant vel ipsi cardines valvarum 3 Reg. 7,50; in atrio interiore aenea omnia. Ianuas habebat aedes et sanctuarium tres, peribolus ianuam unam exteriorem 3 Reg. 6,8, et fortasse ianuas quasdam ad separanda trium contignationum cubicula quaedam. An pro harum ianuarum clavis et pro iuncturis nescio quibus, paranda fuit *tanta vis* ferri?

v. 4 « *Ligna quoque cedrina non poterant aestimari, quae Sidonii et Tyrii deportaverant ad David* ». « Ex dicendis inferius patebit », inquit *Calm.*, « post tantam lignorum struem nova tamen alia sibi comparasse Salomonem, quasi nihil eius rei a Davide paratum fuisset ». Sed 2 Par. 2,3 ipse Salomon non alia novit ligna ab Hiramo Davidi submissa, nisi e quibus aedificaverat David domum suam. Unde suggerit *Ber.*, agi de lignis non ab Hiramo ex pacto praestitis, sed a mercatoribus phoenicibus forte allatis. At maiora Tyriorum commercia certe fiebant per regem Tyri, et David, qui ab Hiram nactus erat ligna aedificandae domui suae, censendus est Hiramum adiisse pro suppeditandis sibi lignis templi. Eratne privatis mercatoribus

tyriis fas, cedros caedere in Libano et extra Phoenicen divendere?

v. 5 « *Et dixit David : Salomon filius meus puer* [*parvulus*] *est et delicatus; domus autem, quam aedificari* [*volo*] *Domino, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur : praeparabo ergo ei* [*necessaria*]. *Et* [*ob hanc causam*] *ante mortem suam omnes praeparavit* [*impensas*] ». *Hebr.* : *et domus aedificanda est Iahvae, facienda est perquam magna, ad famam et ad ornatum regionibus omnibus; praeparabo eam illi. Et David praeparavit plurima ante mortem suam.* Cf. *Cai.* Pro *dixit* verte *cogitavit* : non dixit Salomoni, quem v. 6 tandem alloquitur; non aliis, non enim aliorum mentio h. l. habetur, neque alii hac de re ante Salomonem alloquendi fuere. Particula אָ sapit exhortationem *sui* ad agendum. Textus non affirmat Salomonem esse *parvulum*; נַעַר, *puer*, designat etiam *iuvenem*; רַךְ, *tener*, de infantibus potissimum dicitur, non tamen de solis infantibus. Designatur h. l. vir aetate et viribus seu experientia minor. *Praeparationis* duplex ratio : Salomonis iuventus et operis magnitudo. Cogitata Davidis mox excepere verba. v. 6 « *Vocavitque Salomonem filium suum et praecepit ei, ut aedificaret domum Domino Deo Israel* ».

v. 7 « *Dixitque David ad Salomonem : Fili mi, voluntatis meae fuit, ut aedificarem domum nomini Domini Dei mei* ». *Kethib* uti v. 6 *filium suum.* Sed praeplacet vocativus initio paterni alloquii, neque obest (*Ber.*), quod illico sequatur emphaticum אֲנִי, *ego*, cui opponitur v. 11 « nunc ergo, fili mi ». v. 8 « *Sed factus est sermo Domini ad me, dicens : Multum sanguinem effudisti et plurima bella bellasti : non* [*poteris*] *aedificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me* ». *Hebr.* : *quia tantum sanguinem effudisti in terram coram me.* Eandem rationem habes 28,3. Noluit Deus, inquit *Malv.*, sibi templum aedificari regno nondum plene constituto, a rege militaribus curis plurimum occupato; voluit aedificari a rege pacifico, et regno in pace composito. Si id voluit, cur 17,2 regi illi bellicoso dixit : « Fac »? In comparationem adducit *Tost.* irregularitatem ex homicidio etiam iusto inductam : sed potuitne David « irregularitatem » incurrere bellis iis, quorum socium 17,10; 18,6; 2 Reg. 7,9; 8,6 habuit ipsum Deum? Neque templum aedificare prohibebatur David ob solam caedem Uriae (*Hier.* c. Iovinian. I. 24; *M.* 23,243), sed ob *bella*; neque, qui unum virum trucidat, *multum sanguinem* dicitur effudisse. Cum igitur David et propter bella aliqua vituperetur, et propter bella ea, quae 2 Reg. et 1 Par. narrantur, vituperari non potuerit, coniiciebamus p. 287 sqq. gessisse Davidem, praeter ea bella, aliqua bella quae Iahvae non probabantur, propter quae ab aedificando templo sit interdictus alloquio quodam divino diverso ab alloquio cap. 17 (*Cai.*).

v. 9 *Ecce*, « *filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus : faciam* [*enim*] *eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, et* [*ob hanc causam*] *Pacificus* », i. e. *Salomon*, « *vocabitur, et pacem et otium dabo in Israel* [*cunctis*] *diebus eius* ». Dele *cunctis* : certe diebus tot, quot requirentur ad exstruendum templum; altera pars regni Salomonis utique habuit turbas aliquas. Nomen *Salomon* 2 Reg. 12,24 imposuit pater, nomen *Iedidia* Deus. Utrum prius nomen h. l. affirmatur David item iubente Deo imposuisse? an David rhetorice tantum idem nomen a Deo repetit? Erit igitur filius dissimilis patri; erit *vir requietionis*. מנוחה (v. s. p. 85) imprimis designat requietionem arcae in sanctuario permanente, requietionem populi circa hoc sanctuarium collecti bonisque terrae promissae fruentis; ipsum templum 28,2 dicitur « domus requietionis arcae » : quare filium illum Deus *requiescere faciet* a bellis. Idem erit Salomon seu *pacificus*, frueturque *pace*. v. 10 « *Ipse aedificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem, firmaboque solium regni eius super Israel in aeternum* ». Eadem habes 2 Reg. 7,13 sq.; 1 Par. 17,12 sq., unde rursum confirmatur opinio, idem atque ibi recitari oraculum.

Sequitur altera sermonis pars, quid Salomoni vicissim sit praestandum. v. 11 « *Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et aedifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te* ». Apprecatur filio divinum auxilium et prosperum successum, monetque ut templum aedificet. Sed illico relabitur ad inculcandas aliquas prosperae gubernationis conditiones : v. 12 « *Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum, ut regere possis Israel, et custodire legem Domini Dei tui* ». *Hebr.* : *et dirigat te quoad Israelem*, ipse per te regat populum. Et haec quidem Deus, sed Salomon : *et ut tu custodias legem Iahve Dei tui*, seu *thoram*; haec conditio tibi observanda. Apud LXX לעשות, ut custodias *faciendo*, videtur e v. 13 in v. 12 penetrasse. v. 13 « *Tunc enim proficere* [*poteris*] », — *prosperabis*, eadem vox atque v. 11; sequuntur deuteronomismi — « *si custodieris mandata et iudicia, quae praecepit Dominus Moysi ut doceret Israel. Confortare et viriliter age, ne timeas neque paveas* ».

Demonstrat David ea, quae ipse praeparavit (*Hebr.*) *pro domo Iahve* : v. 14 « *Ecce ego in paupertate mea praeparavi* [*impensas*] *domus Domini* ». Quo sensu *paupertatem* praetendit David? « Relative ad Deum se pauperem agnoscit », inquit *Cai.* : sed id longius petitur. « Fuit pauper David respectu Salomonis », inquit *Vat.* : eratne David praescius futurarum Salomonis divitiarum? « Humilitatem » rursus suggerit *Vat.* et « modestiam ». *Sa* : quod genus fucatae humilitatis et modestiae non satis consonat indoli Davidis. Recte monet *Ber.*,

expressionem eandem fere esse atque illam 29,2 : « totis viribus meis praeparavi », בכל כחי; et comparat Gen. 31,42, ubi parallele scribuntur את עניי ואת יגיע כפי, « afflictionem meam et laborem manuum mearum » (*Vulg.*). Sc. עני significationem nativam habet *depressus*, h. l. significat *pressum assidua sollicitudine*. Iam recenset David ea, quae tanto labore praeparavit : « *auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum*; *aeris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine* »; — *Hebr.* simpliciter : *sunt enim plurima*, plura quam quae ponderari vel numerari queant — « *ligna et lapides praeparavi ad universa impendia* ». Sed *Hebr.* : ועליהם תוסיף, *et illis addes* (*LXX*). Quaenam addenda? « Res aliae », inquit *Tir.*; « aurum, argentum etc. », inquit *Men.* : sed num horum non erat praesto ingens copia? Respondeas : « ligna et lapides », de quorum numero nihil adscriptum habes; respiciuntque verba 2 Par. 2, ubi narratur Salomon comparasse ligna alia et lapides, neque h. l. v. 16 affirmatur *lapidum* et *lignorum* non esse numerus.

v. 15 « *Habes quoque plurimos artifices, latomos* [*et caementarios*], *artificesque lignorum et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos* ». *Hebr.* : *operarios, lapicidas* (v. 2), *caesores lapidum et lignorum, et prudentes omnis generis in omni opere*. Ubi *LXX* initio adscribunt πρόςθες, i. e. תוסיף v. 14 : *et tecum addes plurimos etc.* Habebant ipsi in mente 2 Par. 2, ubi traditur Salomon ipse plurimos conduxisse operarios, Hiramum etc. Sed grammatica non fert istud additamentum LXX. v. 16 « *In auro et argento et aere et ferro, cuius non est numerus* ». Haec *Vulg.* iungit praecedentibus; sed verte : *auri etc. non est numerus*. Profecto non affirmantur *operarii* fuisse sine numero, qui et numerari potuere et numerati sunt aeque ac Salomonis operarii 2 Par. 2,2. « *Surge igitur et fac, et erit Dominus tecum* ».

Hic tandem locus disserendi de *immanibus numeris v. 14*. Igitur 100,000 talenta auri pondere sunt 4,911 milliones seu fere 5 milliardi kg. auri; 1,000,000 talenta argenti pondere sunt 43,650,000 kg. argenti. Iam tantum auri et argenti pondus non potuisse Davidem colligere, neque Asiam anteriorem conferre, illudque universas templi salomonici expensas longissime excessisse, evidens est. Quare numeros hodie iam nemo defendit. *Reinke, Net.* gratuito adstruunt errorem in textu. *Oe.* monet numeros, eo ipso quod rotundi sint, prodere indolem hyperbolicam; sapienter tandem *Ber.* sentit numeros illos nihil sonare aliud, nisi « multum », « praeter omnem modum multum ». Omnino ita se habet. At, hoc concesso, fateri etiam oportet narratorem nostrum non scribere stricte historice, sed liberiore sermone et cum epica quadam libertate. Cf. ad. 29,7.

V. SALOMON, FUTURUS TEMPLI AEDIFICATOR, REX CONSTITUTUS 1 PAR. 22,17-23,2; 28 SQ.

Arg. — Cum templum aedificandum esset non a Davide, sed a Salomone, ideoque initium aedificationis inde sumi oporteret, ut David Salomonem institueret regem loco sui, David mandato ad principes misso designat Salomonem suum in regno futurum successorem, eosque monet, ut aedificationem templi pro viribus adiuvent. Ad eundem finem convocat David principum concionem.

Sermo v. 6-16 habitus est ad Salomonem, uti videtur, solum : vocatur v. 6 Salomon, non uti 23,2; 28,1 principes. Nihil v. 17 habet de convocata principum concione aliqua. Ergo vocem *mandavit* intellige non de Davide principes coram alloquente, sed de mandato regio ad illos transmisso. Idem suadet brevitas sermonis v. 17-19, nam orationes a Davide habitas chronista tradit longiores. Mandatum circummittitur intuitu concionis mox (23,1 sq.; 28,1) indicendae.

v. 17 « *Praecepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adiuvarent Salomonem filium suum* ». עזר, adiuvare, alicuius partem tueri; hinc 3 Reg. 1,7 « tuebantur partes Adoniae ». Qua voce certe designatur Salomon futurus, unus e fratribus, regni successor, et non obscure indicatur consilium eius brevi instituendi regis. Vocis sensus non est, ut rogentur principes, ut offerant dona pro templi aedificatione. Sed norant principes regi recens instituto offerri oportere dona; quare illa ad concionem, quae mox convocabatur, attulerunt : Hebr. 29,6 non « polliciti sunt », sed « sponte obtulerunt ». Dona autem illa 29,5 David omnia attribuit operi aedificationis.

v. 18 « *Cernitis, [inquiens], quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras* », — *LXX L Hebr.* : *dedit in manus meas*, et omnes : *habitatores regionis*. Vox *per circuitum* utique includit gentes finitimas, *habitatores regionis* sunt alienigenae in terra promissa superstites — « *et subiecta sit terra coram Domino et coram populo eius* ». Quae cum omnia iuvante Iahve sint effecta, aequa profecto est exhortatio, ut Iahvae fideliter serviant : v. 19 « *Praebete igitur corda vestra et animas vestras, ut quaeratis Dominum Deum vestrum* »; aequa item exhortatio, ut opus aedificationis templi iuvent : « *et consurgite et aedificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca foederis Domini et vasa Domino consecrata in domum, quae aedificatur nomini Domini* ». Quibus sufficienter indicatur, Salomonem brevi institutum iri regem : paranda igitur dona, quae more orientis regi recens instituto erant offerenda.

Cap. XXIII v. 1 « *Igitur David senex et plenus dierum regem constituit Salomonem filium suum super Israel* ». Cf. 3 Reg. 1,46 sq. — שבע ימים, *satur dierum*, etiam 2 Par. 24,15; pro quo in antiquioribus libris scribebatur בא בימים, provectus aetate (3 Reg. 1,3; Ios. 23,1 sqq.). Non ante provectam aetatem regnum abdicavit David; neque tamen usque ad mortem regnum retinuit, quo certius succederet Salomon, non alius. Sententia haec summam eorum exprimit, quae cap. 28 sq. narrantur. v. 2 « *Et congregavit omnes principes Israel et sacerdotes atque levitas* ». Distinctius recensentur *principes* 28,1. Sed, mentione facta *levitarum*, interrumpitur primum descriptio concionis atque, quo loco fuerint levitarum et etiam principum res extremo Davidis regno, explicatur. Non cogimur adstruere, Davidem *in extrema senectute* effecisse ea omnia, quae habentur cap. 23-27, sed tantum describi rerum conditionem, quae fuit extrema Davidis vita.

Emblema concionis a Davide habitae : distributio officiorum sub Davide rege 1 *Par.* 23,3-27,34.

1. *Officia sacra* 1 *Par.* 23,3-26,32.

23,3-5 enumerantur *quatuor classes simplicium levitarum*, quas sane censendus est chronista voluisse accuratius explicare. Id reapse facit.

Pro aptissima *introductione* praemittit 23,7-24 *conspectum genealogicum stirpium leviticarum omnium*, cum generali v. 25-32 descriptione ministeriorum sacrorum, quae levitis erant obeunda.

Secundam classem, quae est de *scribis et iudicibus levitis*, utique explicat 26,20-32. Omnia officia publica ib. enumerata sunt perquam honorifica, quae reapse scribis et iudicibus essent committenda. Choneniae eiusque filiis v. 29 attribuuntur explicite scribarum et iudicum officia, ubi conferas 15,22.

Tertia classis, quae est *ianitorum* levitarum, explicatur 26,1-19.

Cap. 25 est de *Nathinaeis cantoribus*. Chronista non est censendus praetermisisse *levitas cantores*, qui *quartae classis* sunt pars omnino potissima, dum Nathinaei sunt eiusdem appendix tantum. Neque censendus est chronista de levitis cantoribus noluisse agere h. l. ideo, quod de illis ageretur 6,20-47 : etenim Liber Genealogiarum cap. 1-9 et, quae eum consequitur, Historia Sanctuarii fuere primum duo distincti libri, uterque auctor studebat rerum tradere conspectus completos; et chronista, etiamsi nollet repetere quae in altero libro sciret reperiri, non potuit in contextu cap. 23-26 ita longiorem de cantoribus

levitis omittere tractatum, ut nullam omnino eorum faceret mentionem. Neque is, qui duos illos libros compegit in unum, censendus est ante cap. 25 omisisse tractatum de levitis cantoribus ideo, quod idem haberetur cap. 6; scriptores librorum historicorum posteriorum nequaquam abhorrent ab iisdem documentis recitandis bis. Cum 8,29-40 cf. 9,35-44, et cum 9,2-17 cf. 2 Esdr. 11,1-19. Coniicio igitur chronistam ante cap. 25 reapse scripsisse tractatum de levitis cantoribus, re eundem atque illum 6,20-47, qui explicat eorum cantorum ordinem, primum Davide antiquiorem, deinde a Davide reformatum. Coniicio porro eum tractatum e textu aliquando esse excisum ob rationem p. 6 sqq. explicatam.

Cum igitur cap. 25 sq. chronista explicaverit classem secundam, tertiam et quartam, merito inferes eum cap. 24 explicare *classem primam*, quae est de *levitis sacrorum ministris*. Quam classem omnium potissimam nequaquam potuit praetermittere, ubi classes explicare aggressus est. Profecto 24,1-19 describit vices ministrorum *sacerdotum*, quas instituit David. Dein progressus ad *simplices levitas*, tradit v. 20-30 conspectum genealogicum levitarum ministrorum, ubi ante v. 20 excisae sunt ob rationem p. 6 sqq. patroeciae Gersomitarum. v. 31 annuntiat, horum etiam levitarum vices sortibus esse definitas, sed desideratur harum vicium elenchus correspondens elencho v. 7-18. Quem rursum ob eandem rationem censeo esse excisum.

Cf. Schema p. 7, ubi quae partes pericopae 23,3-26,32 e nostro textu sint excisae, doceris, itemque affinitatem huius pericopae cum 6,20-47 et cum cap. 9.

a. Generalis descriptio rerum levitarum 1 Par. 23,3-32.

Arg. — Levitae ab anno 30° et supra reperiebantur 38,000 *numero*; quorum 24,000 attribuit David ministeriis sacris, 6,000 officiis scribarum et iudicum, 4,000 ianitorum et 4,000 cantorum officiis. Eorum etiam *vices* v. 6 determinavit. — Traditur porro v. 7-24 *elenchus stirpium* leviticarum. Dein v. 25-32 commemoratur *statutum Davidis* attribuentis ministeriis omnibus levitas ab anno non 30°, sed 20°. Quorum ministeriorum succinctus traditur conspectus.

Quandonam instituit David censum v. 3? Qui census instituebatur levitarum ab anno 30°, verba vero Davidis posteriora v. 27 levitas ab anno 20° ad sacra ministeria adigebant. Crediderim igitur verba Davidis priora seu censum v. 3 edita esse *pluribus annis ante* verba posteriora : eiusmodi magnae mutationes non consuevere brevibus fieri intervallis temporis. Verba autem illa posteriora auxere, uti numerum levitarum ministeria obeuntium universim, ita numerum

cantorum. Fuere igitur edita verba illa posteriora eo fortasse circiter tempore, quo David effecit unam earum reformationum cantorum, qua auxit numerum chororum. Cf. quae p. 308 sq. dicebamus, licueritne regi instituere censum.

v. 3 « *Numeratique sunt levitae a triginta annis et supra* », secundum legem Num. 4,3 sqq., « *et inventa sunt* » *per capita, viritim* « *triginta octo millia virorum* ». v. 4 « *Ex his* [*electi sunt et distributi*] *in ministerium domus Domini viginti quatuor millia* ». Ubi *Vulg. in ministerium*, *Hebr.* לנצח על מלאכת. Verbum נצח de musica sacra legebamus 15,21; iam in vocis significationem accuratius inquiramus oportet. *LXX R* τῶν ἐργοδιωκτῶν, *qui opus exsequebantur*; *LXX L* ἐπισπουδάζειν; *Syr. praefecti*. Vi etymi videtur נצח habere significationem *innocentem*, *purum*, hinc *eminentem esse, honorifico fungi officio*. Ita h. l. et 1 Esd. 3,8; nam levitarum officia circa sacra omnia erant honorifica. Hinc, ubi dantur officia honorifica et non honorifica, נצח significat *praeesse* : cf. 2 Par. 2,2 (1); 34,12 sq. Fortasse h. l. vox scribitur etiam ideo, quia officia circa ipsum altare habebantur magis honorifica officiis ianitorum, cantorum etc. « *Praepositorum autem* » — seu verius *scribarum* — « *et iudicum sex millia* ». 2 Par. 19,11 habentur *scribae* tantum. Censebant *Cai.*, *Sa*, *Men.* duobus nominibus exprimi officium unicum : id concesserim, quatenus singuli eius ordinis viri potuerint fungi officio modo scribae modo iudicis. *Malv.*, *Calm.* scribas faciunt iudicum exsecutores. *Van H.*, *Net.*, *Oe.* « magistratus et iudices » : id verum, in quantum magistratus plures facilius ex ordine scribarum assumerentur, quippe qui essent cultiores. Certe non *soli* levitae *iudices* erant : secundum Deut. 17,9 causae intricatiores deferendae erant ad tribunal supremum, cui praeter levitas adhibendus erat « iudex, qui fuerit in illo tempore » (cf. CD p. 356 sq.). Cui tribunali praeter sacerdotes et levitas Iosaphat 2 Par. 19,8 adhibuit capita familiarum. Quodnam fuerit virorum huius ordinis officium, disce e 1 Par. 26,29 : constituti erant « *pro opere exteriori* » (2 Esdr, 11,16) « super Israel in scribas et iudices ». Hoc officio 1 Par. 26,29-32 fungebantur Isaaritae uti videtur cis flumen, Hebronitae trans flumen. Mittebantur 2 Par. 24,5 sqq.; 34,9 ad colligendas pecunias, 35,9 ad cogendas victimas pro solemni Phase. Quorum ib. sex recensentur *familiae*, quae fortasse correspondent h. l. sex millibus : neque enim milliarius, אלף, solos semper mille viros complectebatur, uti neque centuria centum. Cf. *Van H.* p. 23 sq. 33 sq. 184. Vides igitur huius ordinis levitas consuevisse a rege vel pontifice mitti ad omne genus *operis exterioris honorifici*.

v. 5 « *Porro quatuor millia ianitores, et totidem psaltae canentes*

Domino in organis, quae fecerat ad canendum ». Ita etiam *LXX R.* Sed *Hebr. LXX L* עשיתי, *feci.* Tamen non habetur (*Oe.*) oratio *directa* Davidis, quae ridicule ordiatur v. 4 et terminetur extremo v. 5 : praeferenda lectio עשה, *fecit.*

Post recensitas v. 4 sq. quatuor classes levitarum, traditur v. 6-23 conspectus cognationum levitarum.

v. 6 « *Et distribuit eos David per vices filiorum Levi : Gersom* [*videlicet*] *et Caath et Merari* ». *Hebr.* : *secundum filios Levi* : *secundum Gersom etc.* Has tres summas divisiones nequaquam confudit David : sed in his summis classibus distinxit *vices*, מחלקות, non natura sed arte definitas; quales habentur possessionum Ios. 11,23; 12,7 etc.; turmarum exercitus 1 Par. 28,1 et cap. 27 passim; imprimis Levitarum, quae 24,5. 31 scribuntur *sortibus* esse effectae. Harum vicium v. 6 facta mentione, recensentur v. 7-23 non ipsae vices arte definitae, quas habes cap. 24, sed *stirpes natura natae*, primum quod deceret earum stirpium praemitti elenchum, deinde, quod hic elenchus praeparet alterum elenchum 24,20-31, qui sine illo intelligi plane nequit.

v. 7 « *Filii Gersom Leedan et Semei* ». *Leedan*, לעדן (26,21), filius Gersom et frater Semei, evidenter idem est, qui 6,17; Ex. 6,17; Num. 3,18 (cf. Num. 3,21; 26,58) scribitur *Lobni*, filius Gersom et frater Semei. Deformationes nominis Leedan habes etiam 7,20 sq. Neque tamen cogimur h. l. errorem scribae adstruere, cum nomina stirpium et cognationum non demonstrentur fuisse immutabilia. V. g. si tempore Davidis princeps Lobnitarum exstitit Leedan, potuit in documentis aevi davidici tota stirps Lobni vocari Leedan vel filii Leedan.

v. 8 « *Filii Leedan : princeps Iahiel et Zethan et Ioel, tres* ». Iunge cum *LXX L* : *Filii Leedan principis. Princeps* fuit Leedan utique Leedanitarum seu Lobnitarum omnium; sed fuit etiam, et hic asseritur fuisse, princeps respectu *Semei* : fuit princeps Gersomitarum omnium. *Iahiel, Zethan* et *Ioel* habentur iidem 26,21 sq., neque officit ib. Zethan et Ioel scribi *filios* Iahiel; non enim h. l. affirmantur a Leedan esse immediate geniti. *Ioel* vero omnino censeo eundem esse atque Ioel, principem aliquem Gersomitarum 15,7. 11 (cf. ad 6,21)

v. 9 « *Filii Semei : Salomith et Hosiel et Aran, tres* ». Ita dicuntur *filii Semei* v. 9, uti alii tres v. 8 *filii Leedan*; symmetrice utrobique adscribitur summa *tres* : ergo Semei v. 9 indubie idem est atque Semei v. 7 (c. *Net.*). Verum si hoc, latet error in sequente inciso : « *Isti principes familiarum Leedan* ». Filii Semei fratris minoris nequaquam fuere principes familiarum fratris maioris. Ergo aut corrigas *Isti principes familiarum Semei*, vel, quod equidem omnino praefero, *Isti principes familiarum Leedan et Semei* : nomen Semei illico repe-

tendum facile excidebat. Clausula haec non soli v. 9^a adscribitur, sed v. 8^b. 9^a : viri *tres* v. 8 fuere principes familiarum *Leedan*, et viri *tres* v. 9 fuere principes familiarum *Semei*. Princeps primarius Gersomitarum exstitit Leedan, principes secundi ordinis illi sex viri, princeps tertii ordinis certe Leheth seu Iahath v. 11. Illico patet ratio, cur verba v. 9 *filii Semei* eadem repetantur initio v. 10 : sc. v. 9 tradit filios Semei eos, qui principes fuere secundi ordinis seu cognationum maiorum, v. 10 tradit filios Semei eos, qui principes secundi ordinis non fuere.

v. 10 « *Porro filii Semei : Leheth et Ziza et Iaus et Baria : isti filii Semei, quatuor* ». יחת, 'Ιεθ, 'Ιειήλ : idem nomen, quod 6,43 Ieth, et 6,20 accuratius *Iahath*. Non necessario idem vir, nam 24,22 habetur tertius Iahath, et is quidem Isaarita. Pro זיזא (etiam v. 11) *Kethib* h. l., mendose uti videtur, זינא. v. 11 « *Erat autem Leheth prior* », — verte *princeps*, super tres fratres suos — « *Ziza secundus. Porro Iaus et Baria non habuerunt plurimos filios, et idcirco in una familia* [*unaque domo*] *computati sunt* », *Hebr.* : *et facti sunt patroecia una numeratione una*. Generatione habebat Semei patroecias secundarias *quatuor*, numeratione publicoque iure *tres*.

v. 12 « *Filii Caath : Amram et Isaar, Hebron et Oziel, quatuor* ». v. 13 « *Filii Amram : Aaron et Moyses* ». Iam explicatur, cur Aaron inter simplices levitas non recenseatur, fuit sc. *separatus* : « *Separatusque est Aaron, ut ministraret in sancto sanctorum, ipse et filii eius in sempiternum, et adoleret incensum Domino secundum ritum suum* », — pro hac voce melius cum *LXX* verte : *et ministraret ei* — « *ac benediceret nomini eius in perpetuum* ». E contra filii Moysis *vocati* sunt inter simplices levitas, ideo h. l. v. 15-17 recensentur efficiuntque *familiam leviticam Amram* : v. 14 « *Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi* ». v. 15 « *Filii Moysi : Gersom et Eliezer* » (Ex. 2,22 ; 18,3 sq.). v. 16 « *Filii Gersom : Subuel primus* », seu verius *princeps*. v. 17 « *Fuerunt autem filii Eliezer : Rohobia primus* », seu *princeps*. « *Et non erant Eliezer filii alii ; porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis* ». Subuel et Rohobia habes etiam 24,20 sq. ; 26,24 sq., secus nusquam.

v. 18 « *Filii Isaar : Salomith primus* », i. e. *princeps*, idem nomen atque v. 9, sed alius vir.

v. 19 « *Filii Hebron : Ieriau primus* », i. e. *princeps*, « *Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus* ». Cf. 24,23.

v. 20 « *Filii Oziel : Micha primus* », i. e. *princeps*, « *Iesia secundus* ». Cf. 24,25.

v. 21 « *Filii Merari* », fratris v. 6 Gersom et Caath : « *Moholi et*

Musi » (Ex. 6,19 etc.). « *Filii Moholi : Eleazar et Cis* ». Cf. 24,28 sq. v. 22 « *Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios sed filias, acceperuntque eas filii Cis fratres earum* », et secundum legem leviratus generavere ex eis filios, qui familiam Eleazar perpetuarent. Neque tamen inde efficitur fuisse *duas* Moholitarum patroecias; certe non adscribitur *duo*. Si v. 11 Iaus et Baria coaluere in patroeciam unam ob paucitatem filiorum, probabile apparet Moholitas, qui vere omnes ex uno Cis ducebant originem, unam effecisse patroeciam Cis. Nota v. 22 videtur esse eiusdem indolis atque nota v. 11 (v. i.). v. 23 « *Filii Musi : Moholi* », diversus a Moholi v. 21, « *et Eder et Ierimoth, tres* ». Cf. 24,30. *Tres* intellige *principes* (cf. v. 8 sq.), licet vox h. l. non adscribatur. Etiam Eleazar-Cis principibus accenseo. Tandem summam v. 7-23 *schemate* exhibeo.

Leedan princeps			1
I. Stirps Gersom v. 7-11.			
1. ramus : Leedan	:	Iahiel, Zethan, Ioel principes	10
2. ramus : Semei	:	Salomith, Hosiel, Aran principes	
Semei	:	Leheth princeps, Ziza, Iaus-Baria	
II. Stirps Caath v. 12-20.			
1. ramus Amram-Moyses	:		
Gersom	:	Subael princeps	
Eliezer	:	Rohobia princeps	
2. ramus Isaar	:	Salomith princeps	9
3. ramus Hebron	:	Ieriau princeps, Amarias, Iahaziel, Iecmaam	
4. ramus Oziel	:	Micha princeps, Iesia	
III. Stirps Merari v. 21-23.			
1. ramus Moholi	:	Eleazar-Cis	4
2. ramus Musi	:	Moholi, Eder, Ierimoth.	
			24

v. 24 « *Hi filii Levi in cognationibus [et familiis] suis, principes per vices et numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domus Domini a viginti annis et supra* ». Est haec *subscriptio* pericopae v. 3-23. Habebas 6,31-33 *inscriptionem* bipartitam, indicantem *duas* res quas habet pericope 6,33-47, cantores et cantorum praesides; habes h. l. similis formae *subscriptionem* bipartitam. *Hi filii Levi secundum patroecias suas* (*Hebr.*), respicit 38,000 levitas in 4 classes divisos v. 3-5, *patroecias* vero indicat v. 7-23, quatenus patroeciarum recitat *principes*. At aliud praeterea habet eadem pericope v. 3-23, sc. *principes patroeciarum* v. 7-23, quae verba h. l. parentheseos instar adscribuntur. Sequitur accuratior explicatio : *secundum numerationem suam* v. 3, cuius numerationis indoles clarius etiam explicatur : *se-*

cundum numerum hominum capitatim. Tandem filiorum Levi officium describitur : *facientes opus ministerii domus Iahve etc.*

Haec expressio accuratius explicanda. Dixeris eam eandem esse, atque expressionem v. 4 « ad honorifica officia ministerii domus Iahve », quae respicit sola ministeria sacra primae classis levitarum. At deest h. l. vox לנצח, *ad honorifice agendum*; expressio vero עשה מלאכה לעבדת בית יהוה tantum abest, ut sola *honorifica* ministeria designet, ut 2 Par. 24,12; 34,10. 13; 1 Esdr. 3,9; 2 Esdr. 2,16 designet *opificum* labores reparandi sanctuarii. Quare iudico, expressionem h. l. designare ministeria non solius primae classis, sed omnium quatuor classium levitarum. Ita etiam *Van H.* p. 22.

Difficultatem habent extrema verba v. 24 *a viginti annis et supra.* Quam lectionem perperam aliqui emendavere *triginta.* At nonne affirmabat v. 3, sermonem esse de levitis a triginta annis et supra? Recte monet *Est.*, numerationem illam factam esse levitarum *triginta* annorum; postea Davidem, quod censeret numerum levitarum esse insufficientem, neque tanto iam ad ministeria sacra opus esse robore, quanto opus fuerat in deserto quando portandae erant res sacrae, numerum auxisse. Ea re imponebat levitis onus, quod Moyses illis non imposuerat neque tamen imponi prohibuerat; agebat omnino secundum spiritum legis. Potuit autem hoc onus imponere rex potentissimus, qui dignitatis ordinis levitici se exhibebat in omnibus perquam sollicitum; res auctura erat Levitarum auctoritatem, neque prudentes Levitarum principes obsistere potuere consilio aequo et pio, quod effecturum erat, ne homines sui nimium otiarentur aut nimium se impenderent negotiis profanis. Aliud vicissim David levitis contulit emolumentum, quod eis a Moyse non fuerat attributum, ut lege lata eis deferret ordinaria munera scribarum et iudicum.

Manet tamen difficultas, eosdem v. 24 affirmari ministeriis adhibitos esse a viginti annis et supra, qui v. 3 affirmabantur adhibiti esse a triginta annis et supra. Quam difficultatem facile solvunt rationalistae affirmantes, chronistam esse in compingendis duobus documentis, quae contradicunt invicem. Tamen eam « contradictionem » utique perspectam habebat chronista, qui illico v. 25 sqq. procedit ad explicandum, Davidem hac in re ultra Moysis statutum esse progressum. Dicamus ergo chronistam extrema verba v. 24 scripsisse negligentius, non falso : locuturus v. 25 sqq. de novo Davidis statuto adscripsit verba *facientes opera a viginti annis et supra.* Verene haec adscripsit? Utique. Verene cognationes omnes v. 7-23 fecere opera a viginti annis et supra? Fecere. Verene fecere illi 38,000 v. 3? Fecere ipsi, et alii praeterea a 20° ad 30um annum. Verene illi 38,000 fuere

viri a 20° anno et supra? In hac una re negligentius vagatur chronistae calamus, sed nullus lector in errorem inducitur, qui contextum cap. 23 perspexit. Cf. ad v. 27.

Perspicis iam indolem elenchi v. 7-23. Est ille veluti individua continuatio brevioris elenchi 6,16-19ª. Ille e Gersom, Caath et Merari potissimas octo levitarum stirpes derivabat, hic describit quae ex illis prodiere principaliores cognationes. Tradit eas, quales reperit David v. 24 in illa v. 3 praevia numeratione, ergo quales iam ante Davidem fuerant. Elenchus non agit de una e quatuor classibus, sed levitas omnes complectitur. Certe non recitat *vices*, quas v. 6 instituit David : nihil de vicibus elenchus habet. Tradit conspectum cognationum levitarum omnium, eoque praeludit iis, quae de singulis levitarum classibus dicenda supersunt.

Illico v. 25-32 refertur prima mutatio, quam effecit David : *numerum auxit levitarum*, qui variis officiis fungerentur. Id agens auxit item numeros quatuor classium, quas v. 4 sq. enumeratas habes; quas videtur ipse aliquamdiu ante accurate definivisse.

v. 25 incipit aliquod alloquium David (« dixit enim David ») describens officia levitarum : sed illud alloquium violenter interrumpit v. 27, qui non est pars alloquii Davidis, cum David loquens non fuerit citaturus *verba David*, sed *verba mea*. Praeterea tota pericope v. 25-32 in eo est, ut explicet illud v. 24, levitas ad sacra ministeria assumptos esse ab anno aetatis 20°, non ab anno 30° (v. 4): atqui istud explicat v. 27, non vero explicant v. 25 sq., si ante v. 27 scribantur. Difficultatem complanatam habes, si v. 27 scribas initio pericopae et ante v. 25 : *nam in Verbis David posterioribus habetur iste numerus filiorum Levi a 20° anno supra.* Versus optime iungitur versui 24; uterque versus agit de *numero*; v. 27 reapse explicat rationem v. 24 (*nam*) : vere ibi affirmantur levitae esse numerati ab anno 20°, si Verba David *posteriora* istum modum numerationis praescribebant; ob quas vero rationes prescripserint, continuo sermone tradunt v. 25 sq. 28-32 explicantes, quid officiorum levitae illi habuerint et non habuerint, et explicantes quidem ipsis Davidis verbis.

v. 25 « *Dixit enim David : Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, et habitationem Ierusalem usque in aeternum* ». *Hebr.* : *et habitavit*, habitaculum suum fixit. « Stationarium cultum instruxit » (*Malv.*). Conditio tam populi quam sanctuarii est fixa et permanens; quare primum liberantur levitae ministerio gravissimo circunferendi sanctuarii, quod robustiores fere exigit gestatores quam 20 annorum iuvenes : v. 26 « *Nec erit officii levitarum, ut ultra portent tabernaculum* » — *Hebr.* : *habitaculum*, parietes sc. e lignis setim qui erant

portatu etiam graviores quam tabernaculi pelles; sed eadem voce item subintelligitur *tabernaculum*, quod item portabatur, neque includitur voce *vasa* — « *et omnia vasa eius ad ministrandum* ». *Hebr.* : *pro ministerio eius*, sc. habitaculi. Quod iam levitae ab his gravibus oneribus eximantur, aliqua utique ratio est cur possint etiam iuniores ad officia levitica adscisci, at, quamdiu sola profertur, certe non est ratio sufficiens. Si pauciora iam erant levitis praestanda, eorum numerus non fuit augendus, sed minuendus : augebatur vero accitis levitis ab anno 20° ad 30um. Quare v. 28-32 subnectit David aliam et efficacissimam rationem : levitis non erit quidem iam portanda arca, sed reliqua sacra officia sunt tam multiplicia, eruntque tam accurate et solemniter praestanda, ut utique opus sit maiore numero levitarum.

Sed priusquam haec explicentur, inserit noster textus v. 27, cuius nativum locum dicebamus esse ante v. 25. v. 27 « *Iuxta praecepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra* ». Sententia incipiens voce *nam* rationem affert eorum, quae v. 24 dicebantur. *Verba* secundum contextum *Vulg.* interpretatur vere *praecepta*, habet tamen vox etiam h. l. latiorem sensum (cf. 29,29), ut aut *gesta* significet aut *documentum* in quo gesta habeantur descripta. Ergo v. 4 depromptus est e *Gestis Prioribus Davidis*, v. 25-32 e *Gestis Posterioribus*, e quorum certe mente item adscribebatur v. 24^{b}. Ergo etiam ideo non pugnant inter se narrata v. 3.24, quia ipse narrator sacer se illa deprompsisse profitetur e diversis diversorum temporum fontibus, qui suo quisque tempore fuerint testes veraces. Vides, non omnia quae cap. 23 leguntur, respicere (v. 1) solos extremos dies vitae Davidis.

Explicantur porro ministeria levitarum, et primum quidem generali expressione v. 28 : « *Et erunt sub manu filiorum Aaron* ». *Hebr.* : *sed locus eorum est ad manum filiorum Aaron*, sunt horum veluti amanuenses. Respicit vero כי adversativum v. 26 : non portabunt, sed etc. Iam singula enumerantur : « *in cultum domus Domini, in vestibulis* », i. e. *atriis*, « *et in exedris* », i. e. *cubiculis*, in quibus v. g. thesauri et alia recondebantur, « *et in* [*loco*] *purificationis* [*et*] *in sanctuario* », — verte : *et quoad purificandas quaslibet res sanctas* — « *et in* [*universis*] *operibus ministerii templi Domini* ». *Hebr.* : *et effectionem ministerii domus Iahve*, ubi Vulg. apte utique inserit vocem *universis*. Est generalissima expressio omnia complectens ministeria, quae v. 28-32 non recensentur singillatim. Sed perperam v. 29 *Vulg.* inserit vocem *sacerdotes* (dein v. 30 rursum vocem *levitae*) : v. 28-32 sola habet officia *levitarum*; circa oblationes sacras v. 29 levitae, uti patet, ea sola praestabant officia, quae sacerdotibus non erant reservata. Chronista

non recitat ad verbum *praeceptum* aliquod Davidis, sed v. 25 profectus ab aliquo Davidis statuto verbis suis et stilo suo recitat levitarum officia sacra, brevius uti crediderim et minus articulate, quam ea fortasse David in suo statuto recitaverat.

v. 29 « [*Sacerdotes autem*] » — voces dele — « *super panes propositionis, et ad similae sacrificium, et ad lagana azyma et sartaginem, et ad torrendum, et super omne pondus atque mensuram* ». *Hebr.* : *et quoad panes propositionis praeparandos, et quoad similam, et quoad mincham, et quoad tortas azymorum, et quoad sartaginem*, in qua res coquebantur etc. (Lev.2,5; 6,21 [14]; 7,9), *et quoad* מרבכת, genus quoddam operationis culinariae, cuius non valemus significationem definire (cf. ad Lev. 6,21 [14]), *et quoad omnem mensuram* liquidorum *et mensuram* solidorum (cf. ad Lev. 19,35). Ultimi incisi duas *Mar.* profert explicationes. Una est, servata esse in templo accurata exemplaria ponderum et mensurarum, quibuscum singula sua pondera suasque mensuras comparabant, essetne in illis aliquid vitii; his comparationibus praefuisse levitas hosce. Sed fere adscribenda erant *pondera*, illudque officium pertinebat fortasse potius ad levitas illos, qui v. 4 iudices et scribae erant. Praeplacet altera explicatio *Mar.*, agi de mensurandis oblationibus, simila, oleo etc. Reapse totus v. 29 est de oblationibus sacris. Quae vero levitis praestanda erant quoad ipsas *victimas* (mactare, excoriare etc.), ea h. l. non recensentur, sed includuntur generali expressione extremo v. 28.

v. 30 « [*Levitae vero*] *ut stent* » *singulis* « *mane ad confitendum et canendum* », i. e. ad laudandum et iubilandum, « *Domino; similiterque ad vesperam* » ; v. 31 « *tam in* » *omni* « *oblatione holocaustorum Domini* », — quandocunque offeruntur holocausta, non solum lege praescripta, sed item gratuito oblata; non vero in sacrificiis pacificis — « *quam in sabbatis et calendis* », i. e. neomeniis, « *et solemnitatibus* [*reliquis*], *iuxta numerum et ceremonias uniuscuiusque rei, iugiter coram Domino* ». *Hebr.* : *secundum numerum, secundum statutum, quoad ipsos* : singulis sacrificiis intererunt eo numero, quem consuetudo quae in statutum versa est exigat. Dices, chronistam v. 30 sq. ab officiis levitarum v. 4ᵃ delabi ad officia cantorum v. 5, quod, cum ipse h. l. scribat liberiore stilo, difficultatem non habet. Neque tamen id affirmare cogeris. Officia omnia v. 28 sq. levitis v. 4ᵃ praestanda erant *ante* sacrificia, aliqui eorum certe pro officio intererant ipsis sacrificiis : hi iubentur se sociare cantoribus.

Tandem inculcantur levitis istis rursum eorum obligationes omnes, levitis inquam v. 4ᵃ, non iudicibus, scribis, cantoribus, ianitoribus. v. 32 « *Et custodiant observationes tabernaculi foederis, et ritum sanc-*

tuarii, et observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini ». משמרת utique nativa significatione dicit *custodiam* (*Cai.*), at saepe induit significationem *leges, statuta* : cf. Lev. 18,30; 22,9; Deut. 11,1 (cf. CD p. 241). Ergo recte *Vulg. observationes* (postea *rituum*). *Observationes tabernaculi foederis* intellexerim statuta a Moyse edita; *observationes sanctuarii* aut idem, aut statuta legitimo post Moysen usu vel lege introducta; *observationes filiorum Aaron quoad ministerium domus Iahve*, mandata quaedam particularia a sacerdotibus imposita levitis in rebus sacris.

b. Sacrorum ministri 1 Par. 24.

Arg. — Expliciturus v. 20-31 *simplicium levitarum* in sacris ministeriis vices, praemittit auctor *sacerdotum* vices 24. In quibus accurate servabantur *cognationes* natura natae, sed *ordo*, quo ad sacra ministeria singulae accederent, determinabatur ita, ut, quoad numerus Ithamaridarum minor id ferret, singulas vices Eleazaridarum exciperent singulae vices Ithamaridarum. Vices Gersomitarum levitarum e textu excidere. Caathitarum et Meraritarum describuntur cognationes uti videtur 16, quae sacris ministeriis sunt attributae.

α. Vices sacerdotum 1 Par. 24,1-19.

Plura e nominibus v. 7-18 habes 9,10 sqq.; 1 Esdr. 2,36 sqq.; 2 Esdr. 7,39 sqq.; 11,10 sqq. Zacharias Luc. 1,5 fuit de vice Abia. Ios. (Vita 1) gloriatur se esse de vice Ioiarib, de qua fuere etiam Machabaei (1 Mach. 2,1). Affirmat idem (Ant. VII. 14,7), illas 24 vices usque ad sua tempora perseverasse, atque singulas ministeria sacra obiisse a sabbato ad sabbatum. Agitur utique de instituto Davidis, quod post exsilium perseveravit.

Sane post exstructum a Salomone templum omnes illae 24 vices in *templo* ministrabant. Sed vices instituit David tum, quando erant adhuc sanctuaria duo, unum Gabaone, alterum Sione. Quomodo tum sacerdotum vices inter illa duo sanctuaria sint distributae, ignoramus.

Cap. XXIV v. 1 « *Porro filiis Aaron partitiones* » seu vices « *hae erant* » : — Vices, quod patet per se et e v. 4, institutae sunt tantum filiorum Eleazar et Ithamar. Sed auctor a *genealogia* proficiscitur : filii Aaron, inquit, fuere quatuor, quorum duo tantum nacti sunt posteritatem, e quibus ortum duxere sacerdotes omnes — « *Filii Aaron : Nadab et Abiu et Eleazar et Ithamar* ». v. 2 « *Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis, sacerdotioque functus*

est Eleazar et Ithamar ». Fere verbotenus uti Num. 3,2. 4. — v. 3 « *Et divisit eos David*, [*i. e.*] *Sadoc de filiis Eleazar et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas ad ministerium* ». *Hebr.* : *in vices suas in ministeriis suis*. Noli scribere *id est*, sed : divisit eos David *et* Sadoc *et* Achimelech, de quo v. s. p. 296 sq. Divisio fuit efficienda non solius regis auctoritate, sed auctoritate item duorum pontificum vicariorum. v. 4 « *Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris* », — verte *quoad capita* seu numerum *virorum*; viri Eleazaridae inventi sunt numero longe plures — « *quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim, et filiis Ithamar per familias et domos suas octo* ». Aliquam rationem exigui numeri Ithamaridarum suppetit furor Saulis 1 Reg. 22,11 sqq. in totam domum pontificis ithamaridae. Lector hebraeus praeterea eum exiguum numerum utique interpretaturus erat signum divinae in Ithamaridas indignationis, ob quam eisdem non concesserit Deus numerosam prolem. Cuius indignationis rationem fortasse perspiceremus, si rationem compertam haberemus, qua Ithamaridae pontificatum nacti sint loco Eleazaridarum. *Hebr.* : *principes patroeciarum* : fuere principes 16 + 8 = 24, totidemque patroeciae, quas enumeratas habes v. 7-18. Patroeciae in hac vicium distributione servabantur intactae.

v. 5. « *Porro divisit utrasque inter se familias sortibus* ». *Hebr.* : *et divisit eos sortibus, hos et illos*, Eleazaridas et Ithamaridas; non permiscuit stirpes illas. Modus maxime obvius distributionis instituendae erat ordo *primogeniturae*, ut primi scriberentur Eleazaridae omnes, secundi Ithamaridae omnes : sed Ithamaridae omnes vix potuere ad calcem relegari tum, quando domus summi pontificis ex Ithamaridis erat; idque tanto minus, quod tantopere numeris Eleazaridae excederent Ithamaridas. Vel potuit primus locus attribui patroeciae sacerdotum eleazaridarum primogenitae, secundus locus patroeciae sacerdotum ithamaridarum. Neutrum modum secutus est David, sed rem *sortibus* dirimendam permisit. Rationem (*Cai.*) assignat sequens sententia demonstrans, aliam potius quam solam primogenituram rationem Davidi fuisse perpendendam.

« *Erant enim principes* » et patroeciae « *sanctuarii et principes* » et patroeciae « *Dei tam de filiis Eleazar quam de filiis Ithamar* ». Cum pluribus codicibus hebraeis (*de Rossi*) pro ובבני lege ומבני. *LXX* perperam *Domini*. Qui *principes sanctuarii*, et qui *principes Dei*? Varia tentamina explicationum vide apud *Cai.*, *Tost.*, *Malv.*, *Men.* aliosque. *Principes Dei* non sunt pontifices et *principes sanctuarii* simplices sacerdotes, quae interpretatio est plane aliena a communi modo lo-

quendi. Ob eandem rationem repudianda est interpretatio, *principes sanctuarii* et *principes Dei* esse ἐν διὰ δυοῖν pro « principes sancti et pii » : Davidem noluisse ipsum definire vices, reverentia motum sanctitatis, sive qua florerent ipsi illi principes, sive qua floruissent eorum maiores nescio qui. Propius ad veritatem, ut equidem reor, accessit *Ps. Hier.* (Quaest. hebraicae in libros Regum et Par.; *M.* 23, 1387) : « *Principes sanctuarii filii Ithamar, principes Dei de filiis Eleazari*... Et idcirco dicuntur principes sanctuarii de Ithamar, quia ibi ministrabant ». Non utique fas est transponere verba textus, uti facit Ps. Hier. : verum id veritatis attigit, *principes sanctuarii* et *principes Dei* his nominibus appellari intuitu diversorum *locorum*, ubi ministrabant.

Recole duo tum fuisse legitima sanctuaria, unum *Gabaone*, alterum *Sione*; ibi sacris praefuisse Sadoc (16,39), hic Achimelech. Rem vel obiter perpendens perspicies, Davidem, si cuperet vices definire ipse, gravissimam difficultatem experturum fuisse *duorum sanctuariorum aemulationem*. Patroeciae tam Eleazaridarum quam Ithamaridarum, quae ministrabant in sanctuario *antiquiore* gabaonensi, non erant laturae, ut sibi anteferrentur patroeciae ullae earum, quae ministrabant in sanctuario recens condito. Vicissim patroeciae tam Eleazaridarum quam Ithamaridarum, quae ministrabant in sanctuario *regio*, non erant concessurae primum locum paganis gabaonitis.

Porro, uti h. l. habentur *principes sanctuarii* et *principes Dei*, ita 26,20 sqq. levitis quibusdam committitur custodia *thesauri domus Dei* et *thesauri sanctuarii*. In thesaurum vero sanctuarii reposuerat David praedas bellorum; idem ante Davidem fecerant Samuel, Saul, Abner : erat igitur *thesaurus sanctuarii* Davide antiquior. Neque tamen inde sequitur, eum thesaurum tum esse Gabaone asservatum : potuit David hunc thesaurum a moderatoribus rei publicae coactum, et suo tandem arbitrio attribuendum templo, transferre in urbem munitam suam. Similiter 6,48 habes inchoatum elenchum levitarum eorum, qui sub Sadoco (v. 53) pontifice *Gabaone* sacra ministeria obibant, iique scribuntur dati esse in omne ministerium *habitaculi* (seu *tabernaculi*) *domus Dei*.

Ergo *Gabaone* erat *domus Dei*, ad quam spectabat *thesaurus domus Dei*, erat *habitaculum* (seu *tabernaculum*) *domus Dei*, habens 6,49 altare holocaustorum et altare thymiamatis Moysis, sed non habens arcam (ib.); cui ministrabant principes domus Dei seu *principes Dei* cum suis patroeciis. Vicissim *Sione* erat *sanctuarium* et *thesaurus sanctuarii*, ubi ministrabant *principes sanctuarii* cum suis patroeciis.

Perspicis, cur David ordinem vicium maluerit *sortibus* permittere

definiendum : compescendae erant *invidiae* inter sacerdotes gabaonenses et sacerdotes sionenses.

v. 6 « *Descripsitque eos Semeias filius Nathanael, scriba levites, coram rege et principibus* », sive solius exercitus (25,1), sive exercitus et tribuum (23,2; 28,1), « *et Sadoc sacerdote et Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium et leviticarum* ». Solemnis plane concio, cui tot tantique viri interessent *testes*, fortasse tamquam testes documento nomina subscriberent. Semeias non vocatur communi nomine שוטר (23,4), sed *titulo officii* סופר, *scriba*. Descripsit vero « *unam domum, quae* [*ceteris*] *praeerat, Eleazar; et alteram domum, quae sub se habebat* [*ceteros*], *Ithamar* ». Perperam *Vulg.* participium אחז vertebat *quae praeerat* : vertendum fuit *prehensa*; tamen secus verbum אחז de *sortibus* non scribitur.

Igitur *Kethib Vulg.* legunt : בית אב אחד אחז לאלעזר ואחד אחז לאיתמר, *patroecia una prehensa Eleazaro, et una prehensa Ithamaro*. Non omnia *sortibus* definiebantur, sed eae iaciebantur de Eleazaridis seorsim, et de Ithamaridis seorsim. Si E designat Eleazaridas et I Ithamaridas, habebis vices has :

EI EI EI EI EI EI EI EI EEEEEEEE.

2 Iedei, 4 Seorim, 6 Maiman, 8 Abia, 10 Sechenia, 12 Iacim, 14 Isbaab, 16 Emmer fuere Ithamaridae, reliqui Eleazaridae.

Eundem sensum longe planius exprimunt *LXX R*, bis pro אחד אחז scribentes distributivum אחד אחד : *patroeciae singulae Eleazaridarum et singulae Ithamaridarum*. *LXX L* omittunt utrumque אחז, sensu haud mutato. Sed pro altero אחד אחז, *Keri* אחז אחז : *patroecia una prehensa Eleazaro, et prehensa prehensa Ithamaro*, modus ineptissimus exprimendi, pro singulis Eleazaridis sortibus determinatos esse Ithamaridas duos. Ergo :

EII EII EII EII EEEEEEEEEEEE.

Ithamaridae : 2 Iedei, 3 Harim, 5 Melchia, 6 Maiman, 8 Abia, 9 Iesua, 11 Eliasib, 12 Iacim. Reliqui Eleazaridae.

Cur quaeso pro singulis Eleazaridis determinati fuerint Ithamaridae duo, cum non Ithamaridae ad Eleazaridas, sed Eleazaridae ad Ithamaridas habuerint rationem 2 : 1 ? Plane sensum Keri pervertit *Net.* : « Nomina 16 patroeciarum seu principum Eleazaridarum erant in vase uno, in altero vase erant nomina 8 Ithamaridarum. Sortibus determinabantur primum Eleazaridae 2, dein Ithamarida 1. Ithamaridae fuere 3,6,9,12,15,18,21,24 ».

EEI EEI EEI EEI EEI EEI EEI EEI.

Haec series est per omnia aequalis. Sed textus nequaquam affirmat, distributionem perfecta aequalitate factam esse. Neque cap. 25 habetur perfecta aequalitas. Reiicienda est lectio Keri.

Igitur in instituendis vicibus sacerdotum David non plane neglexit *primogenituram*. Voluit, ut 16 priores vices constarent 8 binariis EI, in quibus semper E priorem, I secundum locum haberet. Sed singuli E et singuli I *sortibus* determinabantur, uti etiam 8 E qui elenchum claudebant.

Procedebat David secundum axioma: Divide et impera, ut antiquas necessitates stirpium et cognationum relaxaret, atque ita unius summi pontificis augeret auctoritatem super sacerdotes, qui tum erat Abiathar ithamarida, et mox fuit Sadoc eleazarida. Quam eandem methodum observavit cap. 25 in miscendis Nathinaeorum choris, itemque 6,39-43 in miscendis Lobnitis et Semeitis (v. s. p. 141).

Cur voluit David, ut in binariis priorem semper locum obtinerent *Eleazaridae*? Fortasse, quod, cum familia pontificalis Ithamaridarum haberet primatum prae familia pontificali Eleazaridarum, aequum videretur inter simplices sacerdotes primatum concedere Eleazaridis, qui numeris etiam omnino praevalerent. Praeterea, quod, licet Eleazaridae tum amisissent primatum auctoritatis, apud eos tamquam stirpem primogenitam maneret primatus honoris.

Hinc facile solvitur difficultas, quam movet *Kittel*, non videri narrari *vera*: scriptoris certe eam fuisse mentem, institutum hoc vicium post Davidem perseverasse; verum una cum Abiathar a Salomone relegandos fuisse Ithamaridas omnes; ergo totum ordinem vicium a Salomone initio regni fuisse recudendum; Ithamaridas praeterea in posterioribus historiis nusquam commemorari. Verum, si illud fuit Davidis consilium, ut stirpium discrimen obliteraret totumque sacerdotum ordinem ad arctiorem revocaret unitatem, sane quod postmodum discrimen inter Eleazaridas et Ithamaridas non commemoretur, id demonstrat solummodo Davidis consilium effectu non caruisse. Commemorantur post exsilium vices Iedei, Abia, Emmer, quas Ithamaridarum fuisse iudicamus. Commemoratur ipse Ithamar 1 Esdr. 8,2. Simplices sacerdotes ithamaridas cum Abiathar pontifice a sacris esse suspensos, gratis asseritur. Quem exitum habuerit ipsa domus Abiathar, ignoramus.

Quae sequuntur nomina, videntur esse ipsa nomina, quibus patroeciae tempore Davidis vocabantur, non necessario nomina primorum progenitorum patroeciarum, cum nomina potuerint ante Davidem mutari. Nomen Iahve in maiore parte horum nominum non reperitur.

v. 7 « *Exivit autem sors prima Ioiarib* » 1 Mach. 2,1, — « *secunda Iedei* » 1 Par. 9,10, — v. 8 « *tertia Harim, quarta Seorim* », v. 9 « *quinta Melchia* » 1 Par. 9,12, — « *sexta Maiman* », v. 10 « *septima Accos, octava Abia* » Luc. 1,5, — v. 11 » *nona Iesua, decima Sechenia* », v. 12 « *undecima Eliasib, duodecima Iacim* », v. 13 « *tertiadecima Hoppha, decima quarta Isbaab* », 'Ιεσβααλ, 'Ισβααλ, — v. 14 « *decima quinta Belga, decima sexta Emmer* » 1 Par. 9,10, — v. 15 « *decima septima Hezir, decima octava Aphses* », v. 16 « *decima nona Pheteia, vigesima Hezechiel* », v. 17 « *vigesima prima Iachin* » 1 Par. 9,10, — « *vigesima secunda Gamul* », v. 18 « *vigesima tertia Dalaiau, vigesima quarta Maaziau* ». Plura de his nominibus v. in Commentario in 1. 2 Esdr.

v. 19 « *Hae vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini* [*et*] *iuxta ritum* » seu statutum « *suum, sub manu Aaron patris eorum, sicut praeceperat Dominus Deus Israel* ». Exprimiturne nomine *domus Iahve* sanctuarium gabaonense? Obiicies, illud 6,48 (cf. 24,5; 26,20) vocari *domum Dei* : tamen saepe commutantur nomina *Iahve* et *Deus*. Pericope 6,47-53, quae nostrae huius pericopae affinis est, certe agit de sacris gabaonensibus solum; quo unico loco potuere tum servari *statuta* haec omnia Iahvae.

β. Vices levitarum 1 Par. 24,20-31.

Haec pericope intime nectitur pericopae praecedenti: cf. v. 31 *et ipsi*, quod evidenter respicit v. 5. Ergo pericope est de *levitis ministris sacrorum*, quae est prima quatuor classium 23,4 sq. Totum cap. 24 est de una eademque re, ministris sacris. v. 20 « *Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant* » — Respectu quorum dicuntur h. l. levitae quidam *reliqui*? Vox non designat *omnes* simplices levitas, obiectos omnibus sacerdotibus : primum, quia v. 20-31 non agit de omnibus simplicibus levitis, sed de quibusdam tantum; dein, quia licet identidem sacerdotes simplicesque levitae communi nomine vocentur Levitae, at nunquam scribitur expressio « sacerdotes et reliqui levitae », sed « sacerdotes et levitae », expressio oppido clara. Atqui in textu nostro desideratur stirps primogenita *Gersom*, quae a sacris ministeriis haud credenda est fuisse exclusa. Quare infra suggeremus, aliqua, quae ad eam stirpem referrentur, in capite elenchi excidisse. Quo admisso, facillima habetur vocis *reliqui* explanatio, designat ea *reliquos praeter Gersomitas* levitas, i. e. Caathitas et Meraritas v. 19b-30.

« *De filiis Amram erat Subael, et de filiis Subael Iehedeia* ». v. 21 « *De filiis quoque Rohobiae princeps Iesias* ». ישיה : nomen excidit

apud *LXX R.* v. 22 « *Isaari vero filius Salemoth, filius Salemoth Iahath* ». יחת, cf. 6,20; 23,10 sq. v. 23 « *Filiusque eius Ieriau* [*primus*], *Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus* ». Patet pro Ieriau supplendum esse *primus* etiam (*LXX L*), quia sequitur *secundus*, sed vox fortasse ideo non adscribebatur, ne Ieriau crederetur esse *princeps*, uti Iesias. Ceterum illi quatuor 23,19 sunt filii *Hebron*, non Salemoth vel Iahath : quare omnino emendandum cum *Keri* ובני חברון, *et filii Hebron*; *LXX L* לבני חברון, *quoad filios Hebron.* v. 24 *Quoad filios Oziel* (*LXX L*), seu « *filius Oziel Micha; filius Micha Samir* ». v. 25 « *Frater Micha Iesia, filiusque Iesiae Zacharias* ». v. 26 *Quoad filios* (*LXX L*), seu « *filii Merari Moholi et Musi, filius Oziau Benno* ». Sed *Hebr.* : בני יעזיהו בנו, *filii Oziau filii eius* : illi duo scribuntur filii Oziau et nepotes Merari. v. 27 « *Filius quoque Merari Oziau et Soam et Zachur et Hebri* ». Sed *Hebr.*: *Filii Merari quoad Oziau filium eius*, post quae omittunt *copulam* habentque *tres* filios Oziau. v. 28 « *Porro Moholi filius Eleazar, qui non habebat liberos* ». v. 29 « *Filius vero Cis Ierameel* ». v. 30 « *Filii Musi : Moholi* », qui est Moholi II 6,47, « *Eder et Ierimoth* ».

Textus difficillimi accuratam adscribo versionem.

v. 20 Et quoad filios Levi reliquos :
quoad filios Amram-Subael (23,13.15 sq.) : quoad filios Subael *Iehedeia*.
v. 21 Quoad Rohobia (23,17) : quoad filios Rohobia princeps *Iesias*.
v. 22 Quoad Isaar-Salomith (23,18) : quoad filios Salomith *Iahath*.
v. 23 Quoad filios Hebron (23,19) : Ieriau, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus —
v. 24 Quoad filios Oziel-Micha (23,20) : quoad filios Micha *Samir*.
v. 25 Frater Micha Iesia (23,20) : quoad filios Iesia *Zacharias*.
v. 26 Quoad filios Merari, Moholi et Musi (23,21), filios Oziau filii eius (?) :
v. 27 filii Merari quoad Oziau : *Benno* et *Soam* et *Zachur* et *Hebri*;
v. 28 quoad Moholi-Eleazar, caruit filiis (23,22);
v. 29 quoad Cis (23,22) : filii Cis *Ierameel*;
v. 30 quoad Musi : filii Musi Moholi, Eder et Ierimoth (23,23) —

Primo obtutu perspicitur hic elenchus *totus superstrui elencho 23,7-23*, qui est elenchus stirpium levitarum omnium. Est eius veluti *complementum*. Ad singula membra 23,12-23 facit additiones quasdam, adscribit *nomina* quaedam, quae nos (praeter nomen Oziau v. i.) literis italicis expressimus. Ex illo comparato elencho explicetur oportet, neque ab iis interpretibus intelligi potuit, qui elenchi cap. 23 indolem non sunt assecuti.

Cum porro ad v. 20 demonstraverimus, elenchum 24,20-31 intime connecti cum elencho 24,1-19, qui est de ministris sacris *sacerdotibus*, vel hinc patet, *nostrum elenchum recitare eas cognationes levitarum*

e stirpibus 23,7-23 derivatas, quae sacris ministeriis sunt attributae.

Patet vero etiam, elenchum nostrum, licet elencho cap. 23 superstruatur, *ab elencho cap. 23 esse diversum.* Perperam aliqui, ad ib. demonstrandum numerum 24 stirpium (!), censuere illuc transferendum esse e 24,26 sq. *Oziau* : non magis transferendus Oziau, quam Iehedeia aliique.

In elencho nostro unicus vir adscriptum habet epitheton *princeps*, v. 21 Iesias filius Rohobiae : quem merito adstrues fuisse omnium earum cognationum principem, quae v. 20-30 sacris ministeriis attribuuntur. Fuit is iunioris stirpis posterorum *Moysis* caput. Cur eidem non est praelatum caput stirpis maioris Gersom-Subael? Fortasse quod haec infirmior fuerit numeris, dum filii Rohobiae 23,17 « multiplicati sunt nimis ». Decebat principem omnium horum levitarum habere cognationem, quae numeris etiam fulciret eius auctoritatem. Conveniens autem certe erat, ut principatus inter levitas concederetur viro cuidam a Moyse prognato.

Iesias *Caathita* : fuitne is etiam *Meraritarum* princeps? Nulli certe Meraritarum v. 26-30 principis nomen adscribitur.

De cetero elenchum interpretor ita, ut nomina, quae italicis expressi, sint nomina earum cognationum, quae ministeriis sacris sint attributae : ergo de Amram-Subael *Iehedeia*, de Amram-Rohobia *Iesias*, de Isaar *Iahath*, de Oziel *Samir* et *Zacharias*; quoad Merari, de Oziau *Benno*, *Soam*, *Zachur* et *Hebri*, de Moholi *Ierameel.*

Orditur scriptor a ramo *Amram*, qui 23,12 et alibi primus recensetur inter ramos stirpis Caath. Quia vero non de ramo universim acturus est, sed de rami patroeciis singillatim, illico nomen primae patroeciae adscribit : *quoad filios Amram-Subael.* Dein nomini Subael adnectit nomen patroeciae e Subael derivatae, quae huic ordini levitarum est attributa : *quoad filios Subael Iehedaia.*

Progreditur ad alteram patroeciam rami Amram : *quoad Rohobia*, e qua derivat patroeciam *Iesias.*

Transit ad ramum *Isaar*, cui nomini adscribit nomen patroeciae ex Isaar derivatae : *quoad Isaar-Salomith*, e qua derivat patroeciam *Iahath.*

Perspicis profecto, adhibita necessaria emendatione LXX L, v. 23 transire ad ramum *Hebron*; de quo versu infra dicemus.

v. 24 transit ad quartum ramum stirpis Caath, *Oziel*, eiusque primam patroeciam : *quoad filios Oziel-Micha*, e qua derivat patroeciam *Samir*. v. 25 transit ad alteram eiusdem rami patroeciam : *quoad filios Iesia*, e qua derivat patroeciam *Zacharias.*

Expedita stirpe *Caath*, proceditur ad stirpem *Merari*, cuius nomini

v. 26 adscribuntur nomina ramorum Moholi et Musi. Eliminata v. 28 patroecia *Moholi-Eleazar*, qui vir caruit filiis, e *Moholi-Cis* derivatur patroecia *Ierameel* v. 29, ac tandem v. 30 transitur ad ramum *Musi*. De *Oziau* v. i.

Sed dispellendae sunt aliquae obscuritates.

Et primum quidem ignoratur tota stirps *Gersom* (cf. 23,7-11). Ut stirps primogenita Levi a sacris ministeriis sit exclusa, haud videtur concedendum. Si quaedam eius stirpis cognationes sacris ministeriis incumbebant, harum nomina primitus habuit elenchus. Ipsa vox *reliqui* v. 20 (v. s.) suggerit ante v. 20 haberi lacunam, fuisse ib. sermonem de levitis quibusdam non sacerdotibus, ergo de Gersomitis. Quomodo haec e textu evanuerint, cf. p. 6 sqq. Coniicio igitur, fuisse etiam inter Gersomitas familias aliquas, quarum origo levitica post exsilium addubitaretur, ideoque esse aliquando e textu excisa ea, quae de illis primitus ante v. 19 habebat textus. Nota, post v. 20[a] etiam desiderari voces « quoad filios Caath » : cf. v. 26 « quoad filios Merari ». Ea textus pars, quae ante v. 20 fuerit excisa, habuerit aliqua, quae totam pericopen v. 20-31 reddiderint magis perspicuam. Qualis nunc legitur, apparet ea non obscura solum, sed manca.

Aliam difficultatem facit *Oziau*. Cum v. 27 Oziau indubie affirmetur fuisse filius Merari, ergo v. 26 fuit filiis Merari accensendus. Habes v. 26 Moholi, Musi, Oziau; habes v. 27 Oziau, v. 28 sq. Moholi, v. 30 Musi. Sed lectio v. 26 corrupta : בני יעזיהו בנו, *filii Oziau filii eius*. Ergo Moholi et Musi non fuerint proprie filii Merari, sed mediante tantum inaudito illo Oziau *nepotes*. Modus is est plane insuetus exprimendi nepotis. Praeterea praefigenda fuit copula. Oziau, quod docet v. 27, est filius Merari, ergo v. 26 : *filii Merari* : *Moholi et Musi et filii Oziau*, et omittendum extremum בנו, quod ortum fuerit corruptione sequentis vocis בני. Sed v. p. 349.

Quid vero sibi velint isti *filii Oziau* extremo genealogiae inciso adscripti, doceris comparatis textibus aliis : 2,9 « Ierameel et Ram et Calebita »; 2,54 sq. « Filii Salma : Bethlehem... et cognationes scribarum »; 4,8 « Anob et Soboba et cognatio Aharahel fratris Rahab ». Ea forma exprimitur cognatio aliqua, quae non ex stemmate nata est, sed aliunde eidem accrevit. An igitur Oziau stirps non-merarita, Meraritis aggregata adoptione? Id si factum sit, facile concedes, hoc nomen Iudaeis post exsilium movisse suspicionem atque corruptionis textus occasionem fuisse.

Age porro, Oziau non solum non habetur in genealogiis 6,19; Ex. 6,19, sed neque in elencho 23,7-23 habetur, qui stirpes levitarum describit, quales initio regni davidici fuere. Videtur igitur Oziau esse

stirps non-merarita, a Davide Meraritis adscripta. Meraritarum semper tenues videntur fuisse res, nomina traduntur pauca : fortasse visum est Davidi aliquando eorum numeros augere.

Sensus v. 27 clarus : recitantur filii Oziau, uti v. 28-30 filii Moholi et Musi. Lectionibus vero *Hebr. LXX* manuducimur ad hoc, ut nomen *Benno*, quod Vulg. infeliciter scribebat v. 26, scribamus v. 27 : *Filii Merari per Oziau* : *Benno et Soam etc.* Lectio *LXX R* בניו, υἱοὶ αὐτοῦ, suadet nomen fuisse non בנו, sed בני, Boni, idem nomen quod 6,46.

Aliud tandem expediendum superest dubium ; v. 23 recitantur quatuor rami Hebron iidem, qui 23,19, sed nulla ex eis derivatur cognatio ; similiter v. 30 recitantur tres rami Musi iidem, qui 23,23, sed nulla ex eis derivatur cognatio. Aut sensus omissionis hic est : De Hebron, de Musi nihil quod adscribam habeo, nulla eorum cognatio ministeriis sacris attributa est. Aut : Cognationes Hebron et Musi hisce ministeriis attributae sunt universae.

Si illud, habes cognationes Caathitarum 5, Meraritarum 4, quibus addendae cognationes quas ignoramus Gersomitarum. Si hoc, habes cognationes Caathitarum 9, Meraritarum 7 ; quodsi fingas Gersomitarum fuisse 8, habes summam 24, totidem quot 24,4 sacerdotum vices.

Sequitur elenchi clausula : « *Isti filii Levi secundum domos familiarum suarum* », istae sunt quaedam patroeciae levitarum. v. 31 « *Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron* ». Illud *et ipsi* nequit referri nisi ad *filios Aaron*, qui soli antea narrabantur misisse sortes. *Contra*, *Hebr.* : *ex adverso*, idem quod « instar », seu v. 5 « hi cum his ». Miserunt vero sortes de eadem plane re, de qua misere v. 5 sacerdotes, sc. ut determinarentur *vices levitarum* in sacris ministeriis observandae, correspondentes vicibus sacerdotum v. 7-18. Misere autem sortes « *coram David rege et Sadoc et Ahimelech et principibus familiarum sacerdotalium et leviticarum, tam maiores quam minores* ; [*omnes sors aequaliter dividebat*] ». Res fiebat cum eadem solemnitate, atque v. 6, fortasse etiam eodem die et in eodem conventu.

Hebr. : *patroeciae, caput ad instar fratris sui minoris.* Non est facta distinctio capitis et caudae. Erant patroeciae, quae ob originem, numeros (*LXX R* pro הראש, *caput* : הרב, *numerus*) aliasve rationes sibi praecedentiam vindicabant : sed haec non attendebantur, sortibus vices levitarum definiebantur ita, uti etiam vices sacerdotum. Recole tamen in vicibus sacerdotum non omnia plane sortibus esse permissa (v. s. p. 343 sq.) : estne etiam in vicibus levitarum simile quid factum, ut non permitterentur Gersomitae sortibus remitti ad calcem, aut Meraritae omnes anteponi Caathitis?

Habes tandem v. 20-30 recensitas patroecias plane ordine originis,

non ordine sortium : adhaeret quippe hic elenchus presse elencho 23,7-23, qui totus est genealogicus. An igitur extremo cap. 24 legebatur primitus ordo vicium levitarum, qualis sortibus est definitus? At, si legebatur aliquando, cur ib. non legitur nunc? Fortasse, quia aliis nominibus permixta habebat nomina Gersomitarum, quae addubitabantur, quaeque nunc ante v. 20 desiderantur. Tandem illud etiam quaeritur, addideritne David patroeciis v. 20-30 alias quasdam levitarum patroecias.

c. Nathinaei 1 Par. 25.

Arg. — David et principes exercitus, quae antea invaluerat consuetudo, ut Gabaonitarum chori aliqui inter cantores essent, eam solemniter approbavere, eosque sacro huic ministerio dedicatos fecere Nathinaeos. Qui erant in 24 choros distributi, quorum 4 Asapho, 6 Iduthuno, 14 Hemano ante paruerant. Retentis choris illis, mutavit David chororum in illas tres classes distributionem singularumque classium moderatores nathinaeos, ut chororum eorum 9 parerent Asapho, 6 Iduthuno, 9 Hemano. Ita effecit, ut Hemanitae non iam numero excederent Asaphitas, ut chororum priores relaxarentur affinitates, et ut sub novis moderatoribus chori docilius obtemperarent Asapho, supremo sub rege tandem musicae moderatore.

Agi cap. 25 de *Nathinaeis*, disce ex 1 Esdr. 8,20 : « et de Nathinaeis, quos dederat David et principes ad ministeria levitarum ». Nullus est textus in actis Davidis, ad quem haec verba referri possint, nisi 1 Par. 25,1 : « Igitur David et principes exercitus segregaverunt in ministerium etc. ». Adverte, utrumque textum affirmare viros illos datos seu segregatos esse a Davide et principibus (exercitus), non a pontificibus, sacerdotibus, levitis. Qui 1 Esdr. 8,17 in Kethib scribuntur נתונים i. e. *dati*, sed ib. in Keri et secus constanter נְתִינִים, *Nathinaei*. Ceterum ad nominis etymologiam *dati* alludit 1 Esdr. 8,20 *dederat*; 25,1, qui textus nomen Nathinaeorum silet, *segregaverunt*.

Nathinaei plures post exsilium rediere Ierusalem. Eorum praeter *sacerdotes* et *levitas*, mentionem habes 1 Par. 9,2. Enumerantur *sacerdotes*, *levitae*, *cantores*, *ianitores*, *Nathinaei* 1 Esdr. 7,7.24; 2 Esdr. 10,28 (29). Habebantque Nathinaei, instar sacerdotum et levitarum, *attributas sibi habitationes* : 1 Esdr. 2,70; 2 Esdr. 11,21. Imo 1 Esdr. 2,36.40.43.55 (cf. v. 58); 2 Esdr. 3,26.30 (31); 7,39.43.47 (46).60; 11,3 enumerantur *sacerdotes*, *levitae*, *Nathinaei et filii servorum Salomonis*. Unde consequi videtur *Salomonen*, secutum *Davidis* exemplum, attribuisse templo seu levitis ministros quosdam origine non levitas.

Unum grave discrimen erat inter Nathinaeos Davidis et Nathinaeos

exsilio posteriores. Illi concentus edebant, hi a cantoribus usque, etiam interpositis ianitoribus, discernuntur. Sc. David Nathinaeos *dans* sacris ministeriis, uti quondam iubente Deo populus *dederat* levitas, Nathinaeos fecit esse instar levitarum : Iudaei post exsilium eos habuere 8,40 « filios Beniamin » tantum, humilioribus in templo officiis attribuere. Nathinaeorum mox nulla habebatur mentio : aut effecere, ut levitis tandem accenserentur, aut, quod equidem veri similius esse iudico, maluere inter laicos honestam vitam ducere, quam inter ministros sacros despectui haberi.

Nathinaeos fuisse Gabaonitas inde a *Ps. Hier.* est communis sententia : v. commentarios ad Ios. 9,27 ; 1 Par. 9,2 ; 1 Esdr. 8,17. Plurium de hac re testimonia collegit *Malv.* ad 1 Par. 9,2. Gabaonitae Ios. 9,21.27 primum addicebantur angariis castrorum, postea angariis sacris, ut aquam et ligna comportarent in usum sanctuarii. H. l. docemur eos circa Davidis tempus adscitos esse choris sacris et in hoc munere a Davide esse confirmatos. Haud mirum post haec humiliores, quas antea peragebant, angarias in alios esse devolutas, ut opinor in « filios servorum Salomonis ».

Igitur David eos fecit quasi levitas, Iudaei post exsilium eos severe a levitis distinxere tamquam « filios Beniamin » (1 Par. 8,40). Non omnes Gabaonitae Nathinaei erant; Nathinaei, uti reliqui ministri sacri, a militia eximebantur (cf. etiam 1 Esdr. 7,24 et *Ios.* Ant. *XI*, 5,1); habes 7,10 sq. Gabaonitas regi militantes, ergo non Nathinaeos, per Balan derivatos a Iadihel patre Gabaon ; habes 8,29-40; 9,35-44 Gabaonitas per Abdon ab eodem derivatos, Nathinaeos.

Ante reformationem 25,8-31 exstitisse choros Nathinaeorum, disce e v. 2-4, ubi ante eam reformationem conspiciuntur Nathinaei fuisse subordinati Asaph, Iduthun et Heman, qui praeerant classibus cantorum levitarum gersomitarum, meraritarum, caathitarum. Quae classes 6,30-47 recensebantur hoc ordine : Heman, Asaph, Iduthun (seu Ethan). Hanc igitur reformationem 6,30-47, quae de Nathinaeis silet (cf. tamen chorum Saul 6,24), secuta est alia, quam respiciunt v. 2-4, quae classium ordinem fecit hunc : Asaph, Iduthun, Heman. Hunc ordinem rursum v. 8-31 reformavit David, choros Nathinaeorum alia ratione tribus illis classibus attribuens.

Cap. XXV v. 1 « *Igitur David et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph et Heman et Iduthun* ». Nomina scribuntur *ordine antiquitatis* stirpium : Gersom, Caath, Merari. v. 2 sqq. scribuntur alio ordine. *Filii* scribuntur *hierarchice*. Collatis inter se v. 2-4 et 6,31-47, habentur filii Asaph 12 + 4 = 16, filii Heman 18 + 14 = 32, filii Iduthun 10 + 6 = 16 : non tot filios ad musicen aptos

genuere tres illi viri. Praeterea v. 8-31 plures, qui antea fuere filii Iduthun et Heman, fiunt filii Asaph, plures, qui ante fuerunt filii Heman, fiunt filii Iduthun.

Tandem 24 filii v. 2-4 habuere v. 8-31 singuli « filios et fratres » 11 : non possunt haec omnia intelligi sensu *genealogico*, intelligenda sunt sensu *hierarchico*.

Expressio *David et principes exercitus* non designat « magistratus tam politicos quam ecclesiasticos » (*Tir.*), neque idem sonat atque expressio 24,6 : « Rex et principes et Sadoc sacerdos et Achimelech filius Abiathar, et principes patroeciarum sacerdotum et levitarum » (*Calm.*). Quin imo comparatis 24,6.31; 23,2 illud efficitur, horum cantorum res ordinatas esse non consultis sacerdotibus et levitis; at id fieri non potuit, si viri omnes erant origine levitae. Agitur ergo de viris non-levitis, qui suberant auctoritati non principum sacerdotum et levitarum, sed regis et principum laicorum, ideoque a rege et a principibus laicis segregabantur et dabantur, ut iuvarent levitas.

Verbum *segregandi* aut refertur ad reformationem v. 8-31, ergo viri v. 2-4 fuere cantores antequam *segregarentur*, segregatio fuit *confirmatio per publicum decretum facta* eius status, quem illi viri ante habebant; aut refertur ad v. 2-7; ergo, cum aliquod initium Nathinaeorum deprehendamus 6,24 in choro Saul, segregatio dicit eius initii *per decretum confirmationem et extensionem*. Utrolibet modo vocem interpreteris, refertur *legitima sanctio collata instituto Nathinaeorum*, declaratio authentica posse non-levitas admitti ad quaedam sanctuarii ministeria. Rem ipsam anticipaverat Iosue, et ratam habuit Salomon.

Decretum est plane instar decreti Num. 3,5 sqq., ubi per Moysen *dabat populus* simplices levitas Aaroni et filiis eius; hic *David et principes exercitus* dant Nathinaeos ministerio cantus sacri. Qui a Iosue et principibus Ios. 9, (21). 27 dati fuerant ad ministerium angariarum pro sanctuario obeundarum. Non rem *novam* agebat David cap. 25, sed institit vestigiis Iosue.

Virorum officium describitur : « *qui prophetarent in citharis et psalteriis et cymbalis secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes* ». *Hebr.* : *et fuit numerus eorum virorum, qui operabantur in ministeriis suis* : — post recitatos v. 2-7 singulos summandos, habes summam v. 7.

Porro virorum officium exprimitur v. 1 sqq. voce *prophetare*, נבא. Quam *Tost.* ait accipi « non proprie », *Est.* accipi « generaliter ad omnes eos, qui peculiariter vacant cultui divino », qua generali significatione vox nunquam accipitur, sacerdotes nunquam dicuntur prophetare. Verius *Cai.* ait, vocis sensum esse « vacare divinis laudi-

bus », et *Malv.* « prophetias, psalmos, hymnos, sacras cantiones seu divinas laudes cantare » (in 15,22). Porro *prophetare in cymbalis etc.* idem est atque *prophetare cum cymbalis etc.* Habes 15,16.19 levitas *cantantes in cymbalis etc.* : idem in his textibus est *cantare*, quod *prophetare*; ipsi Asaph et Iduthun v. 2 sq. cum instrumentis prophetant, qui tamen idem quod reliqui levitae 15,19-21 agebant, sc. cantabant.

Quaeres, quomodo musica sacra vocetur *prophetia.* Monuimus antea (v. g. CD p. 79), id quod nemo negat, prophetarum non illud unicum fuisse officium futura praenuntiare, sed potissimum tueri thoram et iura Iahve. Alia etiam ea vox complectebatur. Habes 1 Reg. 10,5 sqq. chorum (LXX) prophetarum descendentem de excelso Gabaa cum instrumentis musicis, spiritum prophetiae etiam in alios (v. g. Saulem) transmittentem. Habes 19,20 sqq. Samuelem prope Ramam chorum prophetarum ducentem et cum illis prophetantem. Quibus iungitur David. In ipsos lictores Saul transilit spiritus prophetiae, imo in ipsum Saul, qui vestibus detractis tota die et nocte cum prophetis saltat. Habes descriptionem eorum, quae prophetae agebant, quo tempore David nondum erat regno potitus; habes saltationes sacras cum musica. Habueritne illa aevi Samuelis prophetia adiunctam psalmodiam, ignoramus. Nonne potuit eiusmodi cum saltatione musica, psalmodia carens, fieri instinctu Spiritus Sancti, uti tempore apostolorum glossolalia, ideoque vere et proprie vocari prophetia?

Ceterum ipsa musica prophetiae affinis. Musica David 1 Reg. 16,14 sqq. compescebat spiritum malum, qui obsedebat Saulem; Elisaeus 4 Reg. 3,15 musica animum ad prophetiam praedisponebat. Recole Balaam (CN p. 263 sqq.) variis observationibus animum disponentem ad prophetiam. Potuere Hebraei ipsam sine psalmodia musicam revocare ad divinam quamdam inspirationem atque appellare prophetiam, utique « non proprie ». Chronista vero v. 1 sqq. scribens vocem *prophetare* non loquitur ut theologus, sed modo vulgari et vulgi opinionibus accommodato.

Verum h. l. non agitur de sola musica, sed de musica cum cantu seu verius de cantu cum musica, ubi cantus omnino erat res potissima fiebatque comitantibus instrumentis musicis. Eatenus certe David institutum illud prophetarum aevi Samuelis ad altiorem perfectionis gradum evexit, quod musicae substraverit psalmos plures, a se aliisve auctoribus inspiratis concinnatos, saltationem et musicam magis ad regulas artis revocaverit, feceritque psalmodiae pedissequas. Fuere autem psalmorum illorum verba ad eum potissimum finem divinitus inspirata, non ut scripta legerentur tantum, sed ut cantata

audirentur : cantatione manifestanda erat potissimum eorum pulchritudo et vis, *cantare* vere erat *prophetare* seu divino instinctu loqui.

Qui classibus cantorum praefuere Asaph, Heman et Iduthun vocantur et fuere *prophetae* seu, quod idem est (1 Reg. 9,9), *videntes*, חזה : 2 Par. 29, 30; 35,15. Heman h. l. v. 5 vocatur « videns regis », plane uti Gad propheta 21,9; 2 Par. 29,25. Universo tandem cantui sacro praefuit David, ipse etiam propheta « delectabilis in canticis Israel » (2 Reg. 23,1). Moderatores sacrorum chororum davidicorum prophetae omnes.

Si quaeras, cuius generis *cantica* decantaverint chori illi, consule psalmos eos, qui Davidis sunt auctoris. Si quaeras, quamnam *musicam* ediderint chori illi davidici, coniicio eos ad perfectionem musicae nondum pertigisse, consuevere enim eiusmodi res gradatim evolvi, ignorasse melodiam. Stichi proferebantur recto tono, cum cadentia non semper eadem in fine, uti habet antiqua psalmodia ecclesiae. Cantica poenitentiae eorumque similia proferebantur fortasse sola sine instrumentis voce. Alias recitationem comitabantur sola tympana, alias instrumenta alia. Ad Alleluia et Confitemini omnia simul cum vocibus resonabant instrumenta. Cf. ad v. 5.

α. Ordo anterior v. 2-7.

v. 2 « *De filiis Asaph : Zacchur et Ioseph et Nathania et Asarela* ». Pro *de* : ל, *quoad*, itemque v. 3 sq. « *Filii Asaph sub manu Asaph prophetantes iuxta regem* ». *Hebr.* : *filii Asaph ad manum Asaph, prophetantis ad manum regis*. Filii Asaph erant sub potestate Asaph (*Cai.*, *Mar.*, *Men.*, *Sa*), ab eo regebantur. Qui cum sit necessarius sensus prioris *ad manum*, neque alterius *ad manum* sensus est attenuandus : cantabant carmina a Davide concinnata (*Cai.*); cantabant non Gabaone sed Sione, ubi rex erat (*Tir.*); « erant sub regimine Asaph regiae musicae praefecti » (*Calm.*). Sed : sicut filii Asaph regebantur ab Asaph, ita ipse Asaph regebatur a Davide : *rex erat supremus totius musicae sacrae moderator*; unde merito inferas, Asaph scribi *primum* v. 2. 9, non solum ordine antiquitatis stirpis, cui praeerat, sed quia praeerat etiam ipsis Iduthun et Heman.

v. 3 « *Porro Iduthun, filii Iduthun : Godolias, Sori, Iesaias et Hasabias et Mathathias : sex* ». Cum filii Iduthun dicantur esse *sex*, ad eum numerum complendum putavit *Tost.* oportere construi : *Quoad Iduthun filii : Iduthun*, ita ut Iduthuno tribuatur filius homonymus. Verum id non fert status constructus בני, neque hic Iduthun minor reperitur v. 9-31. Sed reperitur v. 17 *Semeia*, qui nunc v. 3 apud solum *Keri* reperitur, debuit autem uti reliqui ib. primitus reperiri

v. 2-4 : ergo שש, *sex*, corruptione ortum est e שמעי, *Semeia* (*Cai.*), cum ob aliquam vocum similitudinem, tum quod, cum v. 5 adscribatur *summa* aliqua, visum sit oportere etiam v. 3 habere summam; inanem rationem, cum filii Asaph v. 2 neque habeant adscriptam summam. — « *Sub manu patris sui Iduthun, qui in cithara prophetabat super confitentes et laudantes Dominum* ». *Hebr.* : *ad manum*, i. e. sub potestate seu directione (cf. v. 2) *patris eorum Iduthun, cum cithara prophetante ad Confitemini et Alleluia. LXXR* ἀνακρουόμενοι (etiam v. 5), *praeludentes* : id innuit, quomodo rem imaginati sint LXX, qui musicam in suo templo audiebant.

v. 4 « *Heman quoque, filii Heman : Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel et Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi et Romemthiezer* [*et*] *Iesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth* ». v. 5 « *Omnes isti filii Heman videntis* » seu prophetae (v. ad v. 1) « *regis, in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu* ». Chori Hemani (14) numerosiores choris Asaph et Iduthun simul sumptis (10); ad illos refertur *omnes isti* initio v. 5. Inculcat scriptor v. 5 choros omnes v. 4 reapse uni Hemano subfuisse.

Verba *ad exaltandum cornu* videntur correspondere verbis v. 3 *ad Confitemini et Alleluia.* הרים, *exaltare*, scribitur etiam de edendo *sono* : *voce* Gen. 39,18; 4 Reg. 19,22; Is. 13,2 (cf. 1 Par. 15,16); et 2 Par. 5,13 scribitur etiam « elevare vocem cum *tubis* ». Unde *Calm.* verba interpretatur *ad literam* : « ut inflaret cornu ». Sane קרן, *cornu* (Ios. 6,5) diversum est a חצצרה, *tuba*, quae solis sacerdotibus permittebatur, non levitis neque cantoribus : tamen v. 1 non recensentur *cornua*, uti neque 15,19 sqq., inter instrumenta cantorum. Aliter igitur verba explicat *Mar.* : « Multi psalmi sunt, in quibus de exaltatione cornu agitur; illos puto commissos filiis Heman, idque his verbis significari ». At significatur id perquam inepte et obscure. Quod vero *Tir.* addit, eos psalmos « multos » esse, verum non est : Hemanitae continuo feriaturi erant. Expressio « exaltare cornu » sumitur etiam sensu *translato* Ps. 88 (89), 18.25; 91 (92), 11; 111 (112), 9; Eccli. 47, 6 (5) de exaltatione potentiae sive Dei sive populi; h. l. de exaltanda seu *augenda emphasi musicae*.

Sed quo referuntur voces *in verbis Dei*? Ad *Heman* trahit *Calm.* : « videntem agebat ad cantandas Dei laudes ». Annon id reliqui etiam praestabant? Peius *Mar.* : « alii profana canebant, hic divina ». Num Asaph et Iduthun profana canebant? num in sanctuario vel extra illud? Refer ad *filii* simulque iunge sequentibus : Hemano obsequebantur *in verbis Dei, ad augendam emphasin* eorumdem verborum. Verba autem Dei non intelligo psalmos universim (*Men.*), sed in psalmis et

canticis *verba Dei* : quandocunque sc. in illis Deus producebatur loquens, v. g. 16,18 : « Tibi dabo terram Chanaan, funiculum haereditatis tuae », verba haec Dei pronuntiabantur non ab uno alterove cantore, sed ab Hemanitis quotquot tunc in choris adstabant, quo ipso fragore ipsaque emphasi vocum proderetur numen loquens.

Igitur v. 2-5ª sunt in recensendis choris Nathinaeorum, simulque tradunt perpauca aliqua de ratione sacrae musicae.

15, 19-21, qui locus est de choris omnino aliis atque cap. 25, agitabat prima cantorum sectio (Asaph, Heman, Iduthun) cymbala, secunda pulsabat nabla, tertia citharas : h. l. Iduthunitis tribuuntur *citharae*. An igitur Asaphitis tribuemus cymbala, Hemanitis nabla, vel vice versa?

Docemur praeterea, quoties psalmi habebant *iubilum* (Confitemini, Alleluia, fortasse etiam Laudate et similia), quotquot in choris adessent Iduthunitae, eos insimul pulsasse citharas, ut ipso cithararum concentu evocarentur audientium animi ad affectum iubili; quoties habebant ipsius *Dei verba* aliqua, ea verba prolata esse vocibus omnium Hemanitarum simul, quo tot vocum humanarum fragoribus summus dominus designaretur, faciliusque intelligerentur sine musica voces. An in hisce agendis cum Iduthunitis et Hemanitis nathinaeis conspiraverint Iduthunitae et Hemanitae levitae, ignoramus. Cum dicatur v. 3 ipse Iduthun, non eius tantummodo filii nathinaei, pulsasse citharam, fortasse Iduthunitae omnes tam levitae quam nathinaei citharis utebantur.

Verum haud existimo his totum illud describi, quod agebant Iduthunitae et Hemanitae. Quodsi illi ad solum iubilum, hi ad sola pronuntianda verba Dei cooperabantur, continuo veluti erant feriaturi. Dicesne, eos in solis festis maioribus ad sanctuarium accessisse? Recole 15,19 sqq. affirmari videri, cymbalorum usum fuisse ad intonandam musicam, citharas octavam et nabla sopranum expressisse. Quae tamen omnia non sunt nisi coniecturae perquam infirmae.

Docemurne v. 2 aliquid de iis, quae *Asaphitae* agebant? Obsequebantur regi eos per Asaph dirigenti. Rex psalmum concinnaverat aut certe designaverat, cum Asapho totam rationem psalmodiae communicaverat. Erantne ii, qui verba psalmi praeter verba Dei decantabant, potissimum Asaphitae? Quodsi aliqua verba pronuntianda essent, non Dei sed pii Israelitae vel peccatoris vel inimicorum loquentium, haecne aliqui Asaphitae vel non-Asaphitae pronuntiabant, fere ut in Passione decantanda in officiis hebdomadae sanctae alia chorista, alia sacerdos, alia chorus decantat?

« *Deditque Deus Heman filios quatuordecim et filias tres* ». Intelli-

gunturne *filii*, quos genuerit Heman? At cur, praeter omnem contextum, docemur Hemanum fuisse virum prolificum? Num Asaph et Iduthun caruere liberis? si non caruere, cur liberorum non traditur numerus? Ergo vocem *filii* intellige *sensu non genealogico, sed hierarchico*; filii 14 et filiae 3 sunt totidem *chori* cantorum et cantatricum. Docemur tandem aliquid hoc versu de *cantatricibus* in sanctuario Hebraeorum. Quas ib. fuisse, nullus alius textus indubie prodit, fuere certe extra sanctuarium Iud. 11,34; 1 Reg. 18,7; 2 Reg. 19,35; Eccle. 2,8; Iudith 15,15. At nota, in solemnitate aevi mosaici, quae videtur fuisse religiosa, adhibitas esse cantatrices, chorum agente Maria sorore Moysis Ex. 15,20 sq.

Atqui verba v. 5^b non respiciunt 14 choros Hemanitarum nathinaeorum v. 4. Fuere hi utique filii Heman sensu hierarchico, fuere numero 14; sed ignorantur ib. *filiae tres*. Neque, si Nathinaeae erant, potuere ignorari cap. 25, quod totum in eo est, ut tradat *accuratam* rationem rerum nathinaearum, non tantum singulos quosque choros enumeret, sed ipsum choristarum numerum duodenum. Indicium aliquod, v. 5^b non agi de Nathinaeis, in eo etiam deprehendo, quod illi liberi dicantur Hemano esse *dati a Deo*, chori nathinaei fuerint v. 1 *segregati a Davide*. Videtur in his esse oppositio quaedam : magis native pertinebant ad Hemanum filii et filiae v. 5^b, quam filii v. 4.

Tribuuntur vero Hemano cap. 6 chori $17 = 14 + 3$. Censeo hos designari v. 5^b, simulque affirmari eorum 17 chororum 3 fuisse cantatricum. Neque dicas, cap. 3 nullum reperiri nomen *femininum*. Non facile semper distinguuntur nomina propria feminina a masculinis. Praeterea nomina pleraque chororum petebantur a *familiis* : familiarum autem nomina masculina. V. g. nomen chori Samuel petebatur a familia Samuelis, ipsum nomen non prodebat, constaretne chorus viris an mulieribus.

Cur vero scriptor nos non edocet, quot filios filiasque Deus dederit Asapho et Iduthuno? Quaecunque v. 1-5 traduntur praeter nuda nomina, sunt notulae subcisivae, nulla res *complete* tractatur. Aliqua accuratius edoceris de officiis Iduthunitarum et Hemanitarum; nihil accuratius de Asaphitis. Doceris, quinam usi sint citharis, non quinam usi sint cymbalis et nablis. Doceris modum, quo praeferebantur iubili ipsiusque Dei verba; fuere alia multa, de quibus nihil edoceris. Similiter doceris, quot choros non-nathinaeos habuerit Heman; quot habuerint Asaph et Iduthun non edoceris.

Aliqua ratio quoad Hemanum potuit esse haec : recitaverat v. 4 scriptor choros hemanitas nathinaeos plures, quam choros asaphitas et iduthunitas simul sumptos : ei in mentem venit, chororum etiam

leviticorum sub se habuisse Hemanum fere totidem, quot simul habebant illi. Id verbis expressit.

Coniicies fortasse, levitarum item asaphitarum et iduthunitarum fuisse aliquos choros cantatricum; fuisse imo Nathinaeorum cap. 25. Sed de his omnibus nihil proditum habemus.

v. 6 « *Universi* » *isti* — eaedem voces atque initio v. 5 : num igitur ad eosdem referuntur *solos Hemanitas*? Quod si affirmaveris, oportebit tamen voces sumas nonnihil *latius* quam v. 5. Ibi designabant solos Hemanitas nathinaeos v. 4; hic erunt extendendae ad Hemanitas omnes v. 5 tam levitas quam nathinaeos. Sed voces non referuntur ad solos Hemanitas; cum enim v. 3 Iduthunitis attribuantur *citharae*, non sunt attribuenda Hemanitis *tria genera instrumentoram*, cymbala, nabla et citharae. Voces nullatenus referuntur ad Hemanitas levitas v. 5, sed referuntur ad *omnes Nathinaeos* v. 2-4. Qui erant « *sub manu patris sui* », obsequebantur hi Asapho, alii Iduthuno, alii Hemano, « *ad cantandum in templo Domini* [*distributi erant*] *in cymbalis et psalteriis et citharis, in ministeria domus Domini* ». Bis scribit *domus Iahve Vulg.*, bis scribunt *domus Dei LXX R*. Hi omnes obsequebantur *in cantu domus Dei*, qui fiebat *cum cymbalis etc.*; deinde eadem res altera expressione exprimitur : *in ministeriis* cantorum domus *Dei*. v. 6 sq. est *clausula* totius sermonis v. 2-5.

Porro recole eam, quam ad 6,48 explicabamus itemque 6,31 expressam reperiebamus, distinctionem inter *domum Dei* seu *domum Iahve* et inter *sanctuarium* : hoc erat sanctuarium in *Sion*, illa erat sanctuarium in *Gabaon*. Seminarium chororum omnium, uti cap. 6 ita cap. 25, est *Gabaon*. Ibi trium classium cantores musicam agebant « *iuxta regem* », seu accuratius *ad manum regis*, ipso supremo moderatore. Rex, quandocunque aderat Gabaone, ibi sacrae musicae erat supremus moderator; quando non aderat, supplebat cantica, omnia per Asaphum (v. 2) regebat.

β. Ordo reformatus v. 7-31.

Quae sequuntur tria nomina « *Asaph* [*videlicet*] *et Iduthun et Heman* », ne trahas ad praecedentia, quod faciunt *LXX R* praefixa copula : non *coordinantur* regi tres illi archimusici, cui omnino fuere *subordinandi*, uti v. 2 Asaph subordinatur regi. Illa tria nomina sunt initium secundae partis cap. 25, quae tradit ordinem Nathinaeorum a Davide reformatum. In quo ordine primi erant illi tres viri, v. 7 tradit summam omnium cantorum, v. 8 describit modum effectae reformationis. v. 9-31 habent ipsam reformationem.

v. 7 « *Fuit autem numerus eorum* » — resumuntur verba v. 1[b] —

« *cum fratribus suis* », qui v. 9-31 vocantur « filii et fratres », numerus choragorum v. 2-4 cum suis choristis omnibus, « *qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo* ». Verte : *docti cantica Iahve*, quod sane edicit eos tam verba canticorum quam modos musicos probe calluisse, *omnes periti*. Sicut 15,22 habebas peritum iuris seu iuris consultum, ita h. l. habes peritos musicae : non solum callebant rem, sed quae callebant scite proferebant. Perperam *Ber.* censet, solos *peritos* fuisse 288 numero, qui fuerint pars summae 4000 (23,5). Haec summa non est Nathinaeorum, sed levitarum cantorum. Summa omnium choristarum Nathinaeorum fuit 288, qui omnes fuere periti. Si supponas 40 etiam levitarum cap. 6 choros singulos habuisse duodenos, ergo universim 480 choristas, qui desumebantur e 4000 illis levitis, coniicies pro portione 288 choristis nathinaeis correspondere summam 2400 Nathinaeorum

v. 8 « *Miseruntque sortes per vices suas* », *Hebr.* : *sortes custodiae suae* seu officii, « *ex aequo tam maior quam minor* », — uti 24,31 — « *doctus pariter et indoctus* ». *LXX : perfecti et discipuli.* Ἅπαξ λεγόμενον תלמיד utique scribitur respectu מלמדי v. 7. Licet essent « omnes periti », erant tamen eius peritiae etiam gradus, ut unus respectu alterius esset veluti tiro : sed nulla habebatur ratio neque aetatis neque auctoritatis (v. ad 24,31) neque peritiae, res *sortibus* definiebatur.

Redeunt porro, ad unum omnes, eadem atque v. 2-4 nomina, sed alio ordine. Nomina plane diversa a nominibus 6,33-47 et 15, 17-24; agitur quippe de re plane diversa, de Nathinaeis, non de levitis. v. 9 « *Egressaque est sors prima Ioseph, qui erat de Asaph* », ubi merito certe secundum contextum, supplent *LXX : filiis eius et fratribus eius*; imo propter v. 7 summam 288 item supplendum est *duodecim*. At cur adscribitur *Asapho* seu *quoad Asaph*? Aut ea vox iungenda nomini *Ioseph* (*Vulg.*), atque tum singulis 24 nominibus adscribenda fuit *classis*, cui in ordine reformato attribuebantur : auctor, uti v. 1-5, ita etiam v. 9-31 res non tractat *complete*, si tractasset, singulis nominibus classis indicem adscripsisset. Aut ea vox iungenda voci *sors prima*, et tum adscribendum fuit v. 17 : Exiit sors decima, prima quoad Iduthun; et v. 23 : Exiit sors decima sexta, prima quoad Heman. Sed neque haec adscribit auctor, quia non tradit omnia *complete*.

« *Secunda Godoliae; ipsi et filiis eius et fratribus eius duodecim* ». v. 10 « *Tertia Zacchur, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 11 « *Quarta Isari, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 12 « *Quinta Nathaniae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 13 « *Sexta Bocciau, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 14 « *Septima Isreela, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 15 « *Octava Iesaiae, filiis et fratribus eius duodecim* ».

v. 16 « *Nona Mathaniae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 17 « *Decima Semeiae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 18 « *Undecima Azareel, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 19 « *Duodecima Hasabiae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 20 « *Tertiadecima Subael, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 21 « *Quartadecima Mathathiae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 22 « *Quintadecima Ierimoth, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 23 « *Sextadecima Hananiae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 24 « *Septimadecima Iesbacassae, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 25 « *Octavadecima Hanani, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 26 « *Nonadecima Mellothi, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 27 « *Vigesima Eliatha, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 28 « *Vigesima prima Othir, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 29 « *Vigesima secunda Geddelthi, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 30 « *Vigesima tertia Mahazioth, filiis et fratribus eius duodecim* ». v. 31 « *Vigesima quarta Romemthiezer, filiis et fratribus eius duodecim* ».

Summa 288 efficit, vocem *duodecim* spectare non solos *filios et fratres*, sed eum etiam qui *nomine* effertur : v. g. Mellothi cum filiis et fratribus duodecim erant. Sed David, Asaph, Iduthun, Heman addendi sunt summae 288. Numerus 12 divisibilis est per 6, 4, 3, 2. Potuere igitur chori vario ordine disponi symmetrice : 6,6 — 4,4,4 — 3,3,3,3 — 3,6,3 etc. Comparamus porro nomina v. 2-4 cum nominibus v. 9-31; numeri romani (I etc.) denotant locum, quem quisque vir obtinet in serie v. 9-31; numeri arabici (1 etc.) denotant locum, quem obtinet in serie v. 2-4. Viri A accensentur v. 2 filiis Asaph, Viri J v. 3 filiis Iduthun, Viri H v. 4 filiis Heman[1].

1 A Zacchur	(III)	I A Ioseph	(2)	13 H Oziel	(XI)	XIII H Subuel	(14)
2 A Ioseph	(I)	II J Godolias	(5)	14 H Subuel	(XIII)	XIV J Mathathias	(9)
3 A Nathania	(V)	III A Zacchur	(1)	15 H Ierimoth	(XV)	XV H Ierimoth	(15)
4 A Asarela	(VII)	IV J Sori	(6)	16 H Hananias	(XVI)	XVI H Hananias	(16)
5 J Godolias	(II)	V A Nathania	(3)	17 H Hanani	(XVIII)	XVII H Iesbacassa	(21)
6 J Sori	(IV)	VI H Bocciau	(11)	18 H Eliatha	(XX)	XVIII H Hanani	(17)
7 J Ieseias	(VIII)	VII A Asarela	(4)	19 H Geddelthi	(XXII)	XIX H Mellothi	(22)
8 J Hasabias	(XII)	VIII J Ieseias	(7)	20 H Romemthiezer	(XXIV)	XX H Eliatha	(18)
9 J Mathathias	(XIV)	IX H Mathaniau	(12)	21 H Iesbacassa	(XVII)	XXI H Othir	(23)
10 J Semeia	(X)	X J Semeia	(10)	22 H Mellothi	(XIX)	XXII H Geddelthi	(19)
11 H Bocciau	(VI)	XI H Oziel	(13)	23 H Othir	(XXI)	XXIII H Mahazioth	(24)
12 H Mathaniau	(IX)	XII J Hasabias	(8)	24 H Mahazioth	(XXIII)	XXIV H Romemthiezer	(20)

Habes tandem v. 9-31 choros dispositos ita :

1. De eadem re agebamus in Biblische Zeitschrift. München. 1904, p. 254 sqq.

AJ AJ AH AJ HJ HJ HJ XV-XXIV = omnes H.

a. Chori A perseverant in capite seriei, sed ita ut semper alio choro interposito ab invicem separentur : AJ AJ AH AJ. Mutuum ordinem habent hunc : I = 2, III = 1, V = 3, VII = 4, i. e. habent eundem mutuum ordinem atque v. 2, excepto unico 1 = III, quod *primatu* veluti excidit.

b. Chori J perseverant secundo loco, sed item ita ut semper alio choro interposito ab invicem separentur : AJ AJ (AH) AJ HJ HJ HJ. In seriem binariorum habentium J subintrat binarius unus (AH) carens J. Mutuum ordinem habent hunc : II = 5, IV = 6, VIII = 7, X = 10, XII = 8, XIV = 9, i. e. habent eundem ordinem atque v. 3, excepto unico 10 = X, qui chorus in utraque serie eundem locum obtinet, atque iam ab *ultimo* inter J loco procedit ad antepaenultimum. Cur binarius AH scribitur 3°, non 4° loco? Quia secus se contingerent AH et HJ, se contingerent duo H, quod est ab indole horum binariorum alienum. Cur non scribitur AJ AJ AJ AJ HJ HJ, *ex ordine* primum omnia A et omnia J? Quia tum 7us binarius esset HH, non esset binarius mixtus. Non casu factum est, ut binarii essent *septem* numero, neque ut essent *mixti.*

c. In priorem seriei v. 9-31 partem I — XIV intromittuntur ex H 11, 12, 13, 14, i. e. *quatuor primi.* Reliqui chori H omnes manent in secunda seriei parte XV — XXIV, ordine de consulto mutato. Sc. 15 et 16 permanent loco suo (= XV et XVI); post quos alternant duae series :

21		22		23		24	
	17		18		19		20

d. Igitur utraque series attribuit A 1um, J 2um, H 3um locum. Sed altera series solvit *continuitatem* tam A quam J, ut nunquam duo A, nunquam duo J invicem contingant. In tanto numero chororum H non utique potuit solvi continuitas H, ita ut ubique inter duo H intercederet aut A aut J : solvitur tamen quadamtenus continuitas etiam H, quatenus I — XIV nunquam duo H invicem contingunt, et permutatione illa chororum XVII — XXIV.

e. Ceterum *permutationes* observantur non in altera tantum seriei parte, sed item in priore parte. Habes :

5J	6J	11H	7J		10J	8J	9J		16H	17H	18H	19H	20H.
2A	1A	3A	4A	12H	13H	14H	15H		21H	22H	23H	24H	

Duo nomina locum permutavere, 2A et 1A; praeterea 10J anteponebatur 8J et 9J. Restituas haec nativis suis locis :

5 J 6 J 11 H 7 J	8 J 9 J 10 J	16 H 17 H 18 H 19 H 20 H
1 A 2 A 3 A 4 A 12 H	13 H 14 H 15 H	21 H 22 H 23 H 24 H

Habes seriem A

1 2 3 4,

et seriem J

5 6 7 8 9 10,

quibus series H

11 12 13 14 15

interseritur ita, ut nunquam 2 A, nunquam duo J contingant invicem. Post quae habes duas series H invicem intersertas :

16 17 18 19 20,
21 22 23 24.

Habes permutationem omnibus numeris absolutam, effectam eo *consilio*, ut universim A primum, J secundum, H tertium locum retineant, et ut (excepto 15 H et 16 H, v. i.) tota *continuitas* chororum, quae ante reformationem fuerat, dissolvatur, seriebus illis intersertis inter se.

Tota permutatio effecta est *non sortibus*, *sed consilio*, excepto hoc, quod Zacchur primatum cesserit Iosepho, itemque Semeia ad primatum promotus sit; id *sortibus* factum esse affirmamus; nam aliquid sortibus tribuere cogimur versu 8, neque alia supersunt sortibus tribuenda praeter haec.

Nota, etiam in schemate reformato reperiri oportere *tres classes*, cum ille ordo v. 6 affirmetur habuisse *tria capita* Asaph, Iduthun, Heman. Quas tres classes supra (p. 362) distinguebamus lineolis verticalibus, et in comparativo elencho utriusque ordinis (p. 360) lineis horizontalibus.

Voluit igitur David in ordine reformato tribus viris auferre primatum, quem in sua quisque classi ante obtinuerant : Zacchur, Godoliae et Bocciau. Quare post totum ordinem *consilio* reformatum, iactae sunt *sortes* inter Asaphitas 1, 2, 3, 4; cecidit sors super *Ioseph*. Cuius nomine inscripto capiti primae classis, ipso facto *Zacchur*, qui antea primus fuerat, delapsus est in secundum locum.

Reformatio facta illud iam habebat, ut *Godolias* et *Bocciau* in primam classem promoti amitterent primatum secundae et tertiae classis; quorum loco designandi fuere novi primates. Sortibus iactis inter eos qui supererant Iduthunitas 8,9,10, cecidit sors super *Semeiam* : quare hic anteponebatur Hasabiae et Mathathiae. Tertiae classis Hemanitarum

primum in elencho reformato locum obtinebat Hananias, qui aut sortibus in eo loco est confirmatus, aut sine sortibus in eodem retentus.

f. Perspicis, id quod dicitur v. 8 rem definitam esse *sortibus*, id accipiendum esse cum aliqua limitatione, quam omnino fert modus loquendi et cogitandi Hebraeorum. Cf. quae dicebamus CJ[1] p. 319, in distributione terrae duce Iosue ea tandem sola sortibus esse definita, quae amice componi non poterant. Hic res paulo aliter cessit : soli primates sortibus designati, ad praecidendas invidias. Dum sortibus primas primae classis designabatur Ioseph, vere sortibus singuli illi chori accipiebant suum primatem, ipse primas suos accipiebat choros, tam maiorem quam minorem, tam magistrum quam discipulum. Idem dic de reliquis. Neque tandem textus affirmat, singulis choris locum assignatum esse sortibus, sed dicitur *sors Ioseph exiisse prima*, quod est verissimum, dein *Godoliam fuisse secundum etc.*, quod item est verissimum.

g. Effectus reformationis institutae fuit :

α. ut priores primates removerentur. Saepe, qui dudum fuere in aliquo officio, aversantur officii sui reformationem. Novos primates permisit David sortibus designari : quicunque designarentur, regis placita erant fideliter exsecuturi.

β. Classes iam aequalius erant distributae, pro 4 + 6 + 14 erant iam 9 + 6 + 9.

γ. Priores chororum affinitates relaxabantur, aliis choris interpositis; chori post reformationem credendi sunt minus cohaesisse inter se, et arctius cohaesisse cum supremo moderatore.

δ. Chororum *H* minuebatur auctoritas. Quorum 5 ad superiores classes transmittuntur. Qui supersunt *H* numero non iam sunt pares A et J iunctis, imo solos A numero non excedunt.

Ex dictis collige, non esse admittendam opinionem *Ewald* (Ausführl. Lehrbuch der hebr. Sprache, 8. Aufl., p. 680; cf. *E. Kautzsch.*, ZATW 1886, p. 260; *Oe.*, *Kittel*, *Barnes*), qui sibi visus est in altera parte v. 4 deprehendere non nomina virorum, sed versus cuiusdam psalmi :

חנּני יה חנּני　　אלי　אתה
גדלתי ורממתי עזר　　ישב קשה
מלותי הותיר מחזיאות

Miserere mei, Iahve, miserere mei,　Deus meus es tu.
Magnificavi et exaltavi auxilium　. . . . . (?)
Multiplicavi abundanter largiri visiones.

Sensus carminis nequaquam est planus. Cum nomina propria hebraea plura habeant piam aliquam significationem, neque mirandum est, si aliquando nomina propria iuxtaposita videantur efficere piam aliquam sententiam. Sed v. 4 haberi

non fragmentum psalmi sed vera nomina, evincunt v. 23-31, ubi habentur eaedem voces alio ordine et in diverso contextu, suntque certissime nomina propria. Qui tanta arte *permutavit* ordinem vocum, is certe eas habebat pro nominibus propriis, non pro frustis sententiae cuiusdam.

γ. Historiae chororum davidicorum adumbratio.

Agitur de choris sacris cap. 6; 15 sq.; 25, quae nos pro viribus seorsim explicabamus. Supersunt nobis haec omnia ad unum caput revocanda, lacunae explendae, quae adesse videntur antilogiae complanandae, in unam omnia contexenda historiam. Subtilior haec disquisitio. In qua ubi nos certae rationes defecerint, procedamus oportet per *coniecturas*. Illud nobis proxime demonstrandum est, ea quae traduntur *posse* componi inter se, quin textui sacro vis inferatur, aut ad audaciores confugiatur textus emendationes. Reapse in his, quae dicturi sumus, religiose sequimur textum, qualem traditum habemus. Quodsi enim quis, ad aliquod concordiae systema fulciendum, ad textus emendationes recurrat, facilius e praeiudicio aget et in re tam subtili a veritate aberrabit.

Ita v. g., quando nomina citantur Asaph, Heman, Iduthun — vel Asaph, Iduthun, Heman — vel Heman, Asaph, Iduthun, nos ordini nominum, quem quisque textus habet, religiose adhaeremus, licet faciliorem aliquam textus interpretationem excogitaverit aliquis, supponens nominum ordinem aut ab auctore esse negligentius scriptum, aut ab amanuensi depravatum. « Domum Iahve » accipimus ea quam p. 142 demonstrabamus significatione, ut designet sanctuarium in Gabaon.

Quodsi quis obiiciat, aliqua in his vel similibus rebus textui adhibita correctione vel liberiore expositione, haberi historiam chororum *simpliciorem*, repono gratis supponi eam historiam fuisse ita simplicem. Quam potius, vestigiis sacri textus inhaerentes, censemus factam esse pluribus successive annis et gradibus, per plures vicissitudines hominumque contraria studia, cum multa perseverantia et patientia. In quibus nihil plane est, quod repudiet interpres. Imo ita rem natura fieri oportuit, neque adstruenda est hac in re specialis aliqua Dei providentia, quae suppleverit naturae imperfectionem. Tiro primum fuit, uti reliqui Hebraei, etiam David in re chororum : a tentaminibus orsus est.

Non negamus fieri potuisse, ut unus alterve textus eorum, quibus nititur nostra argumentatio, depravaretur : deficit tamen critica ratio eiusmodi depravationis affirmandae. *Nos igitur, abdicatis praeiudicatis opinionibus, e textibus quales sunt historiam chororum eruimus*, atque ita illud utique demonstramus, textus quales sunt non pugnare

inter se. Dicesne eam ipsam esse praeiudicatam aliquam opinionem, textus sumi oportere quales sunt?

Utique, cum agatur de componendis inter se disiunctis fragmentis historiae chororum, res sine *coniecturis* pluribus fieri plane non potest. Neque maiorem nostrae huic chororum historiae vindicamus auctoritatem, ea, quam nostrae coniecturae iudicio lectoris merebuntur. Quodsi eae tibi non satis probentur, lumbos accinge, aliud concordiae systema excogita : durum sed non inutilem eum experieris laborem.

Antequam vero intricatum laborem aggrediamur historiae chororum adumbrandae, ut perspiciat lector, quo tendat iter nostrum, atque hoc perspecto alacrior sequatur, brevi conspectu historiam porro explicandam oculis subiicimus.

1. *Samuel*, fundamento usus *stirpibus* et *cognationibus*, instituit *Gabaone* classes 3, choros 21, quorum unus *Gabaonitarum* :

chori gersomitae 6, caathitae 9, meraritae 6.

2. Postea *Samuel* suam in choris auctoritatem fulcivit, Caathitis suis adiungens choros 3 filiorum Elcana I, sibi affinitate iunctos. Igitur summa chororum 24 :

chori gersomitae 6, caathitae 12, meraritae 6.

3. *David* frustra nisus, ut chori gabaonenses cooperarentur solemnitati translationis arcae, impetratis a principibus levitarum cantoribus quibusdam, qui novos sibi choros formarent et ducerent, pro ea solemnitate instituit choros 17 in 3 classes, *non secundum stirpes*, distributos.

4. Sed hos ipse *David* mox distribuit secundum stirpes. Et 8 quidem choros Gersomitarum et Meraritarum constituit *Sione* apud novum suum sanctuarium, *Asapho* moderatore; alios choros 6, filios Elcanae II, cum *Heman* et *Ethan* misit *Gabaonem*, ibique extremos adnexuit Caathitis. Habebantur iam Gabaone chori omnino 30 :

chori gersomitae 6, caathitae 18, meraritae 6.

5. Post initum consilium aedificandi templi et abdicatum consilium instituendi Sione cultus solemnioris, *David* aggressus est *reformationem chororum in Gabaon*, simul *cum illis confundens suos*, *quos habebat Sione choros*. Supremum moderatorem constituit *Hemanum*, ei adiunxit Asaphum et Ethanum; classes servavit, quae *secundum stirpes* distinguebantur; choros plures eliminavit, imprimis chorum unicum *Gabaonitarum*; choros plures adhibuit novos, inter quos erant chori Sione nunc traducti Gabaonem. Habuit choros omnino 40 :

Hemanitarum (Caathitarum) 18, Asaphitarum (Gersomitarum) 12,

Ethanitarum (Meraritarum) 10.

6. Postmodum *David*, cum effuse cuperet chororum augere numerum et stirpium leviticarum in illis aequilibrare auctoritatem, rediit ad illud, quod abdicaverat, Samuelis consilium chorosque *Gabaonitarum* adhibuit, summam chororum efficiens 64 :

chori levitarum 40, Gabaonitarum 24.

Primatum auctoritatis concessit *Asaphitis* iunctis Iduthunitis, quorum choros tam

levitarum quam Gabaonitarum, fecit numero tot, quot erant chori Hemanitarum, tam levitarum quam Gabaonitarum, in extremum locum relegati.

7. Hoc ordine classium numeroque chororum servato, choros *Gabaonitarum* redistribuit ita, ut chori Asaphitarum iunctorum Iduthunitis multum excederent numero choros Hemanitarum. Omnis iam auctoritas penes unum *Asaphum* fuit.

Simul ordinem hunc a se tandem feliciter absolutum *solemni pacto* confirmavit, fecitque Gabaonitas cantores *Nathinaeos*, seu Levitis a rege et principibus *datos* ad ministeria cantus sacri.

1. Ad ipsam iam chororum historiam explicandam progredimur. Ubi primum illud quaeritur, *fuerintne ante Davidem Gabaone aliqui chori sacri*. Rei affirmandae has propono probabiles rationes.

a. Opus chororum habebatur *prophetia* 25,1 sqq.; erant tempore Samuelis *chori prophetarum*, utentes instrumentis musicis 1 Reg. 10,5; Samuel vero sollicitus fuit de decore cultus apud sanctuarium augendo; quare probabile videtur eum choros apud sanctuarium instituisse, si illi non iam ante ipsum ib. reperiebantur.

b. *Chorum Saul* (6,24 : v. ib.) non crediderim a Davide esse institutum, postquam factus est rex super universum Israel, totaque fere domus Saul 2 Reg. 21 probrose est exterminata. Ergo hic chorus, et consequenter alii item chori, ante Davidem erant. Porro coniiciebamus, chorum Saul fuisse *Gabaonitarum*, initium quoddam instituti *Nathinaeorum*. Facilius vero intelligetur David hoc institutum plurimum auxisse, si eius initia ipso essent anteriora; minus facile, si idem institutum a Davide primo adstruatur esse conditum tamquam *res plane nova*.

c. Modus, quo 15,16 sqq. *designantur* cantores, suadet iam antequam designarentur exstitisse choros cantorum. Et Gabaone quidem. Instituuntur cantores *primi*, *secundi* et *tertii* ordinis : quorum verborum sensus obvius est, ex *ordinibus ante exsistentibus* eos viros fuisse selectos, eos *iam ante* calluisse ideoque etiam exercuisse artem musicam. Sensus obvius est, Heman, Asaph et Ethan *iam ante* fuisse in ea arte eximios.

d. 6,31-47 *reformavit* David choros v. 20-30. Fieri quidem potuit, ut choros v. 20-30, a choris 15,17 sq. oppido diversos, aliquando *instituerit* David, postmodum iudicaverit esse *reformandos* : rem tamen ita actam esse, nullo argumento comprobatur. Non sunt facilius *multiplicandae* reformationes chororum, quas effecit David, ut primum instituerit choros 15,17 sq., qui chori postmodum deformati sint in formam v. 20-30 toto coelo diversam, quam rursum reformaverit David 6,31-47; formaverit praeterea Nathinaeos 25,2-7 eosque rursum reformaverit 25,8-31. Longe planior hypothesis, 6,20-30 describi ordinem chororum, qui *ante Davidem* fuerint Gabaone, hunc ordinem

6 31-47 reformasse Davidem, fortasse confudisse cum suo tentamine 15,17 sq., etc.

2. *Quibus praemissis, chororum sacrorum apud Hebraeos primam historiam adumbramus ita.*

Moyses nullas de musica sacra edidit leges, musicae cultui divino adhibendae ne mentionem quidem habet. Quod Moyses 9,19 sqq. referatur instituisse custodes seu ianitores sanctuarii, non sequitur eundem instituisse musicam sacram : erat illud sanctuario decens, imo necessarium, hoc certe non necessarium. Nolebat fortasse Moyses cultum a se institutum similiorem reddere cultui Aegyptiorum aliarumve gentium; studuit potius eum conformare cultui patriarcharum simpliciori.

Quod Hebraei antiquitus habuerint aliqua cantica sacra (Ex. 15; Deut. 32; Iud. 5), inde non sequitur ea recitari consuevisse *in cultu sacro*, in atrio sanctuarii, a levitis ad id deputatis. Ex. 15,20 sq. suadet, Moyse superstite adhibitos esse choros cantorum, imo cantatricum : sed solemnitas, in qua decantabatur canticum, non videtur habuisse sacrificia, cum Hebraei professi essent se tridui itinere in desertum profecturos ad sacrificia offerenda (Ex. 5,3; cf. CEL p. 151), ergo neque potest demonstrari spectasse ad cultum religiosum publicum.

Sed fuit ante Davidem nexus musicae sacrae cum *prophetia* : fuit propheta Moyses, prophetissae (נביאה) Maria et Debbora. Habes 1 Reg. 10,5 sqq. prophetas incedentes cum instrumentis musicis, descendentes de loco sacro : videntur hi usi esse instrumentis in cultu Dei. Cf. 1 Reg. 19,20 sqq. Consueverintne chori ante Samuelem adhiberi cultui divino, ambigo etiam ideo, quia 1 Reg. 3,1 defecerat fere prophetia initio vitae Samuelis : atqui musica sacra aevo Samuelis et Davidis certe intime nectebatur prophetiae (v. sp. 353).

Atqui describebamus modo rationes, cur choros aliquos ante Davidem Gabaone fuisse censeamus : hos, antiquioribus deficientibus vestigiis, Samueli prophetae tribuimus institutori.

Hos choros censemus eosdem esse, atque choros (licet non omnes) 6,20-30, qui v. 31 sq. erant Gabaone. Qui sunt anteriores choris v. 31-47, sunt enim hi e davidica reformatione chororum v. 20-30 nati; sunt anteriores ordinibus Nathinaeorum cap. 25, hi quippe norunt Asaph, Heman, Iduthun, trium classium chororum moderatores, illi eosdem ignorant omnino.

Porro chori v. 20-30 omnino fundamentum habent *discrimen stirpium* Gersom, Caath, Merari, ut, universim certe, cantores primae classis fuerint Gersomitae, secundae Caathitae, tertiae Meraritae. Prae-

terea principes aliqui earum stirpium inter choragos reperiuntur.

Reliqua chororum nomina (praeter Saul), quod clarius patet in Caathitis, sunt *genealogica*, deprompta a cognationibus quae successive e communi stirpe effloruere. E quo facto non illud infero, singulos cuiusque chori cantores eius fuisse cognationis homines, cuius nomen inditum choro. Sed, cum nomina choris imponi oporteret, potuere nomina desumi a cognationibus, sive ex eis essent cantores chori omnes, sive aliqui tantum, et choris primum formatis imponi nomina antiquissimarum cognationum.

Haec hypothesis explicat, cur choris, quorum choragi principes, data sint principum nomina : erat is honor principibus concessus. Quod v. 31-47 eliminentur principes, non inde sequitur totos cum illis choros fuisse item eliminatos novosque in eorum locum suffectos choros. Chorus idem manens alium nactus sit choragum, pro Aminadab Ioel, pro Uriel Sophoniam, pro Ioele Ethan. Quae nomina fuerint non genealogica, sed ipsorum choragorum nomina, cum genealogia iam haberetur antea praeter principum nomina continuis nominibus expressa.

Ergo classis Caathitarum nomina chororum mutuata est a genealogia Caath-Core, aliquibus sapienter exceptis : neque enim lege aliqua fuerat statutum, ut chororum nomina a genealogia repeterentur. De genealogia Gersom-Lobni et Merari-Moholi novimus nihil. Quare, si placet, nomina v. 20 sq.29 sq., praeter duo principum nomina, ad has genealogias revoca; si praeplacet affirmare nihil, de iisdem nihil affirmes.

Illorum chororum gabaonensium 6,20-30 tres classes coniicio sua singulas habuisse *instrumenta musica* : unam cymbala, alteram nabla, aliam citharas. Etenim diversarum classium diversa item sunt instrumenta 15,19-21 et 25, 3, neque est cur hac in re adstruamus diversam fuisse classium 6,20-30 rationem.

Verum *Caathitarum* 6,22-28 tria discernuntur *strata* : filii Core, filii Elcanae I, filii Elcanae II. Potuere illa tria strata omnia una in album cantorum referri, sed cur tum tria strata discernebantur? Supponemus fortasse magis secundum naturam, relata esse *successive* : consuevere eiusmodi instituta non per omnia perfecta edi in lucem, sed gradibus evolvi. Habebis :

1°,	Gersomitarum	choros	6,	Caathitarum	9,	Meraritarum	6;
2°,	—	—	6,	—	12,	—	6;
3°,	—	—	6,	—	18,	—	6.

Supponas igitur haec Caathitarum augmenta facta esse successive :

numeris Gersomitarum et Meraritarum manentibus iisdem, continuo augetur Caathitarum numerus. Qui primum excedunt tam Gersomitas quam Meraritas seorsim sumptos (6 : 9 : 6), dein eos una sumptos aequant (6 : 12 : 6), tandem una sumptos medietate superant (6 : 18 : 6). Et nota, in his numeros *Gersomitarum* et *Meraritarum* manere usque eosdem.

Maxima a primis Gabaone Caathitarum in choris auctoritas. Neque id mirandum, cum quod Samuel eorum chororum institutor Caathita fuerit, tum quod Caathitae proxime sanctuarium habitarent in finibus Ephraim, Manasse et Dan, ideoque magis essent ad manum et libentiores etiam ministrarent. Inter Caathitas sensim crescit auctoritas eorum chororum, quorum nomina produnt arctiorem cum Samuele affinitatem. Quorum primum cooptantur 3 chori filiorum Elcana I, 4ª pars omnium Caathitarum (3 : 9). At postmodum cooptantur rursum 6 filii Elcana II, Samueli etiam affiniores quam filii Elcana I, ut chori Samueli affines inter Caathitas iam numero aequent reliquos (9 : 9). Tamen chori hi affines *extremum locum* obtinent, minoris auctoritatis sunt cognationes recentiores cognationibus antiquioribus.

A quo profecta sunt haec augmenta? Facile crediderim, filios Elcana I adscitos esse ab ipso *Samuele*. Gersomitae et Meraritae minus dociles se praebuerint Samueli Caathitae; quare is adscitis filiis Elcana I effecerit Caathitas suos numero aequales Gersomitis et Meraritis una sumptis. Ita nihil sine Caathitis, nihil sine Samuele effici potuit.

Quis vero adscivit filios Elcana II? Dixeris, ipsum Samuelem adscivisse choros illos sibi magis affines ceteris. Sed num Samuel *se ipsum* v. 27 (secundum necessariam textus restitutionem) facturus erat chorum *novissimum*? Recole, v. 33-38 reformationis Caathitarum a Davide effectae maximam partem in eo fuisse, ut inverso chororum ordine in Samuelitas transferret primatum auctoritatis inter Caathitas. Veri simile apparet, eum, qui illius suae reformationis veluti cardinem fecerit filios Elcana II, eundem eos aliquantum antea choris cooptasse. Unum idemque unius viri consilium haec duo produnt. Merito exspectabat David eas cognationes sibi, Samuelis discipulo et amico, fore obsecuturas. Quare censeo, *Davidem* eas cognationes adscivisse, quarum ope mox ipsos Caathitas reformaret.

3. Sed his aliqua Davidis acta anticipavimus : redeamus oportet ad primum Davidis tentamen quorumdam chororum instituendorum.

Nihil ante translatam Sionem arcam hac in re egisse videtur David. Non erat Cariathiarim locus reformando cultui divino aptus neque ib. credendi sunt fuisse levitarum chori aliqui; transferenda primum

fuit arca in requiem suam permanentem. Priori translationi e Cariathiarim in domum Obededom levitae non sunt adhibiti neque gestatores arcae neque cantores; fecere David et populus 13,8 musicam « validam ». Sed pro altera arcae translatione instituit 15,17 sq. choros levitarum 17. Quos in *tres classes* divisit diversis utentes instrumentis, *non divisit secundum stirpes* : Asaph, Heman et Ethan, diversarum stirpium homines, coniecit in unam classem, non fecit singularum classium moderatores. Hinc nulla nobis est ratio affirmandi, chororum 15,18 nomina esse genealogica : nomina fuere choragorum. Vides, indolem horum chororum davidicorum quadamtenus differre ab indole chororum gabaonensium.

Cur *novos* hos choros instituerit David, rationem suggerebamus p. 259. Consilium transferendae Sionem arcae ibique novi sanctuarii instituendi, nequaquam probabatur levitis omnibus : erant aemulationes et privata studia. In concilio 15,11 sqq. actum est de choris gabaonensibus adhibendis solemni translationi arcae. Id regi non est concessum. Concessi sunt cantores aliqui, qui quarum stirpium fuerint ignoramus tribus exceptis, qui choros colligerent et ducerent. Quos choros si uti illos 25,9 sqq. supponas fuisse duodenorum cantorum, habes cantores 36 + 96 + 72 = 204.

Post translationem arcae David *horum* chororum alios voluit esse *Sione* alios *Gabaone*. En tibi factae distributionis Schema.

Chori cantorum 1 Par. 16,5.41

in Sion :	in Gabaon :
2 Asaph, cymbala;	1 Heman, cymbala;
4 Zacharias, cymbala (?);	3 Iduthun, cymbala;
16 Iehiel (יעיאל), citharae;	
6 Semiramoth, nabla;	5 Oziel (עזיאל), nabla;
7 Iahiel (יחיאל), nabla;	8 Ani, nabla;
12 Mathathias, citharae;	11 Maasias, nabla;
9 Eliab, nabla;	13 Eliphalu, citharae;
14 Banaias, nabla;	14 Macenias, citharae;
15 Obededom, citharae.	17 Ozaziu, citharae.

Numeri arabici exprimunt ordinem. quem iidem chori tenuere 15,19-21, quando arca transferebatur Sionem. Crediderim Zachariam, quando « secundus » Asapho attributus est 15,5, a nablis transisse ad cymbala. Facile in schemate discernis ternarios et binarios chororum.

Obvius sensus narrationis cap. 16 is est, David *continuo post solemnitatem translationis arcae* 8 e suis choris recens creatis misisse *Gabaonem*. Verum Gabaone erant iam chori a Samuele instituti : quaeres,

quomodo ib. inter choros antiquiores et recentiores compositae sint res. Praeterea choros a se recens creatos vix alia mente potuit David mittere Gabaonem, nisi ut antiquiores ib. choros reformaret, quos in re translationis arcae expertus fuerat non satis dociles.

Nomina chororum 15,18 post cap. 16 in narratione leguntur nusquam. Fuere autem chori a Davide missi Gabaonem, praeter Heman et Iduthun, 6; ab eodem habebamus additos aliquando Caathitis Gabaone choros Samueli affines 6 : suggero intelligi oportere choros utrobique eosdem. *Chori, qui choragorum nominibus propriis vocabantur Oziel, Ani, Maasias, Eliphalu, Macenias, Ozaziu, iidem nominibus cognationum 6,26 sq. vocantur Suph, Nahath, Eliab, Ierohaм, Elcana III, Samuel.*

Quando sibi denegabantur pro translatione arcae chori gabaonenses, curavit David, ut sibi a principibus levitarum inter alios concederentur cantores cognationum Samueli maxime affinium, filiorum Elcana II, qui Gabaone nondum habebant choros proprios, sed inter filios Elcana I reperiebantur. His continuo post translationem usus est, ut Gabaone Caathitarum primum inchoaret reformationem. Eis illos 6 choros primum *extremos* cooptavit, cum eis misit Heman et Iduthun, qui praepararent reformationem ille Caathitarum, hic fortasse Gersomitarum et Meraritarum.

Dices, si res ita habuerit, oportuisse inter nomina chororum 6,20-30 scribi nomina Heman et Iduthun. Oportuit, si Heman et Iduthun mittebantur Gabaonem ut choragi cum choris suis. Sed quomodo demonstrabis eos ita mitti oportuisse? Quod si fiebat, erat illis vel tum conferenda auctoritas supra *principes* (Aminadab, Uriel, Ioel, Asaia), hi ad obsequium eorum virorum adigendi, fortasse vel tum ex albo choragorum delendi. Noluit David praecipitare rem, voluit eam, si fieri posset, amice componere. Misit Heman et Iduthun, qui principes aliosque monitis iuvarent, regis desideria proponerent et choragos ad obsequium pellicerent.

Quaeres, quid factum sit de choristis, quos habuere Heman et Iduthun in solemnitate translationis. Reversi sint interim ad sua in choris filiorum Elcana I loca, quae ante translationem obtinebant. Quis negabit, rem ita potuisse fieri et prudenter fieri, atque hac explanatione textus componi inter se?

Neque, quod propter analogiam 25,9 sqq. statuamus choros, quando apud sanctuarium *adstabant*, habuisse singulos cantores duodenos, inde inferendum, singulis choris *adscriptos* esse cantores tantum 12. Adscripti erant longe plures, cum quod in hoc quoque ministerio observarentur vices aliquae, tum quod oporteret in promptu esse

aliquos, qui subintrarent in locum eorum, qui morbo aliave causa praepedirentur. Nonne levitarum 6,31-47 fuere chori 40, ergo choristae $12 \times 40 = 480$? At levitae cantores 23,5 fuere 4000.

4. Antequam in texenda chororum historia procedamus, distinguamus oportet aliqua *reformationis a Davide effectae tempora.*

Quando transferebat arcam David *Sionem*, illud utique statutum habebat, facere Sionem sanctuarium maximum alterum; confidebat, in novo suo tabernaculo arcam habituram esse sedem perpetuam. Fortasse in votis habebat, ut illuc aliquando transferrentur sacra gabaonica. Quare Sione primum instituit cultum, quem potuit : choros, tibicines, ostiarios, filiosque suos fecit ib. sacerdotes, quibus mox se iunxerint sacerdotes etiam aaronitae plures, tam Ithamaridae quam Eleazaridae (24,5), qui aut cum rege sincere sentirent aut regis captarent gratiam. V. s. p. 270 sq.

Sed hoc regis consilium infirmatum est tum, quando rex Deo probante iniit consilium *templi* aedificandi. Tabernaculum novum iam non erat futurum arcae perpetua sedes; ipsa instituta gabaonensia brevi cum arca transferenda erant in templum. Futura erant sanctuaria non duo, sed unum, cantorum item societates non duae, sed una. Providenda erant imprimis ea, quae cultum aliquando in templo habendum effectura essent augustiorem. Proderat unum habere seminarium chororum omnium, ubi illi ad eam formam perducerentur, quam habituri essent in templo. Non poterant chori gabaonenses transferri Sionem, atque sanctuarium gabaonense suis orbari choris : visum fuerit utile, choros sionenses transferre Gabaonem, ut chori omnes sub uno duce una essent.

Num igitur nulla post haec futura erant sacra cantica Sione? Sicut levitae ministri sacri *per vices* accedebant ad sanctuarium, sive gabaonense sive sionense, postea ad templum, ita facile potuere chori Gabaone *per vices* accedere ad sanctuarium in Sion, ubi etiam a rege fortasse accuratius exercebantur et novos edocebantur psalmos. Neque chori illi continuo versabantur Gabaone : etiam Gabaonem, si tres solemnitates maiores excipias, accedebant chori per vices suas, expletis vicibus abibant ad sua.

Interim, ne sua de choris consilia plene exsequeretur, distinebatur David pluribus gravibusque *bellis*, graves in familia experiebatur perturbationes, ambitione (v. ad 21,1) passus est se abripi ad incoepta, quae Iahvae non probabantur. Quo tempore vix credendus est strenue et constanter adlaborasse perficiendis choris, quin potius rem permisisse aliis procurandam.

Tandem visione angeli cap. 21 ad saniora consilia revocatus, et lo-

cum aedificandi non a se sed a filio templi divinitus edoctus, totum se dedit operi praeparandae aedificationis cultusque templi. Quo certe tempore censendus est David reformationem chororum suscepisse ipse strenue.

Quare ipsa Davidis historia suadet, ut in re chororum duo distinguamus potissimum *tempora* : primum *a translatione arcae ad visionem angeli*, alterum *ab hac visione ad extremam Davidis vitam*. In illo res acta sit quiete vel etiam segniter, in hoc magno conatu. In quae tempora distribuantur oportet ea, quae cap. 6 et 25 referuntur.

Existimo igitur, per totum tempus usque ad angeli apparitionem choros perseverasse universim tales, quales 6,20-30 et 16,5. 37 describuntur : Asaph 8 habens choros Sione ministrabat, Heman et Iduthun cum choris 30 Gabaone. Ubi rex statuit choros radicitus emendare, visum est et choros sionenses cum gabaonensibus confundere, et gabaonenses funditus reformare.

5. Reformationem effecit David *Gabaone* 6,31 sq. 39. 44. Cuius summa haec fuit. Omnino adhaeret iam David classium distinctioni secundum *stirpes*. Eliminatis *principibus*, summam auctoritatem transfert in *prophetas* (25,5; 2 Par. 29,30; 2 Par. 35,15). Prophetiam facit cultus divini ministram. Singulis classibus praeficit prophetam, quorum unum Hemanum facit supremum sub rege totius musicae moderatorem.

Chororum caathitarum ordinem invertit, primum auctoritatis locum tribuit filiis Elcana II, propinquis Samuelis, qui accedentibus choris Heman et Ioel e 6 fiunt 8 chori, dum filii Core et Elcana I sunt chori 10.

Eodem tempore vel haud multo post reformavit David etiam Gersomitas et Meraritas, magis radicitus quam Caathitas. Principibus substituit prophetas. In locum Ioel principis gersomitae subintravit Ethan quem, ut Sophoniam Coritam, item existimo fuisse Lobnitam; Lobnita item fuerit Semei, qui mediis Lobnitis inscribitur; sed nova 5 nomina, quae initio elenchi inscribuntur, fuisse Semeitarum inde infero, quod v. 43 (cf. v. 20) nomen Lobni ante nomen Gersom omittatur. Ergo choragorum maior pars mutata, ordo inversus, homines novi illis antepositi. Meraritae mutati omnes, suffectis in locum Moholitarum 6 Musitis cum Ethan 10, qui cuius rami fuerit ignoramus.

Verum, quid factum de choris, qui Sione fuerant et quorum nulla deinceps mentio habetur? Quorum primus Asaph utique conspicitur Gabaonem esse translatus : an item reliqui? Sunt ii chori 8 : habes, praeter Asaph et Iduthun choros novos apud Gersomitas 4 (vel 5),

apud Meraritas 9; suggero inter hos reperiri illos 8 choros. Sunt utique nomina omnia diversa : sed recole, nomina 15,18 esse individuorum choragorum, nomina 6,39-47 probabilius esse cognationum; iidem choragi, qui antea appellabantur nominibus suis, 6,39-47 appellantur cognationum nominibus. 6,20-47 et cap. 16 sq. primitus duo videntur fuisse documenta distincta, quorum ratio appellandorum nominum non fuit per omnia eadem.

Habes iam choros omnes in unam societatem adunatos sub uno moderatore propheta. Caathitarum omnino praevalet auctoritas, quibus conceditur statio in medio, dum Gersomitae « a dextris » et Meraritae « a sinistris » consistunt. An hic finis Davidi reformandorum chororum?

6. Cap. 25 est de cantoribus *nathinaeis*. Habet etiam ipsum v. 2-7. 8-31 duos ordines, unum anteriorem, alterum posteriorem : prior affirmat successionem classium Asaph, Iduthun, Heman, alter in iisdem classibus mutat distributionem chororum, simulque distributioni tam classium quam chororum confert approbationem sortium et approbationem Davidis et principum exercitus.

Non sunt haec effecta uno tempore, ut unica reformatione distribuerit David eosdem choros duobus diversis modis, sed facta sunt *duobus diversis temporibus*. In utroque ordine conspiciuntur Nathinaei subordinati tribus supremis cantus moderatoribus, ergo iuncti choris levitarum.

Ordo chororum prior 25.2-7.

	levitae	Nathinaei	summa	
Asaph :	levitae 12,	Nathinaei 4,	summa 16	32
Iduthun :	— 10,	— 6,	— 16	
Heman :	— 18,	— 14,	—	32
	40	24		64

Ordo chororum posterior 25,8-31.

	levitae	Nathinaei	summa	
Asaph :	levitae 12,	Nathinaei 9.	summa 21	37
Iduthun :	— 10,	— 6,	— 16	
Heman :	— 18.	— 9,	—	27
	40	24		64

Enumeratio nominum cap. 25 hoc ordine facta : *Asaph*, Iduthun, Heman, non est fortuita. Tota redistributio v. 8-31 in eo est, ut e classe Heman aliqui chori transferantur in classes Asaph et Iduthun. Praeterea schema pandit rationem aliquam, cur classes eo ordine recitentur : Nathinaeorum magis aequali per tres classes distributione efficitur, ut in ordine posteriore summa chororum Heman sit notabiliter minor, quam summa chororum Asaph aucta choris Iduthun. Efficitur *generale aequilibrium classium*.

In posterioribus libris semper servatur enumerationis ordo : *Asaph*, Heman, Iduthun; qui tamen dici potest scribi intuitu antiquitatis stirpium, non ordinis earum hierarchici. Nota tamen, post exsilium 1 Par.

9,15 sq. habitasse Asaphitas et Iduthunitas in Ierusalem, Hemanitas in vicis Netopha, acsi ea tum classis cantorum reliquis duabus classibus posthaberetur.

Ante omnia definiamus oportet, quid sibi velit ille enumerationis ordo. Dices, id effecisse Davidem, ut Asaphum seu Gersomitas primo loco restitueret, qui eis competebat ordine antiquitatis stirpium. Id omnino effecit : sed cur Iduthuno attribuit secundum locum, cui ob antiquitatem competebat tertius? dicas ergo, Davidem voluisse efficere duo : *voluisse Asapho tribuere primum et Hemano extremum locum.*

Sicut David 6,31-47 relaxabat affinitates *cognationum*, ita cap. 25 conspicitur relaxasse affinitates *stirpium*. Divisio classium iam utique fit secundum stirpes, sed non unice secundum illas. Affinitatibus istis utitur David, ut instituto suo procuret perennitatem; sed nulli stirpi tantum concedit auctoritatis, ut possit efficaciter obniti moderatoribus. Has affinitates tanto facilius iam relaxat, quod ipsae classes distinguantur secundum stirpes nominibus omnino, sed non omnino re : classis Asaph habet Gersomitas et Nathinaeos, classis Iduthun Meraritas et Nathinaeos, classis Heman Caathitas et Nathinaeos.

Quando Asaph praeerat choris Sione, erant Gabaone una Heman et Iduthun, intimius iungebantur inter se. Non erat permittendum, ut nimium invalesceret auctoritas Heman : quando ergo Gabaonem translatus est Asaph, interpositus est inter Heman et Iduthun, eorum relaxans affinitatem. Sed David deinceps passus est arctius coalescere Asaph et Iduthun. Quando Asaphum anteposuit Hemano, una cum ipso anteposuit Iduthunum, veluti esset Asaphi appendix quaedam. Et cap. 25, in ordine quidem anteriore aequales sunt Asaph et Iduthun (16 : 16) inter se, aequales una sumpti Hemano (32 : 32). Sed in ordine posteriore Asaph praevalet super Iduthun (21 : 16), et ambo una sumpti multum praevalent super Heman (37 : 27). Iduthun iam efficitur veluti pedissequus Asaph : habentur classes specie tres, re duae. Facilius servatur unitas inter duos quam inter tres, praesertim si eorum duorum unus longe fortior est altero.

Alterum etiam Davidis consilium indubie pandit schema : *voluit augere numerum chororum.* Qui 6,20-30 reperiuntur fuisse primum 21, postea 24, dein 30 (v. p. 368), et 6,31-47 fuisse 40 (v. p. 136 sq.), iidem cap. 25 deprehenduntur esse 64.

Uterque ordo illud habet, ut summa chororum sit 64 seu 8 × 8, Nathinaei sint tres octavae eius summae, habeantque ad choros levitarum rationem 3 : 5. Nescio, sitne fortuita an studio quaesita symmetria numerorum. In priori ordine sunt omnia ogdoades : Asaphitae

2 × 8, Iduthunitae 2 × 8, Hemanitae 4 × 8. In altero ordine : Asaphitae 3 × 7, Iduthunitae 2 × 8, Hemanitae 3 × 9.

Transimus porro ad *historiam chororum Nathinaeorum* elucidandam.

Coniiciebamus, chorum Saul fuisse Gabaonitarum. Qui 6,24 medios inter choros levitarum conspicitur, sed a David est eliminatus. Permisitne tum David, ut ille chorus, aliis additis choris item gabaonitis, perseveraret? Nulla id suadet ratio, praesto sunt autem rationes duae ob quas affirmemus, Davidem institutum cantorum gabaonitarum a Samuele inchoatum, primum intermisisse, *postea* resuscitasse. Prima est ratio politica, quam explicabamus p. 178. Concessis Gabaonitis privilegiis in re sacra, redemit David privilegia in re politica iisdem a Iosue concessa, solvitque incommodum problema gabaoniticum. Altera ratio est immensum Davidis vita ad finem vergente desiderium, summa magnificentia praeparandi quaecunque spectarent aedificationem et cultum templi (v. i.).

Crediderim igitur, Davidem rediisse ad consilium Gabaonitarum ad choros sacros admittendorum post apparitionem angeli, quae illud in eo desiderium inflammavit. Cupiebat tum rex augere chororum numerum; plures, quam quos antea adhibuerat *levitas*, adhibere aut noluit aut non potuit; adhibuit *Gabaonitas*, quos habiturus esset per omnia dociles, quod non titulo originis, sed solius favoris regis et principum inter cantores essent admissi.

Si ea voluntate creavit David Gabaonitarum choros, ut chororum numerum augeret, non est ratio affirmandi eum a paucioribus quam 24 choris creandis initium sumpsisse; a primis in mente habuerit summam illam 64 chororum. Effecerit item, ut totidem choros haberent Hemanitae, quam Asaphitae iuncti Iduthunitis (32 : 32). Hemanitas ad calcem relegaverit aut tum aut postea.

Fuit tandem extrema reformatio, quae Hemanitas effecit numeris non reliquorum una sumptorum aequales tantum, sed etiam longe pauciores, quaeque solemni pacto Gabaonitarum iura consecravit totamque chororum materiam absolvit. Gabaonitas fecit Nathinaeos.

Igitur consilium suum David, vita ad finem vergente, habebat magnifice effectum atque firmiter stabilitum. In quo exsequendo laboravit plurima patientia et prudentia. Totam cantorum rem habebat tandem aequaliter aequilibratam, ut nulla eorum sectio quidquam valeret efficaciter contra regem moliri, nulla certe e tribus classibus, quae erant omnes e levitis et Nathinaeis coactae; non levitae caathitae, quod essent levitis gersomitis et meraritis una sumptis pauciores (18; 22); non levitae gersomitae aut meraritae ob similem rationem;

non levitae una omnes, quod diversis distinerentur studiis atque nunquam non possent reprimi aucto chororum nathinaeorum numero.

Consilium primum conceptum, obiiciendi choris gabaonensibus novos suos choros sionenses, penitus abdicavit David, ipsosque choros gabaonenses suos fecit. Axioma, choros uti reliqua Hebraeorum instituta superstruendos esse stirpibus et cognationibus, acceptavit, at simul temperavit ita, ut instituto suo illud tribueret firmitatem, eius vero efficaciae non obesset. Caathitis primum usus potissimo reformationis instrumento, eorum tamen auctoritatem extremum imminuit. Gabaonitas non levitas accensuit cantoribus sacris.

7. Quid de hoc Davidis incepto iudicandum?

a. Levitae a Moyse attributi sunt ministeriis sanctuarii : at haec ministeria accurate etiam circumscripsit Moyses : de cantu sacro statutum reliquit nihil. Num. 31,47 attribuebat Moyses 50um quodque caput captivorum « levitis, qui excubabant in tabernaculo Iahve, sicut praeceperat ei Iahve ». In quo facto visi sibi sunt aliqui deprehendere initium aliquod instituti Nathinaeorum; putant, hos captivos concessos esse levitis etiam ad quaedam infima pro sanctuario obeunda ministeria, alios etiam captivos a levitis iisdem ministeriis esse attributos. Quod si verum sit, habebis eam rem ab ipso Moyse approbatam e mente Iahve. Sed latius patet conclusio. Concedebatur levitis 50^{a} pars praedae secundum legem, qua uterentur secundum legem, poterant captivis uti ad ministeria domestica, poterant illos vendere, non sequitur eos illis uti potuisse ad aliqua sanctuarii ministeria.

b. Non sequitur e lege Moysis, non potuisse non-levitas adhiberi ad infima quaedam ministeria, ad caedenda, imo comportanda ligna. Num tandem lege prohibebantur levitae, quominus vestibus uterentur a non-levitis contextis? Iosue Gabaonitas addixit angariis pro sanctuario; cuius vestigia premens David eosdem adhibuit sacris choris. Si vera sit nostra coniectura, chorum Saul 6,24 fuisse Gabaonitarum, habes ipsum Samuelem admittentem non-levitas ad sacros choros. Recordare, aevo davidico legem mosaicam fuisse legem vivam, quae observaretur non secundum literam tantum, sed secundum literam et spiritum. Recordare, spiritum theocraticum, qui legis mosaicae erat proprius et a Moyse ad Davidem lentis, quandoque lentissimis incrementis adoleverat, tandem aevo davidico plene fuisse evolutum. Cuius spiritus interpretem securius sequemur Davidem, quam imo Iudaeos post exsilium. Etenim ante exsilium eius legis observatio lugendum in modum defecerat, non erat reducibus de exsilio ea lex lex viva, qualis fuerat aevo Davidis, sed quadamtenus e sacris paginis resuscitanda.

c. Institutum chororum sacrorum videtur effloruisse e choris prophetarum aevi Samuelis, qui non possunt demonstrari fuisse levitae omnes. Verba 1 Reg. 10,11 sq. : « Numquid et Saul inter prophetas?... Et quis pater eorum? » videntur illud edicere, omnis generis homines fuisse inter prophetas illos. Fuere inter illos aliquando Saul Gabaonita et David Iudaeus, imo ipsi satellites Saul. Si autem institutum cantorum radices habuit in illis prophetarum choris, potestne reprehendi Samuel, quod etiam Gabaonitas aliquos Gabaone ad sacros choros admiserit, et David, quod Samuelis exemplum sit secutus? Sed aliud est, unum chorum Gabaonitarum admittere inter choros 21 vel 24 (v. s. p. 368), aliud 24 eorumdem choros admittere inter choros 64, i. e. novies tantum. Quaerendum ergo superest, annon David ea in re egerit immoderatius.

d. Quod Davidis opus iuvabit cum aliis eiusdem regis actis comparare. David per prophetam certior factus, templum aedificandum fore non a se sed a filio, motus ardentissimo eius operis desiderio, suarum partium esse duxit, omnibus modis et templi aedificationi et cultui in eodem quam augustissime celebrando *prospicere*. Totum sacerdotum et levitarum ordinem reformavit, imprimis instituit cantores; praeparavit aedificationis descriptionem, materiam, operarios. Et sacerdotum quidem et levitarum reformationem Deus ratam habuit, praeparationem illam ipsius aedificationis non videtur ratam habuisse : non materiam a patre praeparatam adhibuit Salomon, sed aliam comparavit.

Licet vero chori a Davide instituti in templum sint transsumpti, tamen dispiciendum nobis est, annon in ipsa chororum institutione immoderate egerit David : usque intentus in illud, ut chororum suorum augeret numerum, eosque haberet per omnia obsequentes, *adhibuit tandem etiam Nathinaeos non-levitas*. Id faciens non-levitas, imo eos qui stirpis essent non-hebraeae, *fecit esse instar levitarum*. *Dedit* ipse cum principibus exercitus, plane uti levitae ipsi a populo *dati fuerant*, ut sacerdotibus ministrarent (v. ad 6,48). Admisit ad societatem officii levitarum cantorum, ad communionem item emolumentorum eius officii, neque enim munificentissimus rex, qui 21,24 noluit agrum accipere gratis, credendus est Nathinaeos adegisse, ut gratis ministrarent. Attribuit vestem fortasse eandem, atque vestem cantorum levitarum.

Non utique demonstrari potest David per omnia aequiparasse Nathinaeos levitis. Levitae non habebant fines proprios sibi attributos, sed sedes tantum et pascua : Nathinaei videntur suas nativas retinuisse *possessiones*, licet fortasse Gabaonitas adegerit David ut, pro collato

Nathinaeis beneficio, privilegia abdicarent sibi a Iosue concessa.

Vix fieri non potuit, ut aliquando a Iudaeis pluribus Nathinaei haberentur levitarum fere aequales : obscurabatur discrimen levitarum et non-levitarum. Non affirmo a Davide Nathinaeos per nefas aut inconsultis prophetis esse institutos, id enim affirmatum quomodo demonstrem non habeo. Neque perspicio, cur non, uti non-hebraeus legali adoptione fieri potuit hebraeus, ita legali item adoptione non-levita potuerit fieri levita, imo fortasse non-aaronita sacerdos. At illud probe intelligo, potuisse Iudaeos post Davidem, et imprimis Iudaeos post exsilium in dubium venire, utrum ista per fas an per nefas egerit David; potuisse eos, ubi in rationes inquisivere decretae divinitus ruinae Ierusalem, atque eas rationes omnes religiose decrevere emendare, illud persuasum habere, suos ante exsilium maiores ipsumque Davidem eo inter alia divinam incurrisse indignationem, quod non-levitas ad statum levitarum admiserint. Illud igitur 1 Esdr. 2,59 sqq.; 2 Esdr. 7,61 sqq., quasdam sacerdotum et levitarum post exsilium familias non valuisse suam originem demonstrare ideoque a sacris esse suspensas, non tam refero ad eas familias quae non valuerint privata sui iuris proferre documenta, quam potissimum ad stirpes quasdam, originis aut certe non-leviticae aut dubie leviticae, quas imprimis David ad sacrorum officiorum societatem admiserit. Utique textus laudati nequaquam sunt de Nathinaeis, de quorum statu post exsilium nulla videtur fuisse disceptatio : 1 Par. 9,2 et alibi omnino secernuntur a levitis, neque demonstrari possunt ante exsilium levitarum habiti esse per omnia aequales. Potuere vero Iudaei de exsilio reduces non imprudenter addubitare aliqua, quae vel ab ipso Davide sancita fuerant in re levitarum, atque aliqua revocare privilegia ab ipso concessa, ut ipsi rebantur, non satis ad mentem legis.

δ. Brevis conspectus historiae Davidis.

Inquirebamus CR p. 25 sq. in rationem temporum actorum Davidis. Laborem ib. inchoatum porro complemus, comparantes acta Davidis 2 Reg. cum eiusdem actis 1 Par. Comparationem instituimus plane generalem, texendae quippe chronologiae labor nimis incertus, necnisi una cum reliqua regum chronologia expediendus. Sequimur inter alias eam coniecturam, quae nobis ad 21,12 non videbatur improbabilis, Davidem *ante* expertum esse trium annorum famem (2 Reg. 21) et rebellionem Absalomis (trium mensium?), quam selegerit sibi trium dierum pestem in poenam ambitionis.

David totius Israelis rex renuntiatur 11,1 sqq.
Expugnatur Ierusalem 11,4 sqq.
Triennio saevit fames ob iniurias a Saul Gabaonitis illatas (?) 2 Reg. 21.
Transfertur arca de Cariathiarim in domum Obededom 1 Par. 13.

Aedificat David palatium, ac postea novum tabernaculum 14,1; 15,1.
Levitas colligit 15,4.
Feliciter dimicat cum Philisthaeis 14,8-18 (fortasse etiam 2 Reg. 21,15-17).
Transfert arcam de domo Obededom in domum suam; instituit choros Sione, et aliquos suos choros mittit Gabaonem tamquam initium quoddam reformandorum ib. chororum 15 sq.
Inito consilio aedificandi templi, dimittit consilium instituendi Sione cultus solemnioris; aggreditur reformationem chororum gabaonensium, translatis etiam Gabaonem suis quos Sione habebat choris.
Feliciter dimicat contra Gethaeos 20,4-7, Ammonitas et Syros, aliosque 18,1-20,6; verum tempore belli ammonitici adulterium committit cum Bethsabee 2 Reg. 11.
Turbae in familia David obortae: Amnon et Thamar; Absalom; rebellio Sebae 2 Reg. 13-20.
Agit David bella, quae Iahvae non probantur (?), numerat populum; infligitur pestis, demonstratur aedificandi templi locus, simul monetur David templum aedificandum fore non a se, sed a Salomone filio; aedificat altare 1 Par. 21. Nascitur Salomon (?).

David summo studio praeparat, quae spectant aedificationem templi 22,2-4.
David complet chororum gabaonensium reformationem, accensitis Nathinaeis 25.
Coniuratio Adoniae: Salomon raptim renuntiatur rex 3 Reg. 1.
David Salomoni explicat opus aedificandi templi 1 Par. 22,5-16.
David indicit solemnem concionem, in qua idem opus explicat, Salomonem publice renuntiat regem, eumque iubet ungi secundo 22,17-23,2; 28 sq.

In his plura habes secundum coniecturas disposita. Tentamen ea sunt, e quo perspicias, qua fere ratione componendae sint inter se duae narrationes 2 Reg. et 1 Par.

Illud pro certo habeas, praeter ea quae libri sacri de Davide referunt, fuisse alia plura, quae antiquae historiae aut certe annales habebant, et quae libri sacri non narrant explicite, sed vestigiis produnt tantum magis minusve distinctis, produnt non tam de industria quam ideo tantum, quia cum reliqua sua narratione vestigia etiam illa e suis fontibus transsumunt.

Profecto religiosa populi cuiusdam cum suo clero reformatio est opus natura sua perarduum, quippe quod plurimorum afficiat commoda, ambitiones, emolumenta, praeiudicia, attingatque instituta usu sin minus legitimo, at diuturno firmata. Sacra Hebraeorum aggressus est David reformanda funditus: pronuntiabisne, illum hunc laborem expertum esse *facilem* ob id unum, quod difficultatum non meminerint scriptores sacri scribentes pro aedificatione legentium? Age, fue-

runtne faciles sacrarum rerum reformationes, quas effecere Iosias, Esdras? quas inter christianos effecere Gregorius VII, Concilium Tridentinum aliique? Ergone suppones gratuito, Hebraeos durae cervicis populum in reformatione illa sua subeunda dociliores se exhibuisse quam gentes reliquas omnes?

Concedat igitur interpres fieri potuisse, imo probabilius factum esse, ut David in sua reformatione efficienda plurimas expertus sit difficultates, habuerit populum minus morigerum, clerum tacite vel etiam aperte obnitentem; ut effecerit rem non unico, sed repetitis conatibus, quandoque conatus intermiserit, aliquid consiliorum revocaverit.

Considera, quae David efficere aggressus est. Novum instituit sanctuarium Sione; levitas ab anno 20° adegit ad sacra ministeria; Nathinaeos adhibuit; ministeria omnia accuratius circumscripsit; ut sua statuta religiose observarentur, exegit. Esto, prophetas ut plurimum habuerit sibi consentientes : sed neque regum eorum, qui post Davidem cum prophetis iunxere manus, facilis per omnia fuit labor. Habuit utique David clerum in duo veluti castra divisum, Gabaone et Sione. Habitus sit David a pluribus, tam e populo quam etiam e clero, veluti *schismaticus*; qui contra ipsum rebellavere (Absalom, Seba), imo professi sint se avitarum religionum suscipere defensionem. Quodsi eiusmodi aliqua reapse facta sunt, narrabantur ea utique in annalibus. Sed non videtur ipsis annalibus usus esse chronista, sed fontibus ex iisdem derivatis, qui, quod non historiam quaererent tradere completam, sed historiae narratione aedificare legentes, haec prudenter omiserant. Quodsi nihilominus adstruas, haec omnia chronistam in aliquo suo fonte explicata habuisse, non erat ipse ea narraturus suis aequalibus, quos actis Davidis ad amorem religionis inflammandos susceperat.

d. Levitae ianitores 1 Par. 26,1-19.

Arg. — Ianitores seu custodes armati constitutae sunt familiae 93 e Coritis (Caathitis) et Meraritis. Selemiae Coritae, cuius familiae 18, sorte credita est plaga orientalis; Zachariae filio eius plaga septentrionalis; Obededom item Coritae, cuius familiae 62, plaga australis cum promptuario, in quo coniicio fuisse portam muri interioris occidentalis; Hosae Meraritae cuius familiae 13, plaga occidentalis, ceteris magis munita, habens portam exteriorem cubiculatam (?) et ex ea viam munitam ascendentem ad alterum murum interiorem. Continuo excubabant levitae 20.

α. Elenchus principum ianitorum 1 Par. 26,1-11.

Patet, tradi ianitorum *principes*, cum summa omnium ianitorum 23,5 scribatur 4000. Erat Meselemia (v.1-3.9) Corita, Obededom (v. 4-8) Iduthunita (16,38), ergo Merarita, Hosa (v. 10 sq.) Merarita : ergo omnes Coritae et Meraritae (v. 19), omnes levitae.

Meselemia :	filii 7,	fratres 11,	filii et fratres 18;
Obededom :	filii 8,	fratres 54,	filii et fratres 62;
Hosa :	filii 4,	fratres 9,	filii et fratres 13;
seu :			
Coritae :	filii 7,	fratres 11,	filii et fratres 18;
Meraritae :	filii 12,	fratres 63,	filii et fratres 75.
Summa	19	74	93

« Fratres », i. e. proximi cognati : non affirmatur Iduthun, cuius filius Obededom, habuisse superstite Davide 62 filios et nepotes, licet v. 5 affirmet virum fuisse prolificum.

Cap. XXVI v. 1 « *Divisiones autem ianitorum* : — praefigitur ל, *quoad*, uti 24,1; 25,2-4. מחלקות, *vices* (cf. v. 19) : reapse, post enumeratas v. 1-11 familias, describuntur v. 12-18 vices.

« *De Coritis* », posteris Core Num. 16, « *Meselemia* » (v. 2,9; 9,21), — משלמיהו, Μοσελλεμια; sed idem v. 14 *Selemias*, שלמיהו, Σελεμιας, et 9,19 *Sellum*, שלום, Σελλουμ, — « *filius Core, de filiis Asaph* ». קרא alius quam קרח protoparens stirpis. Pro *Asaph*, אסף, secundum 9,19 corrige אביאסף, *Abiasaph*, vir certe diversus a cantore Asaph, qui fuit non Corita sed Gersomita (*Malv.*).

v. 2 « *Filii Meselemiae : Zacharias primus* » (v. 14; 9,21), « *Iadihel secundus, Zabadias tertius, Iathanael quartus* », v. 3 « *Aelam quintus, Iohanan sextus, Elioenai septimus* ».

Obededom v. 4 diversus ab Obededom cantore 15,18, sed idem atque ianitor 15,24. v. 4 « *Filii autem Obededom* : *Semeias primogenitus, Iozabad secundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus* », v. 5 « *Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus*; *quia benedixit illi Dominus* » (*Hebr. LXX Deus*). Filiorum numerus *septenario* (v. 3) maior signum erat specialis divini favoris : sed non inde sequitur (*Mar.*), hunc levitam Obededom eundem esse atque Obededom Gethaeum, cui etiam benedixit Deus ob receptam apud se arcam.

Meselemiae v. 2 sq. et Hosae v. 10 sq. soli recensentur *filii*, non adscripta speciali aliqua *laude*. Aliter Obededom : post enumeratos v. 4 sq. *filios*, transitur v. 6-8 ad *nepotes*, imo ad *pronepotes* ex primogenito ortos, adscripta speciali *laude*. Auctor documenti post Davidem scribens, et fortasse ipse Obededomita, stirpis laudibus indulget; non af-

firmat viros v. 6-8 natos fuisse, imo laude fortitudinis floruisse, quo tempore David ianitorum vices distribuebat.

v. 6 « *Semei autem filio eius* », quem v. 4 Vulg. scribebat Semeias, « *nati sunt filii, praefecti familiarum suarum* ». *LXX R* : τοῦ πρωτοτόκου 'Ρωσαι. 'Ρ revocans ad dittographiam suggero lectionem הבכיר חסה, *primogenitus. Hosa* (cf. v. 10) : sed quomodo haec lectio utique falsa irrepserit in locum vocis הממשלים, explicare haud valeo. Cuius vocis unica h. l. se offert significatio ea, quam ממשלת habet 2 Par. 32,9, ut sit collectivum exprimens *militiam* seu *exercitum*. Sc. ianitores erant excubitores armati, in suas distincti cohortes suosque cohortum habentes duces. Igitur filii Semeiae, *patroecia* Semeitarum, erant *militantes*, erant custodes armati, atque ad id officium erant egregie apti : « *erant enim viri fortissimi* », *Hebr.* : *gigantes robore* seu *Gibborim*. Haec etiam erat pars « benedictionis » Obededom avi. v. 7 « *Filii ergo Semeiae Othni et Raphael et Obed, Elzabad fratres eius viri fortissimi* » : — ubi *LXX R fratres eius* corrumpunt in aliud nomen proprium 'Αχιούδ. Sed *cuiusnam* fratres? *LXX* voci praefigunt copulam : sed neque ea necessario est recipienda. Post laudem Semeitarum v. 7, scribitur v. 8 sine copulis : *filii eius.... fratres eius*. Traduntur ipsius Semei primum filii, postea fratres, i. e. fratrum filii, nam fratres habes v. 4 sq. aliis plane nominibus vocatos. Enumerantur vero fratrum filii non omnes, sed qui rursum floruere fortitudinis laude. Sequuntur nomina, ubi cum *Hebr. LXX* deleas *quoque* : « *Eliu* [*quoque*] *et Samachias* » ; *LXX* vero tertium nomen habent 'Ισβαχαμ, 'Ισβακωμ, *Isbacham*, ergo filios et fratres omnino septem.

v. 8 « *Omnes hi* », viri v. 4-7, « *de filiis Obededom; ipsi et filii et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom* ». *Hebr.* : איש חיל בכח, *vir roboris in virtute*. Pro quo singulari *LXX* : עשים בכח, *agentes fortiter*. *LXX L* : *fortes robore, agentes fortiter*. Cum durior sit singularis איש, neque satis appareat, quo *Hebr.* referat vocem בכח, fortasse praeferenda lectio *LXX R* : *agentes fortiter in ministerio* ianitorum seu custodum armatorum. Tota stirps Obededom laude fortitudinis floruit.

Porro adverte, 16,38 pro Obededom et Hosa iunctim haberi *summam* 68, h. l. v. 8. 11 summam 62 + 13 = 75. Pro Semei secundum LXX habes nomina 7, quae si a summa 75 deduxeris, manent rursum 68.

v. 2 sq. tradebantur nomina filiorum Meselemiae sine summa. Supplet summam v. 9 : « *Porro Meselemiae filii et fratres* [*eorum*] *robustissimi, decem et octo* ».

Transitur ad tertiam ianitorum familiam. v. 10 « *De Hosa* » (cf. v. 16; 16,38), « *autem,* [*i. e.*] *de filiis Merari : Semri princeps, non*

enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater eius in principem ». Erat igitur primogenitus Hosa mortuus (*Cai.*), ubi utique cogitari etiam potest de morte civili, non vero (*Est.*) de sola *ineptia* ad officium *ducis*, ob defectum virium : neque enim tum fas esset dicere *non erat primogenitus*. v. 11 « *Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus. Omnes* [*hi*] *filii et fratres Hosa tredecim* ». Dele *hi* : nam, qui modo enumerabantur ut *filii*, non hic vocantur *fratres*.

β. Distributio officiorum ianitorum 1 Par. 26,12-19.

v. 12 « *Hi* », quicunque v. 1-11 enumerabantur (*Tost.*), « *divisi sunt in ianitores, ut* [*semper*] *principes custodiarum, sicut et fratres eorum, ministrarent in domo Domini* ». שערים *Vulg.* punctavit *ianitores*, melius *Masor. LXX portas*. Ergo : *Istis*, quae vox etiam v. 8 designat viros *antea* recensitos, factae sunt *divisiones portarum*. Accuratius porro dativus *istis* circumscribitur : *ducibus Gibborim*, robustorum illorum virorum; divisio facta est proxime *ducibus*, mediate iis qui singulis ducibus suberant. Porro accuratius describitur, quid nomine *divisiones portarum* veniat, sc. *custodiae* : divisae illis fuere custodiae portarum. Quae sequuntur : *instar fratrum suorum, ad ministrandum in domo Iahve*, melius referas ad eos qui in hoc contextu *fratres* audiunt, sc. ianitores ducibus subordinatos (v. 8.11); minus bene ad levitas non ianitores. Verte : *Istis distributae sunt portae, ducibus Gibborim custodiae, instar fratrum suorum, pro ministerio eorum in domo Iahve.*

v. 13 « *Missae sunt ergo sortes* [*ex aequo*], *et parvis et magnis* » (v. ad 25.8), « *per familias* » seu patroecias « *suas, in* » seu *quoad* « *unamquamque portarum* ». Haecne supponunt sanctuarium etiam sioniticum habuisse quatuor portas, an statuta sunt intuitu templi aedificandi? Ceterum in descriptione templi salomonici nihil habetur de quatuor portis; unde tamen non sequitur templum illud illas quatuor portas non habuisse. v. 14 « *Cecidit ergo sors orientalis Selemiae* » seu Meselemiae (v. ad v. 1), viro omnium gravissimo; erat autem porta orientalis potissima, quippe quae ipsum templi ostium respiceret (*Tost.*). Uti dicebamus CJ[1] p. 319, non omnia sortibus definiebantur, sed ea in quibus diversi diversa sentirent; fortasse communi consensu concessum est Selemiae officium prae ceteris honorificum. — Ante *Zachariae* nomen cum *LXX Vulg.* supple ל : « *porro Zachariae filio eius, viro prudentissimo et erudito, sortito obtigit plaga septentrionalis* ». יועץ 1. Esdr. 7,28; 8,25 vocatur consiliarius regis : ergo h. l. *consiliarius prudens*. Sed *LXX consiliarius regis* (המלך pro בשכל). Vox etiam 27,32 est *titulus officii*. Cum vero viri, qui erant in *consilio* regio, non ornentur communi titulo יועץ, et cum יעץ proprie sonet *monere*, *docere*,

verto h. l. et 27,32 *admonitor*. Commissum fuerit Zachariae officium regem monendi de omnibus, quae custodiam sanctuarii spectarent. Hoc ei officium commissum fuerit, *postquam* designatus est *sortibus*.
v. 15 « *Obededom vero et filiis eius* » obtigit plaga seu porta « *ad austrum,* [*in qua parte*] *domus* [*erat seniorum*] *concilium* ». Appositione accuratius describitur, ubi fuerit porta australis : sed nonne eius portae situs abunde eo definitur, quod fuerit *australis*? *LXX* pro לבניו, *et filiis eius* : לנגד, *ex adverso* illius sc. domus. Rursum describitur id quod magis notum est, *auster*, per id quod minus notum est, *domum*. Aliter *Hebr.* : *Obededomo auster, et filiis eius domus* אספים. En tibi rationem, cur v. 4-8 filii et nepotes illi Obededom robustissimi tam accurate sint descripti : Obededomitis obtigit *duplex* custodia, portae et domus. Sed quid אספים? Quam vocem transcripsere *LXX R* : Ἐσεφιμ. *LXX L* : Ἀσαφ, ergo fere domus cantorum asaphitarum; sed hi non consuevere vocari Asaphim, sed filii Asaph. Vox secundum etymon dicit *adunationem*, sive rerum sive personarum. *Vulg.* secuta neohebraeos scripsit *domum côncilii*. Sed 2 Par. 25,24 docemur, in domo Obededom asservata esse aurum, argentum etc. : ergo *promptuarium*. Cf. 2 Esdr. 12,25. Hoc igitur promptuarium custodiebant ianitores filii Obededom; neque tamen e 2 Par. 25,24 illud consequitur, iam Davidis tempore ib. asservatum esse aurum et argentum.

Ad obscurum textum v. 16 sq. attendenda est eiusdem textus versio non plane eadem, quam deinceps describunt *LXX R*.

v. 16 « *Sephim et Hosa ad occidentem* ». Vel sola cum v. 14 sq. comparatio docet, uti portam orientalem Selemiae, septentrionalem Zachariae, australem Obededom, ita portam *occidentalem* committi *Hosae* custodiendam. At non soli, uti videtur, Hosae, sed item *Sephim*. Ut nominibus Selemiae, Zachariae, Obededom, Hosae intermixtum adscribatur nomen principis cuiusdam *Sephim*, quod v. 1-11 ignoretur et v. 16 nullo verbo explicetur, absurdum est : v. 1-11 scripta sunt eo fine, ut distributio officiorum v. 12-18 intelligatur. Ergo subest *error* (*Net.*).

LXX vocem לשפים vertunt εἰς δεύτερον, quod correspondet vocibus hebraeis לשנים, לשתים vel למשנה. v. 18 *LXX*, pro obscura et fortasse non hebraea voce פרבר scribunt διαδεχομένους bis, quod secundum 2 Par. 31,12 revoco ad hebraeum משנה; ideoque etiam initio v. 16 antefero lectionem למשנה. Pro voce משנה h. l. ad v. 18 demonstrabimus significationem *murus secundus*. Erat sc., ante completam a Salomone munitionem Mello, plaga occidentalis natura facilior accessu, ideoque validius munienda arte : providerat ibi David *muros duos*.

Porro, si expressionem *quoad murum secundum* trahas ad v. 16, erit fere cum *LXX* omittenda copula ante *Hosa* : *Quoad murum secundum* obtigit *Hosae plaga versus occidentem*. Constructio dura : tribus primis vocibus praefigitur ל sensu non plane eodem : ל limitativum, dativum, directivum. Non dicitur id, quod tamen contextus omnino exigit, cui cesserit tota plaga occidentalis, non vero eius sola pars attingens murum secundum. Nihil antea dicebatur de muro *primo*. Ergo expressionem trahas ad v. 15 : *domus promptuarii attinens muro secundo*. Doceris situm eius domus, rem nequaquam inutilem. Doceris fere aliquid etiam de situ muri secundi : duo muri erant sane unus interior, alius exterior. Promptuarium censendum est collocatum esse in loco *tuto*, ergo prope et intra murum *interiorem*.

Affirmatur porro Hosa obtinuisse plagam occidentalem « *iuxta portam* », seu verius *cum porta Sheleketh*. v. 14 sq. solae commemorabantur *plagae*, licet subintelligerentur portae; h. l. porta effertur, quae fuit munitissima et accuratiorem exigebat custodiam. *Sheleketh* erit cum *Cai*. accipiendum nomen proprium. *LXX* παστοφορίου (cf. 9,26; 23,28; 28,12), pro שלכת legebant לשכת, *porta cubiculorum*, habens supra ingressum cubicula efficaciori defensioni apta. Quod illi in altera sua versione scribunt παστοφορίου τρεῖς, לשכת שלשה, videtur שלשה non esse nisi deformata repetitio vocis לשכת.

Adscribitur porro « *quae ducit ad viam ascensionis* ». במסלה העולה, *in via aggerata ascendente* (2 Par. 9,11; cf. 3 Reg. 10,12). v. 18 omittitur עולה. *Porta* ipsa erat in *via* elatiore, aggerata, quae *ascendebat* sane de urbe ad sanctuarium; quae via, quod *aggerata* esset, facilius contra hostes defendebatur. Sanctuarii plaga occidentalis ipsas munitiones urbis externas attingebat. Via illa ad portam cubiculatam ascendebat, et ultra portam fortasse item ascendebat usque ad sanctuarium. « *Custodia contra custodiam* ». Erant ibi duae custodiae, quas facile compones cum duobus muris duabusque in duobus muris portis, et cum via aggerata decurrente a porta ad portam : utraque porta seu, quod idem est, uterque murus habebat custodiam.

Ergo totus v. 16 haec habet : *Et Hosae obtigit plaga occidentalis cum porta, quae est in via aggerata ascendente, ubi custodia duplex.*

Perspicis iam, cur Hosae non tribuatur universim *plaga occidentalis*, quae expressio includit plagae etiam portam, sicuti expressiones plaga orientalis, septentrionalis, australis includunt portam orientalem, septentrionalem, australem; sed tribuitur *plaga occidentalis cum porta una*. Sc. plaga occidentalis cum habuerit muros duos et portas duas, Meraritis credita est plaga occidentalis cum sola porta cubiculata, quae quod videatur fuisse munitissima, credenda est fuisse porta

muri *exterioris* (seu *primi*); poteris fortasse eandem rem exprimere ita, Meraritis creditas esse eius plagae munitiones exteriores, aliis interiores. At quibusnam commissa est porta occidentalis *interior*? Coniicio commissam esse *Obededomitis*. Coniicio *promptuarium* v. 15 esse adstructum vel superstructum portae illi interiori, atque ita portam ipsam commissam esse Obededomitis, qui tot erant numeris tantaeque fortitudinis. Erat illud profecto sapiens, ut aditus urbis ille, quem primum experturi crederentur inimici, non uni sed duabus stirpibus committeretur defendendus.

Vides, Davidem sapienter interpretatum esse legem Num. 1,47 etc., quae levitas eximebat a numeratione et militia. Merito censuit, ad ipsos pertinere defensionem sanctuarii. Atqui sanctuarii circuitus complectebatur validissimas munitiones urbis : has commisit levitis defendendas.

v. 17 « *Ad orientem [vero] levitae sex, et ad aquilonem quatuor per diem, atque ad meridiem [similiter] in die quatuor et, ubi erat concilium, bini et bini* ». Pro למזרח ה scribe למזרחה. Mirum est illud repetitum ליום, *per diem*. Erantne custodes portae *orientalis* item custodes *diurni*? et quid tandem de custodiis *nocturnis*, quae fere erant magis necessariae, quam custodiae diurnae? *LXX* pro לוים, *levitae*, mendose legebant vocem simillimam ליום, *in die*; quo eorum mendo docemur, etiam pro sequentibus duobus ליום legendum esse לוים : *Ad orientem*, seu in plaga orientali, *levitae sex, et ad aquilonem quatuor levitae, et ad austrum levitae quatuor, et in promptuario duo*. Sc. extrema sententia merito ignorant *LXX R* alterum שנים : custodes illi unius promptuarii non erant *bini*, sed *duo*. Fortasse, aliquibus apographis initio v. 18 legentibus לפרבר et aliis למשנה, apographo habenti לפדרב inseruit aliquis vocem למשנה deformatam in שנים, quae postea iungebatur extremo praecedenti versui.

v. 18 « *In cellulis [quoque ianitorum] ad occidentem quatuor in via, binique per cellulas* ». *Hebr.* : *In parbar ad occidentem quatuor pro via aggerata, et duo pro parbar*. Copulam si scribere placeat, scribe non post *quatuor* (*LXX*), sed post *aggerata* (*Vulg.*). Patet agi de plaga seu porta *occidentali* v. 16, imo de porta occidentali *exteriore*, cum coniiciamus *promptuarium* fuisse munitionem portae *interioris*. פרבר, vox fortasse recentior et persa. Pro qua *LXX* (v. s.) legebant, vel quam interpretati sunt משנה, quod nomen dicit rem *duplam, repetitam, secundam*. Iam recordare, plagam occidentalem fuisse natura hostibus magis accessam, efficacius muniendam : quid aliud erit h. l. משנה, nisi *murus secundus*? Comparato v. 16 perspicies etiam parbar hoc, quod nectitur viae aggeratae, quodammodo idem esse atque por-

tam Sheleketh, quae eidem viae nectitur : erit ergo parbar seu משנה, *murus secundus* seu *porta secunda*. Quae fuit *secunda* pro urbicolis, seu ab ipsis remotior quam altera, non pro hostibus urbem impetentibus. Potuit etiam dici *secunda*, quod *post* primam fuerit exstructa ea munitio : prima fuerit Iebusaeorum, alteram extra et infra illam exstruxerit David.

Excubabant ergo Selemitae 6 in porta orientali, et 4 in porta septentrionali, Obededomitae 4 in porta australi; custodes 8 in parte occidentali, quorum Obededomitae 2 in porta interiore, Meraritae 2 in porta exteriore, Meraritae 4 inter duas portas : custodes omnino 22.

Hi numeri non habent eandem proportionem atque summae stirpium : Selemitae 18, Obededomitae 62 vel 55, Meraritae 13. Sed neque necessario requirebatur aequalitas proportionis inter numerum stirpium et numerum custodum, qui excubabant ad portas. Neque constat custodias portarum fuisse unicum officium ianitorum. Ianitores omnes 23,5 fuere 4,000, quorum maior semper pars in suis viculis (9,22) morabantur, suis vicibus ad sanctuarium accedebant. Fingas eorum uti sacerdotum fuisse 24 vices : singulae vices habebant ianitores circiter 166. At ii etiam, qui una erant apud sanctuarium, non iidem semper excubabant : ex 166 viris conficiuntur circiter 7 vices virorum vicenorum et binorum. Haec omnia per hypothesin dicimus, quo perspicias, numeros v. 17 sq. plane consonare cum summa 4,000.

Quaeres, quaenam v. 14-18 *portae* describantur. Porta Sheleketh, si istud sit nomen proprium, secus non legitur. Facile concedes sanctuarium, quod David exstruxit Sione in domo sua, i. e. in possessione sua, habuisse 4 aditus respicientes 4 coeli plagas, et in illis 4 aditibus 4 portas. Habuitne sanctuarium illud portam illam munitissimam occidentalem, quae simul urbis esset porta? Coepitne David illico post visionem cap. 21 munitionibus includere ipsum montem Moria, templi ib. aedificatione nondum inchoata? Id a vero minime absonum, potuit David, ubi semel magnis aedificationibus adiecit animum, ea in re aemulari vastas regum Aegypti et Assyriae molitiones. Impune etiam concedes, sacrum narratorem, dum sacros custodes a Davide distributos refert, loca et vices describere talia, qualia prope templum aliquando fuere. Nihil est cur in ea re, si ita egit, reprehendatur narrator, qui non narrationem nude historicam texere in animo habet, sed quae conferret ad utilitatem et aedificationem legentium.

Concluditur pericope v. 19 : « *Hae sunt divisiones ianitorum filiorum Core et Merari* ».

e. Levitae scribae et iudices 1 Par. 26,20-32.

Arg. — Explicatur iam ea, quae 23,4 secundo loco recensebatur, classis levitarum scribarum et iudicum 6,000. Levitae illi omnes erant scribae (cf. v. 29), sed non omnes erant iudices. Eam fuisse levitarum post ministros sacros classem nobilissimam, inferas cum e gravibus officiis illis concreditis, tum exinde, quod in eam David nobilissimarum stirpium familias cooptaverit : primogenitas familias Gersomitarum, posteros Moysis ac tandem reliquorum ramorum Amramitarum familias : erant vero levitae amramitae sacerdotum item amramitarum fratres. Illis levitis commisit David custodiam *thesaurorum*; dixeris eos fuisse *ratiocinatores* rerum sacrarum omnium. *Iudices* scribuntur esse instituti pro *causis forensibus sanctuarii et regis*. Sunt distinguendi a iudicibus causarum civilium, qui ubique reperiebantur erantque plerique certe non-levitae. Thesauri distinguuntur *thesaurus domus Dei* seu sanctuarii Gabaonensis, et *thesaurus sanctificatorum*, collectus e bellorum praedis.

α. Levitae thesaurarii 1 Par. 26,20-28.

Pericope v. 20-32 eo differt a praecedentibus, quod patronymica formam habeant non v. g. « filii Iehiel », sed « Iehielita ».

Levitarum stirpes tres : Gersomitae, Caathitae, Meraritae; Meraritarum nulli erant inter thesaurarios. Gersomitas habes v. 21 sq. Caathitarum rami enumerantur v. 23 : Amramitae, Isaaritae, Hebronitae, Ozielitae; habes inter thesaurarios solos Amramitas posteros Moysis v. 24-28.

v. 20 « *Porro Achias erat super thesauros domus Dei et vasa sanctorum* ». *Hebr.* : *thesauros sanctificatorum*, quorum indoles explicatur v. 26 sqq. Sed initio versus ignorat *Vulg.* subiectum *levitae*, intuitu cuius pro אחיה omnino cum *LXX B* legendum est אחיהם : *et levitae fratres eorum*, sc. ianitorum v. 19, fratres quia tam hi quam illi erant levitae, constituti *erant super thesauros domus Dei et super thesauros sanctificatorum*. Non agitur de uno aliquo viro *Achia*, sed generali sententia inchoatur paragraphus de levitis scribis seu thesaurariis. Praepositus omnium thesaurorum habetur v. 24. Habentur utique duo thesauri diversi (*Cai.*). Habes porro 6,48 *domum Iahve*, quae habebat tabernaculum et altaria Moysis, et Sadoc pontificem (16,39), ideoque omnino erat sanctuarium in *Gabaon*. Habes 24,5 *principes Dei* et *principes sanctuarii*, quos suggerebamus esse principes familiarum sacerdotum in *Gabaon* et in *Sion*. Legitima conclusio est, *thesauros domus*

Dei seu *thesauros domus Iahve* (h. l. *LXX*, et v. 22 omnes) esse *thesauros sanctuarii in Gabaon*. Ne tamen inde inferas, *thesauros sanctificatorum* esse *thesauros sanctuarii in Sion* : aliud enim est *sanctuarium*, aliud *sanctificata*. V. ad v. 26 sqq.

Gersomitae v. 21 sq. recensentur primi, quia erant primogenita stirps levitarum. Quibus creditus est v. 22 thesaurus e duobus unus. Tamen praepositus utriusque thesauri non fuit Gersomita.

v. 21 « *Filii Ledan filii Gersonni : de Ledan principes familiarum Ledan* [*et*] *Gersonni, Iehieli* ». Ledan vel Leedan filium Gersom habes 23,7-9, Iehiel filium Ledan ib. v. 8. Sententia est perquam *pleonastica*, et fortasse duas vel tres varias lectiones in unum textum compingit. Unde etiam diversis modis construi potest, sensu manente eodem. Poteris vertere ita : *Filii Ledan, filii Gersom per Ledan, capita patroeciarum Ledan Gersomitae Iehielitae*; i. e. Ledanitarum h. l. soli considerandi veniunt Iehielitae, non Semeitae 23,9-11. v. 22 « *Filii Iehieli* », seu filii Iehielitae : « *Zathan* », qui 23,8 scribebatur Zethan, « *et Ioel. fratres eius, super thesauros domus Domini* », seu sanctuarii in Gabaon. Qui 23,8 dicebantur uti Iehiel filii Ledan, sc. mediate vel immediate geniti. *Hebr.* : *frater eius*. *LXX R : fratres*. *LXX L* uti *Vulg.* : *fratres eius*. Certe in eodem inciso nequeunt Zathan et Ioel vocari Iahielis et *filii* et *fratres*. Corrige similiter atque v. 20 et ad instar 25,9-31 : *et fratres eorum*.

A Gersomitis transitur ad Caathitas, quorum primum recensentur rami quatuor. v. 23 « *Amramitis* [*et*] *Isaaritis* [*et*] *Hebronitis* [*et*] *Ozihelitis* ». ל verte quoad. Cur 4 rami Caathitarum recensentur, cum uni ex illis Amramitae v. 24-28 inter thesaurarios sint recepti? Respondeo, Isaaritas et Hebronitas haberi v. 29 sqq. Soli Ozielitae v. 20-32 non comparent.

v. 24 « *Subael* [*autem*] », qui 23,16 principibus accensetur, « *filius Gersom filii Moysis, praefectus thesauri* », seu *thesaurorum*, utriusque thesauri. v. 25 « *Frater quoque eius Eliezer* », — *Hebr.* : *et fratres eius de Eliezer*, filii quippe Eliezer erant latiore sensu fratres Subael. Re idem habent *LXX : et fratri eius Eliezer* — « *cuius filius Rahabia, et huius filius Isaias, et huius filius Ioram, huius quoque filius Zechri, et huius filius Selemith* », diversus ab homonymo Isaarita 23.18; 24,22 et a Gersomita 23,9. Haec scribuntur, non ut completa a Moyse *genealogia* Selemith texatur, sed ut definiatur, per quas *familias* Selemita a Moyse originem duxerit.

v. 26 « *Ipse Selemith et fratres eius super thesauros sanctorum* », seu verius *sanctificatorum*. Etenim h. l. nominis ratio explicatur, ut fuerint sanctificata Deo post partas victorias. Explicatur porro qualis ille

thesaurus fuerit : « *quae sanctificavit David rex et principes familiarum et tribuni* », i. e. chiliarchae, « *et centuriones et* » reliqui « *duces exercitus* » v. 27 « *de bellis et manubiis* » seu spoliis « *proeliorum, quae consecraverant ad instaurationem* [*et suppellectilem*] *templi Domini* ». Huius thesauri initium videtur factum esse Num. 31,50, quando post victoriam feliciter partam *duces*, quidquid auri et argenti de praeda ipsis obvenerat, gratuito dono sanctificavere Domino. Ipsi id certe non contribuere pro aedificatione *templi*; neque h. l. *domus Iahve* necessario est templum a Salomone aliquando aedificandum, sed *sanctuarium*; neque חזק est *aedificare*, sed *confirmare*, etiam *reparare* (4 Reg. 12,8 sq. 13 sq.); quare minus feliciter h. l. *LXX* rem explicant *ne differretur aedificatio domus Dei*.

Post partas victorias consecrabantur praedae Deo ea generali mente, ut in bonum sanctuarii aliquando expenderentur. Prudenter pro hisce praedis constituebatur thesaurus a thesauro domus Dei Gabaone distinctus : lubentius viri fortes sua ad eum thesaurum erant contributuri, si ea cum aliorum virorum fortium donariis in unum distinctum cogerentur thesaurum, neque miscerentur donariis plebis.

Credendi sunt etiam aevo Iosue et iudicum consuevisse duces post partam victoriam gratuita dona offerre Iahve (cf. Iud. 8,24 sqq.) : horum v. 26 non fit mentio, fortasse quod capta a Philisthaeis arca ille thesaurus direptus fuerit vel deperditus. v. 28 « *Haec autem universa* » — *Hebr.* : *et omnia quae* praeter ea, quae David v. 26 sanctificaverat — « *sanctificavit Samuel videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Ioab filius Saruiae. Omnes* [*qui*] *sanctificaverant ea per manum Selemith et fratrum eius* ». Quicunque aliquid praedae donabat Iahve, id tradebat manibus *Selemith*. Unde colligas, Selemith h. l. scribi ut nomen non individui sed familiae, penes familiam id munus *haereditarium* fuisse. Quoad dona, quae recensentur, commemorantur primum ea, quae post partas victorias ei thesauro attribuit *Samuel*, dein *Saul* rex ceteroqui nequaquam pietate insignis, *Abner* propugnator causae Isboseth regis, quorum tempore ille thesaurus certe non erat in *Ierusalem*; tandem *Ioab*. Potissimum vero in illo thesauro erant plurima illa, quae plurium bellorum praedam consecraverat *David* 18,11; 2 Reg. 8,11, quaecque post exstructum templum omnia Salomon 2 Par. 5,1 transtulit in thesauros domus Iahve i. e. templi. Horum nihil. videtur esse impensum aedificationi templi : cf. *Calm.* et ad 3 Reg. 7,51. Etiam reges Salomone posteriores eum thesaurum auxere donariis suis 4 Reg. 12, 18; 2 Par. 24,7.

Ergo *thesaurus sanctificatorum* erat Davide longe antiquior. Eum non esse collectum intuitu templi aedificandi, patet cum per se (Saul), tum exinde quod David et Salomon eum aedificando templo non impenderint, qui non fuerant neglecturi donatorum (Samuelis) intentionem. Ille thesaurus tempore Samuelis certe non erat in Ierusalem, fuerit Gabaone. Licetne supponere, Davidem eum transtulisse in arcem suam munitissimam Sionem?

Vides iam, *thesaurum sanctificatorum* nequaquam idem sonare atque *thesaurum sanctuarii* sionensis. Carebatne thesauro hoc sanctuarium? Eius thesaurus fuit potissimum inexhausta liberalitas Davidis et Salomonis, qui voluere templum aedificare et exornare expensis suis. Ad eum thesaurum spectabant ea, quae pro templo aedificando coegit David 22,2-4. 14 et contribuere principes 29,7 sq. Completa templi aedificatione *thesaurus domus Dei*, qui fuerat Gabaone, factus est thesaurus templi.

β. Levitae iudices 1 Par. 26,29-32.

v. 29 « *Isaaritis* [*vero praeerat*] » — verte : *quoad Isaaritas* et cf. v. 23 — « *Chonenias* » (15,22) « *et filii eius ad opera forinsecus super Israel, ad docendum et iudicandum* ». Verte : *in scribas et iudices*. Comparatio cum v. 30 efficit, hic uti aliis locis multis plane idem esse *filios* et *fratres*. Nemo *iudex*, qui non etiam *scriba* : oportebat hos iudices esse homines cultiores. Erat porro horum virorum iudiciale officium opus *forinsecus*, quam vocem non interpretor « extra Ierusalem » (*Cai.*), sed extra sanctuarium (*Tost.*, *Sa*, *Men.*). Cum v. 30 sq. Hebronitarum alii procuraverint cisiordanicam, alii transiordanicam, coniicio Isaaritas hosce constitutos esse pro universo Israele, comparatione levitarum v. 30 sqq. fuisse veluti tribunal aliquod altius. Constituebantur vero v. 29 sq. pro solo *Israele*, non pro *Iuda*.

v. 30 « [*Porro de*] *Hebronitis* » — verte : *quoad Hebronitas* — « *Hasabias* », qui non est necessario idem atque homonymus 27,17, « *et fratres eius viri fortissimi mille septingenti praeerant Israeli trans Iordanem contra occidentem, in cunctis operibus Domini et in ministerium regis* ». Pro *praeerant* verte : *super inspectionem*, ἐπὶ τῆς ἐπισκέψεως, habebant officium פקיד, « inspectoris », curatoris (cf. *Van H.* p. 158 sqq.) super *cisiordanicam*, quae h. l. expressione perantiqua vocatur *transiordanica occidentalis* (cf. CJ[1] p. 91. 151); habebant vero *in rebus tam sacris quam civilibus*. Etiam sacerdotes ceterique levitae subiiciebantur inspectioni per levitam quidem exercitae, sed a rege profectae.

v. 31 « *Hebronitarum autem princeps fuit Ieria secundum familias*

et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Iazer Galaad », urbe Ios. 13,25 sita in extremis finibus Ammonitidis, fere ubi nunc Khirbet Ṣâr aut Khirbet Ṣîr (CJ[1] p. 313), — v. 32 « *fratresque eius robustioris aetatis* », i. e. uti v. 30 *viri robusti* (*Vulg. fortissimi*), « *duo millia septingenti principes familiarum. Praeposuit autem eos David rex* » — verte uti v. 30 : *fecit inspectores* — « *Rubenitis et Gaditis et dimidiae tribui Manasse in omne ministerium Dei et regis* ». Inspectores fecit rerum sacrarum et civilium in *transiordanica*. 23,19 scribitur *Ieriau* seu *Ieria* Hebronitarum princeps, ergo inter suos honoratior quam Hasabias v. 30, qui princeps non scribitur : tamen huic cisordanica, illi transiordanica attribuitur; mittitur Caathita honoratior in eam partem, quam nulli levitae caathitae incolebant.

Plane eandem constructionem deprehendis v. 30 et v. 31 :

v. 30 *Quoad Hebronitas Hasabias et fratres eius viri robusti* 1700,	v. 31 *Quoad Hebronitas Ieria princeps eorum et fratres eius viri robusti* 2700.
inspectores Israelis pro transiordanica occidentali etc.	*inspectores constituti a Davide rege super Ruben etc.*

Sed in sententiam v. 31 immissa deprehenditur sententia altera :

Secundum familiarum patroecias, anno 40° regni Davidis requisiti sunt et reperti sunt inter eos viri robusti in Iazer Galaad (2,700).

Sententia haec praeter contextum inserta censenda est esse *glossa*, quam nequaquam cogimur tribuere auctori inspirato. Glossator adscribebat *summam* aliquam, quae nunc post *Iazer Galaad* non legitur. Conatur explicare *scrupulum*, quomodo reperta sit ea summa, cum tamen 21,6 levitae affirmentur non esse *numerati* : quare non scribit נִפְקְדוּ, *numerati sunt*, sed נִדְרְשׁוּ, *requisiti sunt*. Respiciens ad 23,1 iudicabat glossator haec omnia acta esse *extrema vita Davidis*, quare adscripsit *annum 40*[um]. Nota, Iosue 21,37 Iazer tribui non Hebronitis sed Meraritis.

Vides, glossam esse dubiae fidei, neque quidquam certi nos docere in re historica vel chronologica. Nequaquam ex ea perspicimus, quorum et quando facta sit ea numeratio, cum *annus 40*[us] potuerit profectus esse a coniectura glossatoris, et *Hebronitae* et *Iazer* non satis consonent inter se. Glossam adscripsit glossator maxime propter *summam*, quam fere conieceris fuisse *maiorem* ea, quam primitus habebat v. 31 : glossatores quippe delectantur summis maioribus.

Si fuere iudices hebronitae 1,700 + 2,700 = 4,400, manent pro Isaaritis et thesaurariis 6,000 — 4,400 = 1,600, summa non necessario re-

pudianda, sed comparatione summarum 1,700 et 2,700 exigua. Neque perspicitur, cur numerum levitarum iudicum oportuerit esse tanto maiorem in transiordanica (2,700) quam in cisiordanica (1,700), etiamsi ab hac, quod fieri oportet, eximas Iuda. Si fingas, pro transiordanica totidem atque pro cisiordanica deputatos esse iudices levitas, sc. 1700, manebunt Isaaritae et thesaurarii 2,600 : divisio aequalior. Verum debuitne divisio esse aequalis?

Summam 2,700 esse glossae partem, infero etiam ex adscriptis eidem verbis *capita patroeciarum* : iudices v. 31 certe non fuere omnes patroeciarum capita. Unde coniicio verba, quae glossator imprudens adscripsit, primitus fuisse scripta de numeratione aliqua *populi* (Gaditarum?) in Iazer habita, non de numeratione *iudicum*.

2. *Officia regia* 1 *Par.* 27.

Arg. — Sicut a mentione 23,2 facta convocatorum principum, sacerdotum et levitarum occasionem sumpsit auctor describendarum classium *sacerdotum* et *levitarum*, ita indidem sumit occasionem describendorum *principum*. Et primum quidem recenset 12 turmas exercitus, quarum singulae habebant 24,000 bellatores atque uno quotannis mense apud regem versabantur. Subnectit elenchum principum, qui singularum tribuum res administrabant. Accedunt praepositi thesaurorum, agrorum et gregum. Agmen claudit elenchus summorum aulae ministrorum, affinis elenchi 18,15-17 (cum 2 Reg. 20,23-26 cf. ib. 8,16-18).

a. Duces turmarum exercitus 1 Par. 27,1-15.

Cap. XXVII v. 1 « *Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni et centuriones et praefecti, qui ministrabant regi iuxta turmas suas, ingredientes et egredientes per singulos menses in anno* ».

Post Levitas 23,3-26,32 acturus est auctor de Israel, i. e. de nonlevitis seu de *laicis*, et de omni quidem *Israel*, non de Israel solum quatenus illud distinguitur a Iuda : cf. 23,2; 28,1; 27,18. Non intendit auctor nobis tradere elenchos omnium, quae respiciunt Israel : primum enumerat summatim eas classes, quarum elenchos *non* tradit.

Ergo primum : *Israel secundum numerum suum*, quae sane respiciunt generalem aliquem *censum populi*, de quo v. v. 23 sq. Eiusmodi census non traditur.

Deinde : *principes patroeciarum*, qui item non describuntur, nam v. 16-22 est elenchus principum *tribuum*.

Porro : *chiliarchae, centuriones et scribae eorum*. Agitur de *scribis* exercitui attributis Deut. 20,5-8 sqq.; ergo tandem de omnibus ducibus exercitus et ministris, praeter summos duces v. 2-15. Turmarum 12 erant chiliarchae 288, centuriones 2,880, quorum elenchus non traditur. Tamen viri illi universim describuntur : *qui serviebant regi in omni re turmarum*, in turmis quoad omnia, *turmae ingredientis et turmae exeuntis, singulis mensibus per omnes menses anni*. Initio cuiusque mensis una turma *ingrediebatur* et per mensem apud regem manebat; dein *egrediebatur* atque ad sua revertebatur, alia turma ingrediente et sequente mense versante cum rege. « *Viginti quatuor millibus singuli praeerant* ». *Hebr.* : *turma una 24,000*. Non *singuli*, quod referendum esset ad chiliarchas etc. His devectus est auctor ad id, quod nobis tradere in animo habet, *elenchum turmarum exercitus*.

v. 2 « *Primae turmae in primo mense Iesboam* » (11,11; 2 Reg. 23,8) « *praeerat, filius Zabdiel, et cum eo viginti quatuor millia* ». v. 3 « *De filiis Phares princeps cunctorum principum in exercitu, mense primo* ». Stirpis Phares 2,4 sq. erat ipse etiam David. Ei stirpi concessus est honor, ut ex ea desumeretur dux turmae *primi mensis*; neque enim otiose hae duae voces repetuntur. Erat vero Iesboam *caput cunctorum principum exercituum*, i. e. 12 turmarum quae h. l. describuntur. Novimus super hos omnes constitutos fuisse Ioab et Abisai, nulli turmae adscriptos. Crediderim h. l. ראש, *caput*, esse *titulum*, uti v. 4 נגיד, *princeps*, quod secundum etymon dicit annuntiatorem, oratorem, summi ducis os.

v. 4 « *Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites* », seu verius *Eliezer filius Dodai Ahohites* (11,12; 2 Reg. 23,9). « *Et post se alter* [*nomine*] *Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium* ». *Macelloth* nomen proprium 8,31 sq.; 9,37 sq. ומחלקתו ומקלות הנגיד, *et turma eius et Macelloth princeps*. Cf. v. 6 : « et turma eius Amizabad filius eius », i. e. pro Banaia turmam ducebat Amizabad Banaiae filius. Eundem sensum nostra expressio habeat oportet. Dittographia orta est copula ante מקלות : *et turma eius Macelloth princeps*, quam vocem articulum habentem *titulum* interpretor (v. s.); non affirmatur Macelloth fuisse filius Eliezer.

v. 5 « *Dux quoque turmae tertiae in mense tertio erat Banaias filius Ioiadae, sacerdos* », *caput*. Vocatur hic *dux*, שר (cf. v. 8), uti v. 3 duces hi omnes; non habet specialem *titulum*, sed *epitheton ornans sacerdos-dux*; ita vertendum, cum ראש careat articulo. De Banaia v. 11,22 sqq.; 2 Reg. 23,20 sqq. « *Et in divisione sua viginti quatuor millia* ». v. 6 « *Ipse est Banaias fortissimus inter triginta et super triginta* ». Verte : *ipse est Banaias, fortis inter Shalishim et praefectus*

Shalishim. « *Praeerat autem turmae ipsius Amizabad filius eius* ». Ita recte explicat *Vulg*. Hebraeum : *et turma eius Amizadab filius eius*. Sed fortasse Vulg. uti *LXX* in suo hebraeo legebant : *et super* (ועל) *turmam eius Amizadab filius eius*. Banaias erat etiam **18,17** dux super Cerethi et Phelethi, constanter circa regem versabatur, turmae suae curam filio committebat.

v. 7 « *Quartus, mense quarto, Asael frater Ioab, et Zabadias filius eius post eum; et in turma eius viginti quatuor millia* ». Occisus est ab Abner Asael (2 Reg. 2,18 sqq.), antequam David potitus est Ierusalem, habuitque tam numerosum exercitum. Fortasse praefectura functus est Asael, quando turmae erant minus numerosae. Viri optime de se meriti noluit David merita carere praemio, turmae viri nomen imposuit, ducem constituit viri filium. Cf. 11,26; 2 Reg. 23,24. Sed duodecim ducibus non accensetur *Abisai*, alter Ioabi frater, et ipse viris fortissimis adumeratus 11,20 sq.; 2 Reg. 23,18 sq., qui superstes fuit tempore turbarum Absalom et quandoque totum ducebat exercitum ; initio regni Salomonis non commemoratur, credendus est tum e vivis cessisse. Is aut semper ad manus erat Ioab summo duci (i. v. 34), aut ei non est credita turma, ne nimium augeretur potestas domus Ioab, aut mortuus erat, quo tempore exercitus accuratius circumscribebatur.

v. 8 « *Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Iezerites* ». Hic שמהות, 11, 25 שמה, 2 Reg. 23,27 שמות. Σαμαώθ. De eodem comparando cum Semma de Harodi (2 Reg. 23,25; cf. 1 Par. 11,27) et cum Semma de Arari (2 Reg. 23,11; deest 1 Par. 11). v. CR p. 438 sq. 443. Pro qua urbe suggerunt Aroer 1 Reg. 30,28 prope Bersabee. Tamen illuc non pertingebant fines posterorum Zara filii Iuda : יזרח = זרחי v. 11.13, ergo *Zaraitae*. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 9 « *Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites* », de *Thecua* Iudaeae, ad meridiem Bethlehem sita : v. additamentum LXX post Ios. 15,59 (CJ[1] p. 362). Cf. 11,28; 2 Reg. 23,26. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 10 « *Septimus, mense septimo, Helles Phallonites, de filiis Ephraim* ». Cf. 11,27; 2 Reg. 23,26. Pro הפלוני 2 Reg. 23,26 הפלטי. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 11 « *Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites, de stirpe Zarahi* », i. e. *Zaraita* iudaeus : cf. v. 8. Cf. 11,29; 2 Reg. 23,27. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 12 « *Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites, de filiis Iemini* », i. e. de Anathoth in *Beniamin*. Cf. 11,28; 2 Reg. 23,27. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 13 « *Decimus, mense decimo, Marai [et ipse] Netophathites, de stirpe Zarahi* » seu *Zara* (v. 8.11). Cf. 11,30; 2 Reg. 23,28. 2 Reg. 23,28 sq., ubi habentur Netophathitae duo, secundo *Vulg.* adscribit *et ipse* : hic primo, alter nonnisi v. 15 legitur. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 14 « *Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites, de filiis Ephraim* ». Cf. 11,31; 2 Reg. 23,30. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

v. 15. « *Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel* » seu Othonielis Ios. 15,17, ergo Iudaeus. Cf. 11,30; 2 Reg. 23,29. « *Et in turma eius viginti quatuor millia* ».

Igitur *Ioab* ducum ducem habes v. 34. De *Abisai* diximus ad v. 7. Illi 12 duces *omnes* habentur cap. 11 et 2 Reg. 23 in elencho eorum virorum, qui (11,10) Davidem regem Iuda iuverunt ut fieret rex Israel. Non habentur h. l. eodem plane ordine atque in illo elencho, sed ordine hoc : 1,2,3,4,5,7,6,9,8,10,12,11. Neque iidem sunt atque 12 *primi* heroes elenchi. Deest elenchi 3us Semma filius Age 3 Reg. 23,11, vir famosus, cuius nomen excidit 1 Par. 11,13. Deest elenchi 7us Elchanan Bethlehemita. Deest 9us Elica, qui excidit 1 Par. 11. Deest 13us Selmon vel Ilai. Deest 16us Ethai Beniaminita. Duces fuere sane creati viri fortissimi simul et fidissimi eorum, qui superstites erant illorum heroum.

Eorum 12 Iudaei sunt 1 Iesbaam, 4 Asael, 5 Samaoth, 6 Hira, 8 Sobochai, 10 Marai, 12 Holdai. 3 Banaias sacerdos de Cabseel Iudaeae (11,22) merito Iudaeis accensetur. E contra 7 Helles et 11 Banaias adscriptum habent de filiis Ephraim, et 9 Abiezer de filiis Beniamin. Ex eo, quod eiusmodi nihil adscriptum habeat 2 Eleazar, coniicio fuisse etiam ipsum Iudaeum. Erant igitur 9 *Iudaei*, 2 *Ephraimitae*, 1 *Beniaminita*: *summa rerum utique apud Iudaeos erat.* Nonnisi 7° anni mense primatum obtinebat non-iudaeus aliquis, sc. Ephraimita, quem sequebantur Iudaeus, Beniaminita, Iudaeus, Ephraimita, Iudaeus :

J J J J J J E J B J E J

Nunquam non-iudaeus unus primatum obtinebat immediate post non-iudaeum alterum; qui potuissent contra regem coniurare, et 48,000 bellatores in aciem producere, quando initio alicuius mensis duae turmae sibi succedebant.

Hi duces universi, uti dicebamus, reperiuntur in elencho eorum, qui Davidem iuvere in adipiscendo regno Israel; non reperiuntur in elenchis cap. 12 eorum, qui se Davidi iunxerant, quando is erat profugus a Saul. Ceterum neque constat, nullos virorum cap. 11 se iunxisse

David profugo : potuit elenchus cap. 12 supprimere nomina ea, quae cap. 11 iam fuerant recitata.

Pericopen hanc pronuntiat *Kittel* insigne esse exemplum, quomodo posterioris aevi traditio facta antiqua magnificaverit; nomina v. 2-15 esse antiqua et genuina, sed singulos heroas conspici transformatos in duces 24,000 virorum; quam longe haec a rerum veritate absint, eo vel uno demonstrari, quod Asael, qui ante annos circiter 30 diem supremum obiisset, unius extremo Davidis regno turmae dux scribatur; quem errorem ubi adverterit ipse scriptor, eum nomen illud ne delevisse quidem, sed adscripto filii Asaelis nomine rem composuisse.

Conclusio latius patet quam praemissae. Ipse elenchus docet, non eum semper virum, cuius nomine turma appellabatur, turmam duxisse. Pro Dodai turmam agebat Macelloth, nescimus quam ob causam; pro Banaia regi maxime necessario filius; pro Asaele dudum defuncto item filius. An reliqui 9 duces omnes fuerint extremo Davidis regno superstites, suasque ipsi duxerint turmas, ignoramus. Sed conferendi hi duces cum *Shalishim* cap. 11, quo nomine p. 218 monebamus designari non cohortem aliquam, sed gradum militarem seu titulum honorificum collatum antiquis illis heroibus, qui Davidem iuvarant ut regno potiretur. Shalishim illi extremo Davidis regno eo nomine iam non commemorantur. Noster elenchus ostendit, illis Shalishim, qui superstites essent et ad gubernandum apti, aliquando commissas esse turmarum procurationes ita, ut turmae eorum nominibus vocarentur, etiam postquam illi e vivis cessissent. Turmas illas 12, quarum singulae habebant 24,000 virorum, utique non instituit David nisi regno ad finem vergente. Sed eius instituti humiliora exordia potuere esse longe antiquiora. Potuit a primis lecta aliqua manus nomine Asaelis gloriose defuncti appellari atque postmodum, servato eodem nomine, excrescere in turmam. Non demonstravit *Kittel* fictitias esse illas 24,000 virorum turmas.

b. Principes tribuum 1 Par. 27,16-24.

Auctor v. 1-15 describebat turmas exercitus, quae singulis mensibus penes regem erant; v. 25-34 enumerat summos regis ministros : inter haec v. 16-24 intercedit elenchus principum tribuum, civilium non militarium, qui uti videtur non in aula sed inter suos consuevere residere. Nexum explicat v. 23 sq. Turmarum illarum institutio utique sapit aliquam populi numerationem : a populi numeratione cap. 21 destiterat David cum ob tribuum indignationem tum ob pestem divinitus immissam. Etiam postea (h. l. v. 23) non instituit numerationem eorum, qui erant viginti annos nati et infra : ergo aliquo modo

numeratos habuit viros plus quam viginti annos natos, eosdemque gerendis armis idoneos. Quomodo id effecit? Abdicavit consilium omnium numerandorum plene et directe, quod argumentum plenae sub regem tribuum subactionis aegrius ferebant tribus, imprimis Beniamin et Levi : sed illud effecit, ut viros omnes plus viginti annos natos quotannis per unum mensem haberet apud se, atque ita eosdem haberet numeratos. Instituit igitur turmas illas 12. Constituit primum duces supremos, deinde alios fortasse duces secundarios, potissimum ex heroibus cap 12 enumeratis, eis distribuit eos quos habebat milites, formavit « les cadres ». Iussit porro, ut statutis temporibus sibi submitterentur viri armati ad explendos singulos deinceps « cadres ». Non est necessario supponendum, illos « cadres » fuisse constanter completos, multo minus singulas turmas e singulis tribubus fuisse collectas; aliquae tribus vix pares erant 24,000 bellatoribus submittendis, aliae fortasse facile etiam plures submittebant. Onera sine dubio sapienter distribuit David. Viros vero conquirere et ad regem mittere, *principum* tribuum fuit : qui si rem segniter agerent, regio favore excidebant. Ob eam rationem h. l. principum elenchus traditur; ob eandem illud v. 23 sq. de numeratione populi adscribitur.

Sadoc v. 9 utique erat princeps natus domus Aaron. Eliab v. 18 erat frater natu maximus domus David, ergo eius domus princeps natus, itemque fortasse totius stirpis Ram 2,9; ut autem dicatur princeps natus totius tribus Iuda, supponendum fere erit exstinctam tum fuisse totam stirpem Ierameel (ib.). Elenchus recenset primum sex filios Liae (Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Zabulon), dein duobus filiis Balae ancillae Rachel (Nephthali, Dan) inclusos filios Rachel (Ephraim, Manasse, Beniamin); ignorat filios Zelphae ancillae Liae (Gad, Aser). Nota 3 Reg. 4,7-19 item ignorari Gad, cuius ratio ea nobis esse videtur, quod finium Gad aliqua pars tum fuerit Ammonitis tributariis subdita. Similis aliqua ratio potuit obtinere Davidis tempore, potuitque aliqua finium Aser pars item in potestate esse Phoenicum. Sed licet 2 tribus in elencho desint, servatur numerus 13 principum correspondens numero tribuum : sc. duae dimidiae tribus Manasse suos habent principes, et domus Aaron principem habet praeter principem Levi; quod argumento est, tempore certe Davidis accurate observatum esse discrimen inter aaronitas simplicesque levitas.

v. 16 « *Porro tribubus praeerant Israel : Rubenitis dux Eliezer filius Zechri* ». Iidem h. l. vocantur נגיד, qui v. 22 שרים : hae duae voces chronistae h. l. sunt synonymae. « *Simeonitis dux Saphatias filius Maacha* ». v. 17 « *Levitis Hasabias filius Camuel. Aaronitis Sadoc* ». v. 18

« *Iuda Eliu frater David* ». אליהו, sed LXX Ἐλιάβ, *Eliab*, quod unice verum secundum 2,13; 1 Reg. 16,6 etc. « *Issachar Amri filius Michael* ». v. 19 « *Zabulonitis Iesmaias filius Abdiae. Nephthalitibus Ierimoth filius Ozriel* ». v. 20 « *Filiis Ephraim Osee filius Ozaziu. Dimidiae tribui Manasse* » cis flumen (v. v. 21) « *Ioel filius Phadaiae* ». v. 21 « *Et dimidiae tribui Manasse in Galaad* », ergo trans flumen. « *Iaddo filius Zachariae. Beniamin autem Iasiel filius Abner* ». v. 22 « *Dan vero Ezriel filius Ieroham. Hi principes filiorum Israel* ».

Rationem, cur sequentia adscribantur, dabamus supra. v. 23 « [*Noluit*] *autem David numerare eos a viginti annis inferius* », ergo de facto constitutis 12 turmis numeravit a 20 annis supra, « *quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Israel quasi stellas coeli* ». Non statuitur 21,7; 2 Reg. 24,10 ratio, cur numeratio populi displicuerit Deo; quam rationem ad 21,1 e contextu historiae davidicae eruebamus. Neque peccatum erat, tali numeratione demonstrare impletam esse divinam promissionem de multiplicando semine Abrahae *instar stellarum coeli*. Peccatum erat, si id fieret cum aliqua dubitatione, an vere promissionem suam implesset Deus : verum ei dubitationi vix erat locus, cum nemo compertum haberet quantus esset numerus stellarum. Neque peccatum in eo fuerat, quod voluerit David numerare id, quod Deus pronuntiasset numerari non posse, etenim numerari *possunt* et stellae et populus quilibet, neque ea numerari non posse pronuntiaverat Deus, sed decenti usus erat hyperbole. Posteriores certe Iudaei, ob promissionem illam divinam, censuere nefas esse numerare populum electum : cum 2 Par. 2,2 cf. glossam ib. v. 17 sq. Quam opinionem chronista tribuit Davidi. Certe non dicit, ob eam solam rationem immissam esse pestem populo. Neque rationem hanc, quam Davidis menti attribuit, necessario credendus est chronista adscripsisse ut historicus, et non potius rhetorice : quam facile accipies pro figura quadam sermonis, narratore etiam inspirato minime indigna. Vel dicas, rationem illam veram quidem, sed nequaquam primariam, fuisse rationem « officialem » euphemisticam, quae in aula regis reddebatur abruptae numerationis populi : ratio primaria fuerit rei imprudentia. Adverte, nostrum narratorem ab auctore 2.3 Reg. eo differre, quod peccata Davidis et Salomonis obtegat. Silet Davidis adulterium et Salomonis idololatriam, peccatum in numeratione populi commissum refert utique euphemistice.

v. 24 « *Ioab filius Saruiae coeperat numerare nec complevit, quia super hoc ira irruerat in Israel* », pestis sc., « *et* [*idcirco*] *numerus* [*eorum, qui fuerant recensiti*], *non est relatus in fastos regis David* ». Unam vocem non exprimit *Vulg*. Ubi *Hebr*. במספר, *in numerum verbo-*

rum dierum. Secundum quam lectionem *numerum aliquem* habebant fasti, sed ei non est adscriptus *numerus alius* aliquis. Quis numerus hic alius? Fuit is במספרם, *numerus eorum*, quos recensere coeperat Ioab sed non complevit. Eiusne numeri *nihil* adscriptum est (*Vulg.*), an solus numerus *incompletus* quem collegerat Ioab? Si hoc, habebant igitur fasti censum illum incompletum; si illud, erit במספר punctandum cum articulo, ut numerus fuerit nomen veluti proprium omnium illorum elenchorum levitarum, ducum, principum etc., qui erant in fastis (cf. 11,11). Num igitur numerus incompletus in fastos relatus est? Certe « dedit Davidi » 21,5 non est idem atque « relatus est in fastos ». Sed *LXX* h. l. בספר, numerus non est relatus *in librum fastorum*, quem sensum etiam exprimit *Vulg*. Qui sensus unice videtur quadrare contextui. Etenim auctor noster dedit numeros levitarum variorum ordinum, ducum, principum; exspectaveris, eum iam traditurum esse numeros populi; excusationem profert v. 23 sq., numerum tradi non posse, quia in fastis non habeatur. Si fasti habebant numeros undecim tribuum, non erat cur non eos saltem auctor noster exscriberet, praesertim cum de numeris tribus Levi nos satis accurate edocuerit; deerant soli Beniaminitae.

c. Administratores possessionum regis 1 Par. 27,25-31.

Agebatur 26,20-28 de duobus thesauris sacris, agitur iam de thesauris regiis. v. 25 « *Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel* ». Estne is idem atque heros 11,33; 2 Reg. 23,31, et fortasse idem cum Azmoth duorum virorum fortium patre 12,3? E v. 25ᵇ apparet v. 25ᵃ esse de thesauris in urbe Ierusalem (*Malv.*). Erant hae potissimum res pretiosiores, uti aurum, argentum, arma, vestes, dum frumentum et similia potius recondebantur aliis per regionem locis (*Calm.*). « *His autem thesauris, qui erant in urbibus et in vicis et in turribus, praesidebat Ionathan filius Oziae* ». *Hebr.* : *in agro, in urbibus etc.* Ita ager opponitur Ierusalem : sed ager scribitur quidem in oppositione ad loca habitata, sed non scribitur in oppositione ad unicam urbem, ita ut alias urbes, vicos includat. Ergo melius *LXX* : *in agro et in urbibus etc.* Thesauri frumenti et aliarum rerum minus pretiosarum vel erant in urbibus, vicis, turribus vel etiam, ab eiusmodi locis plane separati, erant in structuris quibusdam in agro.

Sequuntur iam ea, quae v. 31 vocantur רכיש, possessiones regis. v. 26 « *Operi autem rustico et agricolis, qui exercebant terram, praeerat Ezri filius Chelub* ». *Hebr.* : *Super facientes opus in agro quoad agriculturam.* v. 27 « *Vinearum[que cultoribus] Semeias Romathites* », רמתי

e Rama oriundus; sed sunt plures Ramae. « *Cellis autem vinariis Zabdias Aphonites* ». *Hebr.* : *super ea quae vinearum sunt quoad thesauros vini*, expressio impeditissima ad designandam rem simplicissimam. שבכרמים utique ignoratur a *Vulg.*, et ad sensum sententiae declarandum videtur esse superfluum. Potuit autem ea vox adscribi ab aliquo, qui putaret *thesauros vini*, quos habuerit Salomon in Ierusalem, necessario committendos fuisse custodi *thesaurorum* urbanorum v. 25, ergo v. 27 sermonem esse de iis solis cellis quae essent foris urbem in vineis. Verum patet administrationem cellarum vini, quas rex haberet in Ierusalem, committendam fuisse alii viro quam ei, cui committebatur aurum etc., viro sc. rei vinariae peritissimo. Ergo Zabdiae suberant cellae regis omnes, tam in Ierusalem quam alibi. *Aphonites*, השפמי, nomen non a *patre* derivatum, ergo non ὁ τοῦ Σεφνι, ὁ τοῦ Σαφαμι; sed nomen a *loco* petitum uti praecedens הרמתי. Habes 1 Reg. 30, 28 locum שפמות in Iudaea meridionali. Sed est etiam שפם Num. 34,10 in limite septentrionali terrae promissae.

v. 28 « [*Nam*] *super oliveta et ficeta, quae erant in campestribus* », verte *in Sephela*, planitie interiecta inter Mare Mediterraneum et Iudaeam, « *Balanam Gederites* », de Gedor vel Gedera. Erant autem duae Gedor contiguae seu duae unius urbis partes Ios. 15,36. 58, una Zaraitarum in Sephela, altera Calebitarum in monte (CJ[1] p. 42). « *Super apothecas autem* », seu *thesauros*, « *olei Ioas* ». Quod nomen cum fuerit plurium hominum, crediderim primitus adscriptum habuisse nomen patris vel loci.

v. 29 « *Porro armentis* », i. e. *bobus*, « *quae pascebantur in Saron* », planitie interiecta inter Mare Mediterraneum et montem Ephraim, « *praepositus fuit Setrai Saronites* », ex eadem planitie oriundus; « *et super boves in vallibus Saphat filius Adli* ». *In vallibus*, בעמקים scribitur parallele ad *Sephelam* et *Saron*, planities maritimas, vi etymi significat planities *inter montes* demissas, ergo certe ad orientem Sephelae et Saronis sitas. Liceat h. l. conferre textum aliquem rabbinicum apud *Buhl* p. 104, qui Iudaeae tres partes distinguit : Montem, Sephelam et 'Emeq. v. 30 « *Super camelos vero Ubil Ismaelites* ». Habuerit camelos suos rex in transiordanica, propius desertum et fines Ismaelitarum. « *Et super asinos Iadias Meronathites* ». המרנתי, ὁ ἐκ Μεραθων, ex urbe 2 Esdr. 3,7 prope Gabaonem et Maspham sita. Fuit ergo ille vir Beniaminita. v. 31 « *Super oves quoque Iaziz Agareus* » (cf. Ps. 82 [83], 7), de tribu illa ad orientem transiordanicae incolente, contra quam 5,10. 19 sq. dimicatum est tempore Saul. « *Omnes hi principes substantiae regis David* », possessionum eius.

d. Summi aulae ministri 1 Par. 27,32-34.

v. 32 « *Ionathan autem patruus David* », ergo nativo vocis sensu patris frater, vir aetate venerandus, regi necessarius, « *consiliarius* », יועץ, quem titulum officii 26,14 vertebamus « admonitor », « *vir prudens et literatus* ». איש מבין וסופר, *vir intelligens et scriba.* Verbosior viri laus in elencho, qui ceteroqui solos titulos officiorum recitat. Sed praeprimis סופר, *scriba, secretarius*, est titulus officii a יועץ diversus quique in hisce aulicorum elenchis nusquam deest. Quare censeo textum esse corruptum, in איש מבין latere nomen viri cuiusdam a Ionatha diversi : וישמי בן, *et Ismi filius x secretarius.* Nomen ישמי fuerit truncum vel deformatum (cur non שישא, Sisa 3 Reg. 4,3?), nomen patris excidit. « *Ipse et Iahiel* » (יחיאל, Ἰεήλ, Ἰωήλ) « *filius Hachamoni* », frater incliti herois 11,11; 27,2, « *erant cum filiis regis* ». היא, *ipse*, non iam refertur ad Ionatham, sed ad Sisam (?). David tristi experientia fuerat edoctus, se filios Amon et Absalom non satis sollerter educasse : rem porro emendavit. Supererant filii aetate iuniores, ii fere quorum nomina habes 2 Reg. 5,14-16. Eorum educationi providit ita, ut a Sisa (?) edocerentur artes liberales, a Iahiel artes militares, a Nathan religionem. Illi duo fuere *cum filiis regis*, fuere « instituteurs des princes, Prinzenerzieher » (Mar.).

v. 33 « *Achitophel etiam consiliarius regis* », admonitor יועץ, « *et Chusai Arachites amicus regis* », רע, quod vertas « consiliarius », officium uti videtur officio admonitoris inferius, nam 2 Reg. 17 consilium Chusai post consilium Achitophel exquiritur. Porro, uti e v. 7 non sequebatur turmas exercitus institutas esse *ante* mortem Asaelis, ita e v. 33 non sequitur describi aulam Davidis *ante* turbas Absalomis. Sicut v. 7 adscribitur nomen *successoris* Asael, ita v. 34 nomen *successoris* Achitophel. v. 34 « *Post Achitophel fuit Ioiada filius Banaiae, et Abiathar* » pontifex. Potuit utique Banaias filio indere nomen avi Ioiada. Quia tamen post turbas Absalomis utique consilio regis adhibiti sunt viri illi, qui in iis turbis summe fidos se praestiterant, qualis certe fuit Abiathar, inverte nomina : *Banaias filius Ioiadae* (*Ber.*). Obiicit *Men.*, Davidem non usque post mortem Achitophel exspectaturum fuisse, ut eos duos viros suis consiliis adhibuerit : esto adhibuerit, sed non ante contulit titulum יועץ vel « admonitoris »; 18, 16 sq. Abiathar scribitur pontifex, et Banaias dux praetorianorum. « *Princeps autem exercitus regis erat Ioab* ».

Hunc elenchum v. 32-34 (A) cf. cum elencho 2 Reg. 20,23-26 (B), qui ipse etiam partem posteriorem regni davidici respicit, et cum elencho 1 Par. 18,15-17 (C), qui idem est cum elencho 2 Reg. 8,16-18 :

A	B	C
1. Ionathan admonitor.	1. Ioab, dux exercitus.	1. Ioab, dux exercitus.
2. Sisa secretarius, Iahiel miles } educatores filiorum regis.	2. Banaias, praefectus praetorio.	2. Iosaphat, historiographus.
3. Achitophel admonitor, cui successere Banaias et Abiathar.	3. Aduram, tributorum exactor.	3. Sadoc et Achimelech, pontifices vicarii.
4. Chusai consiliarius.	4. Iosaphat, historiographus.	4. Sisa vel Siva, secretarius.
5. Ioab, dux exercitus.	5. Sisa vel Siva, secretarius.	5. Banaias, praefectus praetorio.
	6. Sadoc et Abiathar, sacerdotes.	6. Filii David, sacerdotes regis.
	7. Ira Iairites, sacerdos David.	

A ignorat Iosaphat, qui habetur B et C, et etiam sub Salomone officio suo functus est; ignorat Aduram (B), qui item sub Salomone floruit. A non habet totum consilium regis, certe ignorat Sadoc et sacerdotem David. A speciales adscribit titulos : Ionathan admonitor, fortasse in rebus spectantibus familiam Davidis; educatores filiorum regis; Achitophel admonitor, uti historia docet, in rebus potissimum politicis. Cui successit Banaias, non qua praefectus praetorio, sed in munere admonitoris; itemque Abiathar, non uti videtur qua pontifex. Habet A etiam Chusai consiliarium, Ioab monitorem praeprimis in re militari. Sed Ioab ad ultimum locum deprimitur, uti etiam 3 Reg. 4,4 primus locus non iam Banaiae militi conceditur. Elenchus A habet colorem magis pacificum quam B et C, est magis instar elenchi Salomonis 3 Reg. 4,1 sqq. Crediderim, B potius exprimere ordinem dignitatis et praecedentiae, A ordinem auctoritatis apud regem. Ioab primum adhuc post regem dignitatis locum obtinebat, in consiliis minus reliquis audiebatur.

3. *Conspectus officiorum sub Davide rege.*

Habes per varia capita 1 Par. distributa varia officia variosque titulos, qui Davide rege fuere apud Hebraeos. Non facile perlecta narratione haec omnia unico obtutu complecteris, singula suis locis dispones et, qua methodo David rem publicam administraverit, cogitabis. Quorum igitur tradimus conspectum. Minora, uti par est, negligimus. Neque, quaecunque a nobis una describuntur, uno tempore fuere : duodecim turmas exercitus instituerit David vita ad finem vergente; consiliarios regios e variis diversorum temporum elenchis componimus. Sufficiunt sc. haec ad generalem conspectum.

David rex.

Nathan propheta. — Gad propheta regis (1 Par. 21,9).
Ioab, summus dux. — Abisai, alter post Ioab dux.

Banaias, praefectus praetorio.

Shalishim Davidis, primi Davidis exsulis socii, quorum plures postmodum ad suprema imperia militaria promovebantur.
Duodecim turmae exercitus, singulae habentes 24,000 milites.

Consiliarii regis.

Ionathan, patruus David, admonitor (יֹעֵץ).
Ioab, summus dux.
Banaias, postea pro Achitophel admonitor.
Aduram, tributorum exactor.
Iosaphat, historiographus.
Sisa, secretarius; idem (?) postéa cum Iahiel educator filiorum regis.
Sadoc et Achimelech, pontifices vicarii.
Abiathar, pontifex, pro Achitophel admonitor.
Chusai, consiliarius (רֵעַ).
Filii David, ac postea Ira Iairites, sacerdotes regis.

Principes singularum tribuum 27,16-24.
Administratores thesaurorum, agrorum, vinearum, cellarum vinariarum, olivetorum et ficetorum, boum, camelorum, asinorum, ovium 27, 25-31.

Res sacrae.

Abiathar pontifex.

Sadoc, pontifex vicarius Gabaone. — Achimelech, pontifex vicarius Sione.
Sacerdotes, quorum 24 vices habes 24,7-18.
Levitae, quorum 24 (?) stirpes habes 23,6-23. Ex his :

1. Levitae sacrorum ministri, quorum vices habes 24,20-31.
2. Levitae scribae et iudices 26,20-32 :
   a. thesaurarii :
      praepositus omnium thesaurorum sacrorum : Subael e posteris Moysis;
      praepositus thesauri sanctuarii Gabaonensis : Iehiel Gersomita;
      praepositus praedarum consecratarum : Salemith e posteris Moysis.
   b. Inspectores :
      inspector supremus : Chonenias Isaarita;
      inspector pro Israele cis flumen : Hasabias Hebronita;
      inspector pro Israele trans flumen : Ieria Hebronita.
3. Levitae cantores.
   Asaph propheta. — Heman propheta regis. — Ethan vel Iduthun propheta.

   Chori levitarum tandem 40, — Nathinaeorum non-levitarum 24.

4. Levitae ianitores 26,1-19 :
   Meselemia (Selemia seu Sellum) Corita, custodiens latus orientale.
   Zacharias Corita, custodiens latus septentrionale.
   Obededom Iduthunita, custodiens latus australe cum muro occidentali interiore.
   Hosa Iduthunita, custodiens murum occidentalem exteriorem.

Resumitur concio habita a Davide grandaevo 1 Par. 28 sq.

Arg. — Resumitur descriptio concionis, quae 23,1 sq. convocata esse narrabatur. Asseverat David coram principibus populi, sacerdotum et levitarum, se a Iahve electum esse regem, apud cuius posteros permansurum sit regnum; Salomonem item filium regem electum esse, qui templum aedificaret. Conditionem prosperitatis inculcat tam principibus quam Salomoni, observationem mandatorum Iahve; Salomonem, ut strenue agat hortatur. — Interrupta iam oratione, narratur David Salomoni tradidisse descriptionem templi aedificandi, item divisionum sacerdotum et levitarum, et res omnes quas pro aedificatione templi praeparaverat. — Resumitur abrupta oratio : David Salomonem, ut strenue agat hortatur; demonstrat sacerdotes et levitas sua quosque officia attributa habentes, principes ad omne obsequium paratos, opifices in omni opere peritos; enarrat summam eorum, quae ipse pro aedificando templo praeparavit, hortatur ut principes etiam ipsi oblationes faciant. Liberaliter hi itemque populus obsequuntur, summa omnium et imprimis David laetitia. David et cum ipso concio tota benedixit Iahvae. Sequens dies solemnia sacrificia habet, et solemnem Salomonis regiam unctionem, post privatam potius 3 Reg. 1 factam unctionem. Ungitur etiam Sadoc in pontificem sanctuarii Sionis, qui antea Gabaone tantum pontificatu vicario fungebatur. Salomon ab omnibus rex salutatur. Moritur David.

1. *Pars prior orationis Davidis ad proceres et ad Salomonem* 1 *Par.* 28,1-10.

Cap. XXVIII v. 1 « *Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum* », quos enumeratos habes 27,16-22, — perperam *LXX R* pro השבטים, *tribuum*, השפטים, *iudicum*, at iudicum duces nunquam commemorantur neque erant — « *et praepositos turmarum, qui* », seu verius *quae* (*LXX*), « *ministrabant regi* » per singulos menses (27,1), — ergo non totum exercitum convocavit, sed 12 duces turmarum 27,1-15 et turmae, quae tum erat apud regem, vel si concio haberetur vertente mense, duarum turmarum chiliarchas et centuriones — « *tribunos quoque et centuriones* », — inserunt h. l. *LXX et principes thesaurorum* 27,25 : sc. cum illico recenseantur principes possessionis et gregum 27,26-31, visum est neque principes seu custodes thesaurorum esse omittendos — « *et qui praeerant substantiae et possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis* » (1 Reg. 8,15) « *et potentes* », — verte *et cum Gibborim* : sc. filii, eunuchi, Gibborim sunt

ipsa *familia* regis; ideo Gibborim h. l. recensentur seorsim a reliquo exercitu — « *et robustissimos quosque in exercitu Ierusalem* ». Miraberis, recenseri tandem *robustissimos* hos, qui neque sint pars turmarum exercitus neque legionis Gibborim. Probabilis lectio *LXX L*, pro לכל גבור חיל אל ירושלם legebant : ול(כל) גבר קהל אל ירושלם, *et viros omnes* supra recensitos *convocavit in Ierusalem*. Convocavit igitur concionem principum, non populi : concio sc. habebatur in loco angustiore, ubi v. 2 rex assurgebat e lectulo.

Enumeratio v. 1 intime cohaeret cum cap. 27, recenset quippe omnes classes ib. descriptas, quae 23,2 verbis « omnes principes Israel » compendio exprimebantur. 28,1 videtur primitus continua narratione excepisse 23,2. Sed, ib. mentione facta principum, sapienter censuit auctor principum elenchum inserendum esse; sapienter item censuit ei elencho praemittendum esse elenchum levitarum aliunde petitum; ad nexum efficiendum 23,2 adscripsit voces, « et sacerdotes et levitas ». Sed levitae 28,1 non habentur, pontifices utique aderant (27,17.34), quod e numero essent principum. Levitarum res certe non ordinavit David tum tandem 23,1, quando fuit « senex et plenus dierum ».

v. 2 « *Cumque surrexisset rex et stetisset, ait* » : — Pro *et stetisset*, *Hebr. in pedes suos*, « de lecto, ubi propter aetatem iacebat » (*Mar.*); et comparat *Malv.* Gen. 49,32 (33) « collegit pedes suos super lectulum » — « *Audite me, fratres mei et populus meus : Cogitavi, ut aedificarem domum* » *requietionis* (מנוחה) seu, « *in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri* ». Arca est illud *scabellum*, quia super propitiatorium arcae residet Iahve inter cherubim. An igitur scabellis aedificantur domus? Sed scabellum istud unicum erat quod, si ita loqui fas est, Dei visibile erat. Hinc Ps. 98 (99), 5; 131 (132), 7 invitantur fideles, ut ante scabellum Iahve prosternantur. « *Et ad aedificandum* [*omnia*] *praeparavi* ». Ad idiomata cf. 22, 5. 7. v. 3 « *Deus autem dixit mihi : Non aedificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis* ». Cf. 22,8. Locuturus de Salomone filio futuro templi aedificatore, divinae vocationis ordinem explicat : de Israel elegit Deus Iuda, de Iuda domum Isai, et de domo Isai David in regem, Salomonem in regem templique aedificatorem : cf. 22,10. v. 4 « *Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum : de Iuda enim elegit principes* », — verius *principem*, נגיד. *LXX L* ἡγούμενον. *LXX R* τὸ βασίλειον — « *porro de domo Iuda domum patris mei, et de filiis patris mei placuit ei, ut me eligeret regem super cunctum Israel* ». v. 5 « *Sed et de filiis meis, filios enim mihi multos dedit Dominus* » (cf. 2 Reg. 5,14-16), quorum mentio non habebatur cap. 22, sed

omnino facienda erat in hac concione, quo scirent principes unum Salomonem a Deo electum esse successorem, « *elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel* », regnans « non tamquam in regno proprio, sed tamquam in regno Dei » (*Cai.*). Populus Israel Dei erat, terra Israel Dei erat (Lev. 25,23), Dei ergo erat nominare e filiis Davidis regem. v. 6 « *Dixitque mihi : Salomon filius tuus aedificabit domum meam et atria mea* », *LXX L atrium meum.* De his nihil habent priores prophetiae, sed v. i. v. 12. « *Ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem* » (22,10). v. 7 « *Et firmabo regnum eius usque in aeternum, si perseveraverit facere praecepta mea et iudicia, sicut et hodie* ». Monitum hoc item habes 22,13. *Men.* : « sicut hoc tempore servatur » (cf. 3 Reg. 8,61). v. 8 « *Nunc ergo coram universo coetu Israel, audiente Deo nostro* » : — *Hebr.* : *spectante universo Israel, ecclesia Iahve* (cf. Num. 16,3; 20,4), *et audiente Deo nostro.* Verba non pendent a *custodite* : quomodo enim custodias mandata *audiente* Iahve? Sunt verba adiurationis, ubi suppleas : « adhortor vos et rogo » (*Men.*). Quomodo vero *spectante universo Israel* eos adiurat, cum universus Israel in ea concione praesens non adfuerit? « Repraesentative erat ibi omnis Israel in illo principum coetu » (*Cai.*). « *Custodite et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri, ut possideatis terram bonam, et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum* ». Haec plane deuteronomica : cf. Deut. 4,21. 26; 30,20.

Convertit iam David sermonem ad Salomonem. v. 9 « *Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui* », *LXX patrum tuorum*, « Deum Israel scito esse eum, quem colere debeas » (*Men.*), « *et servito ei corde perfecto et animo voluntario* », ex toto indiviso corde (12,38) et ex anima sibi complacente in eo. Inculcat David sinceram, non fucatam devotionem : « *omnia enim corda scrutatur Dominus* », nullum praetermittens cor cuius duplicitas eum effugere queat, « *et universas mentium cogitationes intelligit* », *figmenta consiliorum*, consilia etiam subtilius texta. Tale figmentum aliquando fuit in mente Salomonis, quando is aedificationem domus seu dynastiae suae, tanti, imo maioris fecit quam domum et servitium Iahve. « *Si quaesieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, proiiciet te in aeternum* », *LXX in fine*, fortasse pro לעד legentes לקץ (cf. Dan. 12,13). v. 10 « *Nunc ergo, quia elegit te Dominus, ut aedificares domum sanctuarii* », domum in sanctuarium, « *confortare et perfice* ».

Emblema : indiculus rerum, quas David praeparavit
1 *Par.* 28,11-19.

Abrupta interim Davidis oratione reditur ad factorum narrationem. v. 11 « *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem* », תבנית, eadem vox quae Ex. 25,9.40 « exemplar » vertitur, ac sine dubio narrator illa duo facta comparabat inter se, factum Dei tradentis Moysi exemplar tabernaculi, et factum Davidis tradentis Salomoni exemplar templi. Cum autem hoc exemplar v. 19 « scriptum » fuisse affirmetur, non fuerit illud « modellum » (*Oe.*) fictum vel sculptum, neque necessario solis consonantibus scripto expressum, sed *delineatum*; id etiam scribendi voce exprimi potuit. Fuit autem ea descriptio « *porticus et templi et cellariorum et coenaculi et cubiculorum in adytis et domus propitiationis* ». Plures insolitas expressiones habet Hebr., ac veluti ex ore auctoris profectas qui templum salomonicum nunquam vidit. *Hebr.* : *porticus et domorum eius et apothecarum eius et cubiculorum eius superiorum et cubiculorum eius interiorum et domus propitiatorii.* A magis notis ad minus nota procedimus. Cum vero exteriora templi (atria etc.) recenseantur v. 12, ea quae v. 11 habet, attribuenda erunt ipsi templo. Igitur אולם omnino est *porticus* in aditu templi erecta 3 Reg. 6,3; 2 Par. 3,4. *Domus propitiatorii* certe est sanctum sanctorum, erat enim propitiatorium operculum arcae. Quae inter haec duo nomina interiacent, singula suffixis possessivis porticui attribuuntur. Quid porro sunt *domus porticus* ? Debet expressio referri ad ipsam sacram aedem, quae secus בית, *domus*, appellari consuevit; ergo corrige singularem ביתו, *domus eius*; recte *Vulg. templi.* Vocatur autem *domus porticus*, quia porticui adhaeret. גנזכיו, quod *LXX R* transpositis consonnantibus scribunt ζακχων, vertunt *LXX L* ἀποθηκῶν. Corrige גנזתיו et habes vocem chaldaicam גניז, quae *rem absconditam*, *apothecam*, *thesaurum* significat; e qua contractione orta esse creditur vox γάζα. Quodsi igitur descriptio nostra adamussim respondeat descriptioni templi salomonici, erunt *apothecae*, *cubicula superiora et interiora* tria tabulata *circumstructionis* templi, i. e. tabulatum inferius, supremum et medium (sc. inter inferius et supremum *interius*). Potuit tamen etiam auctor, qui templum salomonicum nunquam vidisset, cuperetque nos edocere templum illud *cum omnibus suis partibus* esse a Davide delineatum, per figuram quamdam sermonis enumerare partes templi recentioris quod prae oculis habebat : neque id faciens nos decipiebat, quippe qui perspectum habemus, eum non tradere descriptionem architectonicam, sed solum

illud exprimere, descriptionem illam habuisse templum *cum omnibus suis partibus*.

Ad exteriora templi progreditur descriptio : v. 12 « *necnon et* » *exemplar* « *omnium, quae cogitaverat, atriorum* » *domus Iahve*, quae hoc adscripto efferuntur ut sequentibus sanctiora atque ipsius templi pars, « *et* » *omnium* « *exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini et in thesauros sanctorum* ». Narrator supponit disposita fuisse circa templum templique atria receptacula thesaurorum tam domus Iahve (seu *Dei*, *Hebr.*) quam sancti (26,20-28). v. 13 « *Divisionumque sacerdotalium et leviticarum, in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini* ». *Hebr.* : *et divisionibus sacerdotum et levitarum, et omni operi ministerii domus Iahve, et omnibus vasis ministerii domus Iahve*. Textus utique est verbosior. Incisa ולכל מלאכת עבדת בית יהוה et ולכל כלי עבדת בית יהוה ita sunt similia inter se, ut prius facile potuerit oriri mendosa repetitione secundi. Tamen illud non confodio. Sententia tria habet ל. *LXX B* ante secundum ל ignorant *copulam*, illudque *subordinant* priori : *divisionum sacerdotalium et leviticarum pro omni opere cultus Iahve*. Ambigo, habueritne eandem constructionem in mente *Vulg.* : *divisionum in omnia opera*. Sed quid porro sibi volunt *divisiones in omnia vasa*? Praestat illa tria ל habere *coordinata inter se*. Sed quaeritur, a quo nomine ipsa dependeant. Igitur *Ber.*, *Net.* ea *subordinant* voci הלשכות v. 12 : *receptacula* pro thesauris, *et pro divisionibus sacerdotum et levitarum, et pro omni opere ministerii domus Iahve, et pro omnibus vasis etc.* Igitur *receptacula pro divisionibus sacerdotum et levitarum* erunt habitacula pro iis solis, « qui ad ministeria suis temporibus conveniebant » (*Mar.*) ; reliqui enim sacerdotes et levitae in urbibus sibi lege attributis habitabant. *Receptacula pro omni opere cultus* interpretatur *Oe.* loca illa, ubi levitae praeparabant mincham, coquebant carnes etc. *Vasa cultus* confecit Salomon (2 Par. 4,18) longe plura, quam pro necessitatibus cultus requirerentur ; ea futuris necessitatibus providens reposuit 2 Par. 5,1[b] in thesauris domus Dei. Sed eos thesauros habes h. l. v. 12, neque pro illis vasis providenda fuere alia praeterea *receptacula*.

Constructio, quae tria ל v. 13 *subordinat* voci הלשכות v. 12, *restringit* trium expressionum sensum. *Divisiones sacerdotum et levitarum* non iam significat integros elenchos cap. 23-26, sed aliquam eorum partem. *Opera* cultus significat sola opera cultus maxime accessoria, uti coquere carnes. *Vasa* cultus restringuntur ad ea sola vasa, quae pro futuris necessitatibus asservabantur, quae 2 Par. 5,1[b] videntur esse recondita in thesauros h. l. v. 12, non in alia quaedam receptacula. Praeterea v. 14 sqq. agit de auro etc., quod providit David

certe non pro his vasis solis, sed item pro reliquis, pro *omnibus* vasis.

Igitur illa tria ל v. 13 (cf. *Oe.*), uti voces חצרות et הלשכות v. 12, censeo pendere a תבנית v. 12 : *exemplaria atriorum et omnium receptaculorum per circuitum, tam pro thesauris domus Dei quam pro thesauris sancti, et divisionum sacerdotum et levitarum, et omnis operis cultus domus Iahve, et omnium vasorum cultus domus Iahve.* Illae *divisiones* sunt ipsi *elenchi* cap. 23-26, *opera cultus* intelliguntur *quaelibet*, uti etiam *vasa cultus*.

Difficillimi sunt v. 14-19, in quibus *LXX R* dicunt quidem substantialiter idem atque Hebr., sed verbis ita diversis, ut vix affirmari queat eundem utrobique haberi textum. Unum statim moneo, in quo utique a vero aberrant LXX R. *Dedisse* quidem Davidem Salomoni aurum et argentum, ne dubites, sed 28,11-19 non agitur de dato a Davide Salomoni *auro*, sed de dato *exemplari* v. 11 sq. 19 ; LXX R vero v. 15 sq. 18 inserunt verbum *dandi*, quod v. 15 sq. perperam transsumpsit *Vulg.* : atqui hi versus nihil habent de *dato* Salomoni *auro*.

v. 14 « *Aurum in pondere per singula vasa ministerii ; argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate* ». Particula ל (cf. v. 12 sq.) prodit produci descriptionem *exemplaris* v. 12 : illud exemplar habebat praeter locorum descriptiones, ministrorum et vasorum sacrorum elenchos, etiam auri et argenti computum. *Hebr.* : *Et quoad aurum, secundum pondus auri, pro omnibus vasis cuiuslibet ministerii; et pro omnibus vasis argenteis*, argentum *secundum pondus, pro omnibus vasis cuiuslibet ministerii.* Recole Hebraeos, uti alios orientales, *diversis* usos esse ponderibus *auri* et *argenti*. Igitur sententia haec est introductio sequentium : affirmat in exemplari illo descripta fuisse vasa templi omnia, et clare indicatum pro singulis pondus sive auri sive argenti, quod iis conficiendis esset insumendum. *LXX R* haec habent : καὶ τὸν σταθμὸν τῆς ὁλκῆς αὐτῶν τῶν τε χρυσῶν καὶ ἀργυρῶν. i. e. : ולמשקל משקלם לזהב ולכסף, *et quoad pondus, pondus eorum* (sc. vasorum v. 13) *tam auri quam argenti* habebat exemplar. Sensus idem qui supra. Unum admirationem facit : voci ὁλκή unica respondet vox hebraea משקל; quae eadem vox in hoc contextu semper respondet voci σταθμός : ergo noster textus LXX R *eandem* vocem hebraeam continuo exprimit *duabus diversis* vocibus graecis. Ceterum sententia LXX R est longe concinnior et clarior.

v. 15 « *Sed et in candelabra aurea et ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscuiusque candelabri et lucernarum. Similiter et in candelabra argentea et in lucernas eorum, pro diversitate mensurae pondus argenti* [*tradidit*] ». *Hebr.* : *Et pondus candelabrorum aureorum et lampadum eorum aurearum, pondus singulorum candelabro-*

rum cum lampadibus suis descriptum erat. *Et quoad candelabra argentea, pondus candelabri cum suis lampadibus* descriptum erat *secundum ministerium singulorum. LXX R* ita habent : λυχνιῶν τὴν ὁλκὴν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ τῶν λύχνων, i. e. : למנרות משקל נתן לו ולנרות, *candelabrorum pondus dedit ei et lucernarum*, ubi deleas (v. s.) *dedit ei*. Substantialiter idem atque supra : non habetur explicita mentio candelabrorum *argenteorum*, sed implicitam habet nexus cum v. 14. Igitur auctor a generali asserto v. 14 ad particularia descendit, primum ad *candelabra*, quorum singulorum pondus sive auri sive argenti exemplar illud Davidis accurate descriptum habebat.

v. 16 « *Aurum quoque [dedit] in mensas propositionis pro diversitate mensarum; similiter et argentum in alias mensas argenteas* ». *Hebr.* : *Et quoad aurum, pondus mensarum propositionis mensis singulis; et argentum pro mensis argenteis. LXX R* : ἔδωκεν αὐτῷ ὁμοίως τὸν σταθμὸν τῶν τραπεζῶν τῆς προθήσεως, ἑκάστης τραπέζης χρυσῆς καὶ ὡσαύτως τῶν ἀργυρῶν, i. e. : ויתן לו גם משקל לשלחנות המערכת לשלחן ושלחן זהב ולשלחן ושלחן כסף. *Dedit ei etiam pondus mensarum propositionis, singulis mensis aureis, et singulis mensis argenteis*. Textus fere idem atque Hebr.; dele *dedit ei*. v. 17 « *Ad fuscinulas quoque et phialas et thuribula ex auro purissimo et leunculos aureos pro qualitate mensurae pondus [distribuit] in leunculum et leunculum. Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus [separavit]* ». *S. Hier.* eheu! permutavit כפיר, *leonem*, cum כפור, quod ex hoc textu uti e 1 Esd. 1,10; 8,27 videtur esse non unum aliquod genus utensilium, sed nomen collectivum *utensilium*, complectens h. l. fuscinulas (cf. 2 Par. 4,16), phialas (4,8), urceos (Ex. 25,29; 37,16; Num. 4,7) et alia. *Hebr.* : *Et fuscinulae et phialae et urcei, aurum mundum pro singulis utensilibus. Et quoad utensilia argentea secundum pondus pro singulis utensilibus*. LXX R v. 17[a] consonant cum Hebr., omissa voce *purissimo*; postea habent : καὶ τὸν σταθμὸν τῶν χρυσῶν καὶ τῶν ἀργυρῶν καὶ θυίσκων κεφουρὲ ἑκάστου σταθμοῦ. Θυίσκων correspondet voci כפות, quae h. l. correctio est vocis כפור. Ergo : משקל זהב ו(משקל) כסף וכפורים כפורי. Sed כפורי est status constr. exigens complementum, quod hic aliud esse non potest nisi הזהב vel הכסף : compleo igitur textum וכפורי הזהב במשקל וכפורי הכסף במשקל, *et fuscinulae et phialae et urcei aurei, pondus auri et pondus argenti, utensilia aurea in pondere, et utensilia argentea in pondere*. Attribuebatur tam aurum quam argentum conficiendis fuscinulis etc.

v. 18 « *Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum [dedit]* », מזקק, *purificatum* (29,4; Ps. 11 [12], 7), ergo excellentius sane etiam auro *puro*, מזהב, quod ceteroqui v. 17 ignorant *LXX R*;

« [*ut ex ipso fieret*] *similitudo quadrigae cherubim extendentium alas et velantium arcam foederis Domini* ». Aliter *Hebr.* : *Et quoad altare thymiamatis aurum purificatum secundum pondus; et quoad exemplar currus cherubim aureorum extendentium* — vocem *alas*, כנפים restitue cum *LXX Vulg.* — *et obtegentium arcam foederis. LXX R* uti Hebr.; solummodo במשקל corruptum est in השקיל לו, ὑπέδειξεν αὐτῷ, et omittitur v. 18ᵇ זהב. Versio Vulg. induxit *Tost.*, ut imaginaretur figuras quasdam cherubim in ipso altari thymiamatis. Sed merito *Calm.* : « Altari huic nullum cherub additum est, nihilque innovare visum est de cherubim a Moyse super propitiatorium vel operculum arcae constitutis. At Salomon alia adiecit cherubim, quibus totus sanctuarii ambitus ornabatur, ac praesertim duo constituit in medio loci illius sancti, quae alis suis arcam tegerent ». De his duobus solis agit textus. Porro monebat *Malv.*, המרכבה non esse statum constructum; ergo non est vertendum τοῦ ἅρματος τῶν χερουβιμ. Habent utique (cf. *Malv.*) המרכבה et הכרבים easdem fere consonnantes, neque tamen ideo priorem vocem tamquam corruptionem alterius elimino, sed haec ut appositio explicari potest : *currus, i. e. cherubim.* Sc. erant in oraculo templi salomonici magni illi cherubim deaurati, aram velantes alis extentis 3 Reg. 6,23 sqq. ac praeterea, quod ex Hebr. cum LXX comparato elucet (v. ib. ad v. 19), suppedaneum auro tectum, in quo collocaretur arca; qua ib. collocata nihil iam ib. 8,8 conspiciebatur arcae nisi sola capita vectium, qui nunquam extrahebantur prominebantque instar temonum currus cuiusdam. Igitur suppedaneum illud cum vectibus et cherubim utique imitabatur speciem *currus*, atque tanto facilius *currus* appellabatur, quod identidem in sacris libris repraesentaretur Iahve conscendens currum quemdam cherubim : Ps. 17 (18), 11; 98 (99), 1; Ez. 1; 10,4. 9; Eccli. 49,10.

v. 19 « *Omnia*, [*inquit, venerunt*] *scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris* ». Secundum haec non David scripsit exemplar, sed a Iahve scriptum accepit. *Hebr.* : *Totum in scripto per manum Iahve super me docuit* (? עלי השקיל), *omnia opera exemplaris.* Ratio, cur *Vulg.* supponat Davidem v. 19 redire ad orationem directam, quae extremo v. 10 abrumpebatur (*inquit*), est illud עלי, quod videtur habere suffixum primae personae, sed evidenter aliquid habet corruptionis. Certe non potuit scribi *docuit super me*, pro *me docuit.* Quod 4 Reg. 3,15 et alibi dicatur manus Domini *fieri* super aliquem, non sequitur h. l. tolerari posse constructionem *scriptum per manum Dei super me* (*Oe.*) : qui esset modus perquam durus designandi *scripti mei divinitus inspirati.* Et *quis* porro docuit? scriptum? Iahve? *quem* docuit? num *me*? at deest suffixum primae personae? *LXX R* :

πάντα ἐν γραφῇ χειρὸς κυρίου ἔδωκε Δαυιδ Σαλωμων κατὰ τὴν περιγενηθεῖσαν αὐτῷ σύνεσιν τῆς κατεργασίας τοῦ παραδείγματος. LXX L : σύνεσιν τοῦ συνιέναι τὴν κατεργασίαν κ. τ. λ. *Omnia in scripto per manum Iahve dedit David Salomoni secundum singularem eius intelligentiam exsecutionis exemplaris*; seu *ut secundum singularem suam intelligentiam intelligeret exsecutionem exemplaris*. Ergo : הכל בכתב מיד יהוה נתן דוד לשלמה ככל שכלי להשכיל מלאכות התבנית. Recole, saepe scribas hebraeos nomen *Iahve* expressisse sola litera י, ergo aliquis מידי explicaverit per מיד יהוה. Praeterea *Symm.* verbo περιγίνεσθαι exprimit יכל 1 Reg. 17,9 (cf. Iob 40,2 [39,32]), ita ut περιγενηθεῖσαν correspondere possit corruptae voci ככל. Textum tandem restituo ita : *omnia in scripto manus suae dedit David Salomoni, ut secundum eximiam suam intelligentiam perspiceret exsecutionem exemplaris*. Pronum autem erat, ut scriba aliquis מידי interpretaretur מיד יהוה; ita enim *exemplar* templi attribuebatur immediatae divinae inspirationi eadem plane ratione atque *exemplar* tabernaculi processerat ab ipso Deo.

2. *Pars posterior orationis Davidis ad Salomonem et ad proceres* 1 *Par.* 28,20-29,9.

Post abrupte insertos v. 11-19 resumitur Davidis oratio v. 2-10, praemissis verbis : v. 20 « *Dixit quoque David Salomoni filio suo* », et extremis v. 10 verbis חזק ועשה repetitis hac forma : חזק ואמץ ועשה, « *Viriliter age et confortare et fac* ». Ea porro verba amplificantur deuteronomismis alias scribi solitis (Deut. 31,8. 6; cf. CD p. 122 n. 28) : « *Ne timeas et ne paveas : Dominus enim Deus* », *Deus* « *meus tecum erit, et non dimittet te nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini* ».

LXX addunt : *Et ecce exemplar porticus et domus eius et apothecarum et cubiculorum superiorum et cubiculorum interiorum et domus propitiationis, et exemplar domus Domini*. Ultimum incisum utique superfluum. Sententia facit Davidem exprimentem tandem oratione directa id, quod reliqua eius oratio directa non habet, se tradere filio *exemplar* rerum conficiendarum; nihil tamen neque in hoc additamento neque v. 21 dicit David de traditis a se elenchis sacerdotum et levitarum et copia auri et argenti.

v. 21 « *Ecce divisiones sacerdotum et levitarum* » — non loquitur iam de elencho earum divisionum v. 13 — « *in omne ministerium domus Domini* » (*Hebr. LXX B* : *Dei*) « *assistunt tibi, et parati sunt et noverunt tam principes quam populus facere omnia praecepta tua* ». Accuratius verte : *Ecce divisiones sacerdotum et levitarum, in*

omne ministerium domus Dei expediti adsunt, *et tecum sunt in omni opere* (cum *LXX R* dele ל ante כל נדיב) *quicunque excellunt in peritia cuiuslibet opificii, et duces totusque populus* tecum sunt *in omni mandato tuo*, parati obsequi quodcunque iusseris.

Cap. XXIX v. 1 « *Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam* », in eadem atque cap. 28 concione (*Tost.*) : « *Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum* » (cf. 22,5), « *opus* [*nam*]*que grande est, neque enim homini praeparatur habitatio sed Deo* ». *Hebr.* : *et opus grande est* : *quia* Salomon iuvenis erat et inexpertus, et *quia* opus erat grande, *ideo* David multa praeparavit. בירה, vox recentior, proprie *munitio*, solum hic et v. 19 de templo scribitur : estne hoc documento, hanc pericopen diversi esse scriptoris? *Hebr. LXX Iahve Deo*; *LXX* etiam v. 1ª *Iahve*. v. 2 « [*Ego*] *autem totis viribus meis praeparavi* [*impensas*] *domus Dei mei* : *aurum ad* [*vasa*] *aurea, et argentum in argentea, aes in aenea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum omnemque pretiosum lapidem et marmor parium abundantissime* ». Quod genus gemmae sit שהם (λίθους σοαμ., λίθους ὄνυχος), ignoramus : cf. CG p. 138. Item ignoramus, quid h. l. significent, quos omittit Vulg., מלואים (λίθους πληρώσεως) : cf. CEL p. 260. אבני פוך (λίθους πολυτελεῖς, i. e. lapides pretiosos). פוך 4 Reg. 9,30 est *stibium*, pigmentum oculorum; unde Vulg. vertit *quasi stibinos*. Aliqui putant hic et Is. 54,11 פוך erronee scribi pro נפך, rubino (? — cf. CEL p. 282). Tamen פוך videtur h. l. scribi pro adiectivo, cum illico omisso אבני scribatur ורקמה, *diversorum colorum*, ποικίλους : post recensitos lapides שהם et מלואים, *reliquae* gemmae exprimuntur *generali* expressione *lapides pretiosi* (?) *et diversorum colorum*; inde transitur ad lapides, qui non sunt gemmae, sed structurae murorum adhibentur, qui cum gemmas numero et mole vincant praefixum habent כל, *omnis*. אבן יקרה vocantur etiam 2 Par. 3,6; 3 Reg. 5,7 (31); 7,9 sqq. lecti lapides, quibus utebatur Salomon *in struendis aedificiis*. Ἅπαξ λεγόμενον שיש interpretabantur etiam *LXX marmorem* : πάριον. λίθους παρίους.

v. 3 « *Et super haec, quae obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum et argentum, do in templum Dei mei exceptis his, quae praeparavi in aedem sanctam* » : — Haec non satis accurate versa. *Hebr.* : *Et praeterea, cum delectationem capiam in domo Dei mei, praesto est mihi peculium auri et argenti, quod dono domui Dei mei in excessum praeter omnia, quae praeparavi quoad domum sancti*. Habentur 24,5 inter sacerdotes principes sancti et principes Dei; habentur 28,12 *thesaurus domus Dei* et *thesaurus sanctorum* : ergo h. l. *domus sancti*

non videtur esse *templum*, quod modo appellabatur *domus Dei*, sed domus in qua asservabatur thesaurus sanctorum, ipse *thesaurus sanctorum* 28,12. Hunc thesaurum, qui diu ante Davidem colligi coeperat (26,28), plurimum auxerat h. l. v. 2 David, potissimum praedis bellorum (18,11). Sed praeterea novum instituit *thesaurum domus Dei*, de quo loquitur v. 3 sq. : hinc summae v. 4 plane diversae sunt et diversae esse debuere a summis 22,14. v. 4 « *Tria millia talenta auri de auro Ophir* », quo nomine certe post Davidem appellabatur aurum optimum, h. l. vero non cogimur adstruere illud Davidem accepisse e regione Ophir, « *et septem millia talentorum argenti probatissimi* » (cf. 28,18), « *ad deaurandos* » — *Hebr.* : *operiendos* — « *parietes templi* ». Ita etiam *LXX* contra *Hebr.* הבתים. v. 5 « [*Et ubicunque opus est*] *aurum de auro, et* [*ubicunque opus est*] *argentum de argento, opera* [*fiant*] *per manus artificum* ». Secundum *Hebr.* iunge haec praecedentibus : aurum et argentum ad operiendos parietes templi, *pro aureis aurum, et pro argenteis argentum, et pro omni opere per manus artificum*. Metalla dabantur primum ut illis operirentur parietes, secundo ut ex eis conficerentur ea utensilia quae tota ex alterutro metallo erant conficienda, tertio pro quolibet opere artis quod videretur ad ornatum templi esse facturum. « *Et, si quis sponte offert, impleat manum suam hodie* [*et offerat quod voluerit*] *Domino* ». Petit rex ut sua contribuant, non quod ea quae ipse contribuerat non sufficerent, sed ut ipsi quoque pii operis societatem haberent, et contribuerent ad aedificationem templi ita, ut eorum patres contribuerant ad tabernaculum conficiendum Ex. 35.

v. 6 « *Polliciti sunt itaque principes familiarum et proceres* », i. e. *principes*, « *tribuum Israel, tribuni quoque et centuriones, et principes possessionum regis* ». Evidenter est auctor in enumerandis *iisdem* atque 28,1 : tamen desunt h. l. *principes turmarum*, novi adsunt *principes patroeciarum, principes operis regii* includunt principes possessionum regis, eunuchos, fortasse etiam filios regis et Gibborim. Sc. neutra descriptio est statistica, singulas ex ordine classes virorum enumerans, sed libertate quadam exprimit ideam, *omnes omnino principes* praesentes adfuisse. Monebat *Cai.* (ad v. 9) : « Hebraice nulla fit mentio *promissionis*, sed tantum *spontaneae oblationis* ». Habetur idem verbum atque v. 5.9, התנדב, *se volentem exhibuit, sponte obtulit*. Sed sensum vere expressit *Vulg.*, non enim censendi sunt principes illi onusti auro etc. ad concionem accessisse : promiserunt, promissa implevere, imo « usi sunt magnifica et heroica liberalitate » (*Malv.*). Ad alteram concionem sua dona attulere, ubi rex pronuntiavit verba v. 10 sqq. et celebrata est solemnitas v. 21 sq.

v. 7 « *Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia et solidos decem millia, argenti talenta decem millia, et aeris talenta decem et octo millia, ferri quoque centum millia talentorum* ». Credideris unum idemque genus ponderis adhibitum esse auro, argento, aeri, ferro; non aliud auro, aliud argento. Pro *solidos*, χρυσοῦς, *Hebr.* אדרכון (1 Esdr. 8,27) seu דרכמון (1 Esdr. 2,69; 2 Esdr. 7,70. 71,72), i. e. *daricus*. Qui nummus non videtur habere nomen a Dario rege Persarum, cum sub Nabonido rege Babylonis habeatur mentio nummi *darîku* (*A. R. S. Kennedy* in : A Dictionary of the Bible, art. Money, Edinburgh 1900). Sed certe tempore Davidis non computabantur darici apud Hebraeos. Dixerit porro quis, chronistam summam illam, quae in suo fonte aliis verbis enuntiabatur, transtulisse in daricos. Tamen adverte h. l., uti v. 4 et 22,14 numeros non tradi nisi *rotundos*. Auctor certe non adscripsit numero rotundo 5,000 fractionem illam 10,000 solidorum seu talentorum 3·3. Verba *et daricos 10,000* crediderim esse *interpretamentum* aliquod. Vel aliquis, ignarus valoris talenti, pro 10,000 talentis (argenti) scripsit 10,000 daricos, vel immanes hasce summas admiratus aliquis imaginatus est talentum aliquod, quod valore aequaret daricos 2 : ergo 5,000 talenta (auri) = 10,000 darici. Illud etiam admirationem facit, in una eademque sententia numerum 10,000 exprimi semel vocibus עשרת אלפים et bis voce רבו. v. 8 « *Et apud quemcunque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Iahiel Gersonitis* » (filii Gersom 23,15), qui 26,21 erat praepositus thesauri Iahve. Unde confirmatur nostra interpretatio, « aedem sanctam » v. 3 esse gazophylacium « thesauri sanctorum » 26,26.

v. 9 « *Laetatusque est populus, cum vota sponte promitterent* », — *Hebr.* : *sponte offerrent* — « *quia corde toto offerebant ea Domino* ». Totus populus audita re gavisus est. Ceterum, quod *principes* obtulerint, non sequitur *populum* nihil contulisse. Principes sane suos etiam ad spontaneas oblationes faciendas induxere, populus obsecutus est non invitus sed laetus, tandem per principum manus oblationes omnes ad regem delatae sunt. « *Sed et David rex laetatus est gaudio magno* ».

3. *Oratio Davidis ad Iahven, cum sacrificiis* 1 *Par.* 29,10-22.

v. 10 « *Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait : Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri, ab aeterno in aeternum* ». *LXX pater noster* : sed cum v. 11 sq. David totus sit in celebranda *maiestate* Iahve, non videtur in eadem sententia eum appellasse *patrem*

(cf. v. 15 « peregrini »). Qua interpretatione recepta, cum *LXX* iungendum erit : *pater noster ab aevo et usque in aevum*. At certe iungebat voces David, uti iungebat in cantico 16,36 (cf. Ps. 40 [41], 14) : *Benedictus... ab aevo et usque in aevum*. v. 11 « *Tua est, Domine, magnificentia* », i. e. *magnitudo*, « *et potentia et gloria atque victoria* », — נצח non est *victoria* (*LXX*), sed habet sensum *aeternitas* (cf. Ps. 48 [49],20), qui h. l. est aptissimus — « *et* [*tibi*] *laus* », seu verius *maiestas* ». Efferuntur attributa divina, ut ita dicam, *regia*. « *Cuncta enim, quae in coelo sunt et in terra, tua sunt* ». Commodissime *Vulg.* iterata voce לְךָ, *tuum est*, constructionem complanat, quae apud *Hebr.* est apocopata : *Cuncta enim, quae* (*LXX R* : *cunctorum enim, quae*) *in coelo sunt et in terra, tuum o Iahve est regnum*. « *Tuum, Domine, regnum et* [*tu*] *es super omnes principes* », *Hebr.* : *super omne caput*. המתנשא secundum contextum utique conieceris esse nomen abstractum, *elevatio*; tamen secundum grammaticam est participium, *elevans se* seu *elevatus*, ante quod desideratur pronomen *tu* (*Vulg.*). *LXX* aut alium legebant textum aut liberius vertebant : *A facie tua turbatur omnis rex et populus*. v. 12 « *Tuae divitiae et tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus et potentia, in manu tua magnitudo et imperium omnium* ». *Hebr.* : *Divitiae et gloria coram te sunt*, pro lubitu tuo distribuendae; *tu dominaris omnium*, omnes tibi subsunt, speciatim etiam quoad divitias, gloriam, robur, potentiam; *et in manu tua robur et potentia*, iis pro lubitu tuo concedenda; *et in manu tua est magnificare et roborare omnia*, pro lubitu illa tua dona auges et roboras. Cf. *LXX*.

v. 13 « *Nunc igitur, Deus noster* », *nos* « *confitemur tibi et laudamus nomen tuum inclitum* ». *Hebr.* : *et iubilamus glorioso nomini tuo*. Ab iisdem duobus verbis petuntur voces Confitemini et alleluia, quae sunt laudis Iahve summa. Iubilationis ratio ea est, quod ipsis datum sit *tantas* colligere sacras oblationes, quae ratio augetur perpensa *offerentium humilitate* : qui offerunt, nihil vere habent suum (v. 14) et ipsi sunt valde exiles (v. 15). v. 14 *Et* « *quis ego et quis populus meus, ut possimus haec tibi universa promittere?* » *Hebr.* : *ut polleamus viribus ad sponte tibi offerenda haec?* « *Tua sunt omnia et,* [*quae*] *de manu tua* [*accepimus*], *dedimus tibi* ». *Hebr.* : *Quia a te sunt omnia, et de manu tua damus tibi*. Exaggerat igitur orator illud *nos* v. 13 : non tam sua offerunt, quam quae antea iam erant Iahvae. Neque tantum nihil habent, sed propemodum nihil sunt ipsi : v. 15 « *Peregrini enim sumus coram te et advenae* » (Lev. 25,23), inquilini qui ius civitatis non habent (Ex. 12,45; Lev. 22,10), « *sicut omnes patres nostri* ». Neque fixam in terra sedem habent neque civium iura, eaque humilitas

eis non forte accidit, sed e stirpe et natura derivatur. Imo vel ea humilitas eis *ad breve tantum tempus* conceditur. Non evidentiora in terra vestigia relinquunt, sed transeunt instar umbrae : « *Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora* ». מקוה a קוה, *exspectare* : hinc *exspectatio* Ier. 14,8; 17,13; 50,7 (cf. 1 Esdr. 10,2). Licet porro ex ea significatione derivetur significatio *spes*, at ea h. l. (*LXX L*) inepta est : certe spem habent ii, quibuscum Iahve tam liberaliter agit. Bene *Vulg. mora*, *LXX R* ὑπομονή : sine mora umbra illa praeterlabetur. Redit porro orator ad ea, quae v. 14 dixerat : v. 16 « *Domine Deus noster, omnis haec copia quam paravimus, ut aedificaretur* » *tibi* « *domus nomini sancto tuo, de manu tua, et tua sunt omnia* ».

Tandem orator « manifestat se nosse, quod Deus ponderet non externas res, sed corda offerentium » (*Cai.*); quare commendat eam animi *dispositionem*, quam 28,9 inculcaverat, ob quam confidit tam humilium humilia dona fore Iahvae accepta. v. 17 « *Scio, Deus meus, quod probes corda et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec, et* » *nunc* — est oppositio inter praesens *video* et perfectum *obtuli* — « *populum tuum, qui hic repertus est* », praesens adest, non totus populus, sed ii qui 28,1; 29,6 recensentur (*Tost.*), « *vidi cum* [*ingenti*] *gaudio tibi offerre donaria* ». Etiam *gaudium* hoc profectum est e *simplicitate* cordis seu e corde perfecto (v. 19; 28,9), quod unum requirit Iahve. Quam salutarem dispositionem ut Iahve *perpetuo* populo conservet, rogat David v. 18 : « *Domine Deus Abraham et Isaac et Israel patrum nostrorum, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat* ». *Hebr.* : *custodi hoc in aeternum, quoad figmenta consiliorum* (28,9) *cordis populi tui, et dirige cor eorum versus te*; perpetuo conserva illam consiliorum simplicitatem. Quam singillatim pro *Salomone* filio exposcit v. 19 : « *Salomoni quoque filio meo da cor perfectum* » (28,9), « *ut custodiat mandata tua, testimonia tua et ceremonias tuas* », uno verbo thoram, « *et faciat universa et aedificet aedem, cuius* [*impensas*] *paravi* ». Recte *LXX R* : *et ut ad finem perducat aedificationem etc.*

v. 20 « *Praecepit autem David universae ecclesiae : Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum* », verbis pronuntiatis ib. coram rege in palatio. Deinde conversi, quod crediderim, primum versus sanctuarium, postea versus regem, utrique reverentiam exhibuerunt prostratione, « *et inclinaverunt se et adoraverunt Deum et* [*deinde*] *regem* ». v. 21 « *Immolaveruntque victimas* » pacificas « *Domino, et obtulerunt holocausta die sequenti : tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus*

suis » pro holocausto, « *et universo ritu abundantissime in omnem Israel* ». Secundum *Hebr.* verte : *et victimas* pacificas *plurimas pro toto populo.* Unde patet haec acta esse in una solemnitatum maiorum, quibus et principes totusque populus tenebantur ad sanctuarium accedere. v. 22 « *Et comederunt et biberunt coram Domino in die illo cum grandi laetitia. Et unxerunt* » — sed h. l. omnino vertendum *et regem fecerunt* — « *secundo Salomonem filium David* ». *Secundo* scribitur respectu *primae* inthronizationis et unctionis 3 Reg. 1,33 sqq. Quae facta fuerat veluti raptim neque toto consentiente populo, sed sociis Adoniae ib. v. 49 se domi continentibus. » *Unxerunt autem eum Domino in principem, et Sadoc in pontificem* ». *LXX L* εἰς ἱερέα, *LXX R* εἰς ἱερωσύνην; porro etiam Eccli. 45,30 (Hebr. v. 24) ἱερωσύνη correspondet hebraeo כהונה, sacerdotium. Saul unctus est rex primum a Samuele secreto, secundo secundum LXX 1 Reg. 11,15 publice. David unctus est primum secreto, postea publice, et primum quidem 2 Reg. 2,4 in regem Iuda, postea 5,3 in regem Israel (*Tost.*). Similiter ungendus fuit Salomon *secundo* coram universo populo. Sed cur unctus *Sadoc*? Non quod antea viri unctio neglecta fuerit (*Tost.*). Neque ad tollendum omne dubium (*Tir.*), Sadoc esse legitimum pontificem, quem furor Saulis superstite Abiathar ad pontificatum promovisset. Neque haec unctio Sadoc effecta est (*Malv.*, *Calm.*) post mortem Davidis, quando e Salomonis gratia excidebat Abiathar. Sadoc, dum exsulabat Abiathar, fuerat pontifex, et sine dubio unctus pontifex, apud sanctuarium *Gabaone* 16,39. Ubi Abiathar cum Davide rediit, iure fuit Abiathar unicus pontifex summus, vicarios habens Gabaone Sadoc et Sione Achimelech. Verum inita cum Adonia coniuratione, omni sua spe exciderat vir ambitiosus; David vero studebat viam sternere duobus sanctuariis cum suis ministris in unum confundendis; id efficere non potuit, nisi pontificem vicarium sanctuarii antiquioris crearet pontificem item sanctuarii recentioris : *pro altero sanctuario visa autem est conferenda esse altera unctio.* Igitur Sadoc, qui iam erat pontifex unctus sanctuarii in Gabaon, nunc ungebatur pontifex etiam sanctuarii in Sion, aliquando futurus unicus unici sanctuarii pontifex.

4. *Davidis successor in regno Salomon* 1 *Par.* 29,23-30.

v. 23 « *Seditque Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, et* [*cunctis*] *placuit* », *LXX X* εὐδοκήθη. Sed verius *LXX L* εὐοδώθη, *prospere egit.* « *Et paruit illi omnis Israel* ». Quia vero principum plures eum ante aversati erant, explicite affirmantur hi etiam ei esse obsecuti : v. 24 « *Sed et universi principes et potentes* »,

i. e. Gibborim, *imo « et cuncti filii regis David »*, inter quos Adonias tum superstes, « *dederunt manum [et] subiecti fuerunt Salomoni regi* ». *Hebr.* : *dederunt manum sub Salomone rege* ; 2 Par. 30,8 « date manum Iahvae » ; utrobique sine suffixo, sed alias (1 Esdr. 10,19 ; 4 Reg. 10,15) cum suffixo. Expressio scribitur Ez. 17,18 de *restituendo foedere* laeso, Ier. 50,15 et Thren. 5,6 simpliciter de *ineundo foedere* cum valentiore ; expressio h. l. tanto aptior propter praecedentem contra Salomonem coniurationem. v. 25 « *Magnificavit ergo Dominus Salomonem* » *praeter modum* « *super* » — *Hebr. coram* — « *omnem Israel, et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel* ». *Hebr.* : *qualem nullus rex habuit ante ipsum super Israel*; ita comparatio, revocata ad formam magis negativam, non limitatur ad solos Saul et Davidem. *LXX R*, ignorantes extremum *Israel*, Salomonem comparant omnibus regibus prioribus, etiam nationum circum incolentium. Verba respiciunt divinam promissionem 2 Par. 1,12; 3 Reg. 3,12, atque hinc sunt summarium quoddam regni Salomonis.

Sequitur rerum Davidis summarium et clausula. v. 26 « *Igitur David filius Isai regnavit super universum Israel* », non super solum Iuda uti successores Salomonis. v. 27 « *Et dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni; in Hebron regnavit septem annis, et in Ierusalem annis triginta tribus* ». Verbotenus uti 3 Reg. 2,11. v. 28 « *Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum et divitiis et gloria, et regnavit Salomon filius eius pro eo* ». v. 29 « *Gesta autem David regis priora et novissima* », omnia, « *scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad videntis* », (de quibus dicemus volumine sequente), v. 30 « *universique regni eius et fortitudinis et temporum, quae transierunt sub eo, sive in Israel sive in cunctis regnis terrarum* ». *Hebr.* : gesta David... *cum omni regno eius et potentia et vicissitudinibus* (Ps.30 [31], 16), *quas experti sunt tam ipse quam Israel omniaque regna regionum* tributariarum.

INDEX

HISTORIA SANCTUARII DAVIDE REGE 1 Par. 10-29.